This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

PROPERTY OF
University of Michigan Libraries
1817
ARTES SCIENTIA VERITAS

Digitized by Google

BX
2045
.O35
M5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM,

ALIARUMQUE FESTIVITATUM,

QUÆ IN TOTO REGALI ORDINE

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MERCEDE,

REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

CELEBRANTUR.

A XYSTO V. ALIISQUE SUMMIS PONTIFICIBUS
approbata, prædictoque Ordini concessa.

NUNC DENUO RECUSA ATQUE PRO MAJORI
recitantium commoditate accurate disposita.

MATRITI: MDCCXCII.
EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ ET FILII PETRI MARIN.

Digitized by Google

Antonio Santander

Digitized by Google

XYSTUS PAPA V.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

PIis Regularium personarum votis, præsertim quæ ad Divini cultus & devotionis augmentum pertinere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Nuper siquidem, cum pro parte dilecti filii Magistri Generalis Ordinis BEATÆ MARIÆ DE MERCEDE Redemptionis Captivorum Nobis expositum fuisset ipsum, ac reliquos omnes ejusdem Ordinis Fratres, qui, secundùm usum & morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Breviario Romano, ex Decreto Concilii Trident. restituto, & felicis recordationis Pii Papæ V. prædecessoris nostri jussu edito, in recitandis Horis Canonicis uti solent, pro eorum devotione valdè cupere proprios quosdam Festos dies sui Ordinis, & nonnullos alios vetusta & laudabili consuetudine propriis Officiis celebrare: eaque ipsa Officia quæ antiquitus instituta habent, ad ritum & normam Breviarii prædicti accommodari. Nos dilectis filiis nostris Julio Antonio sancti Bartholomæi in Insula sanctæ Severinæ, & Vincentio sanctæ Mariæ in Via, titulorum Montis regalis, nuncupatis, Presb. Cardinalibus, vivæ vocis oraculo dedimus in mandatis, ut Officia prædicta diligenter reviderent, & examinarent. Qui postmodum, convocatis nonnullis aliis piis & eruditis viris, omnibus illorum partibus singillatim perspectis, & accuratè recognitis, quædam detraxerunt, alia emendarunt, nonnulla addiderunt, & in congruam formam, ac ritui Romani Breviarii maximè consentaneam redegerunt. Quare pro parte prædicti Magistri Generalis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut illa sic correcta & emendata, auctoritate nostra comprobare, illorumque usum eis concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi precibus inclinati, tam eidem Magistro, quam universis & singulis aliis Fratribus & Monialibus dicti Ordinis pro tempore existentibus, ut in quibusvis Domibus, Monasteriis, Collegiis & locis ejusdem Ordinis, tam publicè, quàm privatim, in Choro, & extra Chorum, con-

Digitized by Google

junctim, vel divisim, diebus hujusmodi, sicut præfertur, designatis, propriis Officiis prædictis sic correctis & emendatis uti, illaque imprimi facere, & divulgare, necnon secundum eorum tenorem Horas Canonicas diurnas & nocturnas recitare, & Officia ipsa sic recitando, obligationi plenè satisfacere liberè & licitè valeant: ita ut eisdem diebus ad recitandum aliud Officium, juxta Romani Breviarii regulas, vel antiquum prædicti Ordinis usum & morem, minimè teneantur (dummodò tamen modum & formam præscriptos in libello per dictos Cardinales de mandato nostro reviso, correcto & emendato, cujus Kalendarium inferiùs describi mandavimus, ad unguem observent, nihil penitus addant, vel diminuant) plenam & liberam licentiam & facultatem, & auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Non obstante prædicti Pii prædecessoris super reformatione & approbatione Breviarii Romani, ac aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis, prædictique Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, quodque hujusmodi dies festi in novissimo Kalendario Romano descripti non sint, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub Annullo Piscatoris, die X. Novembris M D LXXXVII. Pontificatus nostri anno tertio.

Tho. Thomæ Gualterutius.

KA-

KALENDARIUM
FESTORUM REGALIS ORDINIS B. MARIÆ VIRGINIS DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM,

JUXTA VARIAS SUMMORUM PONTIFICUM concessiones usque ad D. N. Pium VI.

JANUARIUS.

DOminica secunda post Epiphaniam. Festum SS. Nominis Jesu. Duplex secundæ classis, cum commem. Dominicæ. Pag. 3.

17 S. Antonii Abbatis. Duplex secundæ classis cum Octav. 3.

ABSOLUTIO GENERALIS.

18 Cathedra sancti Petri Romæ. Duplex majus, & commemoratio sancti Pauli, Octavæ, & sanctæ Priscæ virginis & mart. 3.

19 De Octava, & commemoratio sanctorum martyr. Marii, Marthæ, Audifacis, & Abbachum. 3.

20 Ss. Fabiani, & Sebastiani martyr. Duplex, & commem. Octavæ. 6.

21 S. Agnetis virg. & martyr. Duplex, & commemoratio Octavæ. 6.

22 Ss. Vincentii, & Anastasii martyr. Semiduplex, & comm. Octavæ. 7.

23 S. Raimundi de Peñafort Confessoris. Duplex secundæ classis cum Octava, & commemoratio sanctæ Emerentianæ virginis & martyris in Laudibus tantum. 7.

24 Octava sancti Antonii Abbatis. Duplex, & commemorat. Octavæ sancti Raimundi de Peñafort. 7.

25 Conversio sancti Pauli. Duplex majus & commemorat. sancti Raimundi de Peñafort. 8.

26 S. Polycarpi Episcopi & martyris. Semiduplex, & commemoratio Octavæ. 9.

27 S. Joannis Chrysost. Episcopi & Confessoris. Duplex, & commemoratio Octavæ. 9.

28 S. Ildephonsi Episc. Toletani & Confessoris. Duplex, & commemorat. Octavæ. In Hispania sancti Juliani Episcopi & Confessoris. Duplex secundæ classis cum Octava, commemoratio sanctæ Agnetis secundo in Laud. tantum. 9.

29 S. Francisci Salesii Episcopi & Confessor. Duplex, & commemoratio Octavæ sancti Raimundi, & in Hispania additur commemoratio sancti Juliani. 11.

30 Vigilia sancti patris nostri Petri Nolasci. Octava sancti Rai-

Raimundi de Peñafort. Dupl. & commemorat. Vigiliæ sancti patris nostri, & in Hispania fit prius commemorat. sancti Juliani. 12.

31 Sancti patris nostri Petri Nolasci Confessoris nostri Ordinis Fundat. Duplex primæ classis cum Octava absque ulla commemorat. 13.

ABSOLUTIO GENERALIS.

FEBRUARIUS.

1 SAncti Ignatii Episcopi & martyris. Semid. & commemoratio Octavæ sancti patris nostri. In Hispania sancti Cæcilii Episcopi & martyris. Duplex & commemorat. sancti patris nostri & sancti Juliani. 35.

2 Purificatio beatæ Mariæ virginis. Duplex secundæ classis cum Octava absque ulla commemoratione. 38.

3 De Octava sancti patris nostri, & commemoratio Octavæ Purificat. beatæ Mariæ, & sancti Juliani in Hispania, ac sancti Blasii Episcopi & martyr. 41.

4 S. Andreæ Corsini Episcopi & Confessoris. Duplex, & commemoratio Octavæ. In Hispania de die Octava sancti Juliani, & commemoratio aliarum Octavarum. 44.

5 S. Agathæ virginis & martyris. Duplex cum commemorat. Octavarum sancti patris nostri, & Purificat. beatæ Mariæ. 45.

6 De Octava sancti patris nostri, commemoratio Purificationis beatæ Mariæ virginis, & sanctæ Dorotheæ virginis & martyris. In Hispania sancti Andreæ Corsini Episcopi & Confessoris. Duplex, & commemoratio Octavarum & sanctæ Dorotheæ. 48.

7 Octava sancti patris nostri. Duplex, & commemor. Octavæ Purific. B. Mariæ. 52.

8 S. Joannis de Matha Confessoris. Duplex, & commemoratio Octavæ Purificat. beatæ Mariæ. 54.

9 Octava Purificat. beatæ Mariæ virginis. Duplex, & commemoratio sanctæ Apolloniæ virginis & martyris. 54.

Post Octavam Purificationis beatæ Mariæ virginis. Prima die non impedita festo duplici aut Dominica, Anniversarium Parentum omnium fratrum Ordinis nostri. Duplex. 58.

12 S. Eulaliæ virginis & martyr. Duplex secundæ classis cum Octava. 58.

13 De Octava S. Eulaliæ. 66.

14 De Octava, & commemoratio sancti Valentini martyr. 68.

15 De Octava, & commemoratio sanctorum Faustini & Jovitæ martyrum. 71.

16 De Octava. 73.

17 De Octava. 76.

18 De Octava, & commemoratio sancti Simeonis Episcopi & martyris. 78.

19 Octava sanctæ Eulaliæ. plex. 81.

Feria Quarta Cinerum.

ABSOLUTIO GENERALIS.

MARTIUS.

7 SAncti Thomæ de Aquino Confessoris & Doctoris. Duplex secundæ classis, & commemoratio sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis martyrum ad Laud. tantum. 84.

19 S. Joseph Confessoris Sponsi beatæ Mariæ virginis. Duplex pri-

primæ claſsis. 92.
24 S. Gabriëlis Archangeli. Duplex majus. 92.
Feria Quinta in Cœna Domini.
ABSOLUTIO GENERALIS.

APRILIS.

17 BEatæ Mariæ Annæ à Jesu virgin. Duplex. 105.
24 S. Boni Latronis. Dupl. 107.
Dominica tertia post Paſcha. Patrocinium ſancti Joseph Sponsi beatæ Mariæ virginis. Duplex ſecundæ claſsis, & fit commemor. Dominicæ. 114.
27 S. Petri Armengaudi mart. Duplex ſecundæ claſsis cum Octava. 123.
28 De Octava, commemoratio ſancti Vitalis martyris. In Hispania ſancti Thuribii Episcopi & Confeſsoris. Semiduplex, & commemoratio Octavæ, & ſancti Vitalis. 133.
29 Ab hac die usque ad diem tertiam Maii, fit de festis, ut in Breviario & fit commemoratio Octav. 136.

MAJUS.

4 OCtava ſancti Petri Armengaudi mart. Dupl. 136.
5 Festum Coronæ Domini nostri Jesu Christi. Dupl. maj. 138.
21 S. Mariæ de Subſidio virginis. Duplex ſecundæ claſsis cum Octava. 146.
22 De Octava. 149.
23 De Octav. In Hiſpan. de Apparitione S. Jacobi Apoſtoli. Dupl. comm. Octavæ. 149.
24 De Octava. Semidupl. 149.
25 S. Gregorii VII. Papæ & Confeſsoris. Duplex, commemoratio Octavæ, & ſancti Urbani Papæ & martyr. 152.
26 S. Philippi Nerii Confeſsoris. Duplex, commemoratio Octavæ, & ſancti Eleutherii Papæ, & martyris. 152.
27 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis virginis. Semidupl. commemoratio Octavæ, & ſancti Joannis Papæ & mart. 152.
28 Octava ſanctæ Mariæ de Subſidio. Duplex. 153.

JUNIUS.

16 SAncti Joannis Francisci Regis Conf. Semid. 155.
22 S. Paulini Episcopi & Confeſsor. Dup. 15[illegible].

JULIUS.

2 VIsitatio beatæ Mariæ virginis. Duplex ſecundæ claſsis cum Octava, & commemorat. ſanctorum Proceſsi, & Martiniani martyrum in Laudib. tantum. 155.
3 De Octava Apoſtolorum, de qua fit quotidie usque ad finem, cum commemorat. Viſitat. beatæ Mariæ V. 155.
7 De Octava Visitation. beatæ Mariæ virginis. Anniversarium Defunctorum ſepultorum in Eccleſiis nostris. Duplex. In Hiſpania ſancti Firmini Episcopi & martyris. Duplex, commemorat. Octavæ. Anniverſ. Defunctorum transfert. in primam diem non impeditam. 156.
8 S. Eliſabeth Reginæ Portug. Semiduplex, commemorat. Octavæ, In Hiſpania fit de ſancta Elisabeth. Duplex ſecundæ claſsis cum Octava, absque ulla commemorat. In Regnis Aragoniæ, & Portugall. ubi ſancta Elisabeth celebratur die quarta hujus, fit hodie de Octava Viſitationis beatæ Mariæ virginis. Semidup. 158.

Oc-

Digitized by Google

9 Octava Visitationis B. M. V. Duplex. In Hispania commemorat. sanctæ Elisabeth. 160.
16 Triumphi sanctæ Crucis. Duplex majus, ut in proprio Ss. Hispaniæ. 161.
18 S. Marinæ virginis & mart. Duplex, commemor. Ss. Symphorosæ, & Filiorum ejus mart. 161.
24 Vigilia S. Jacobi Apost. ut in proprio Ss. Hispaniæ. 162.
25 S. Jacobi Apostoli & Hispaniæ Patroni. Duplex primæ classis cum Octav. absque ulla commemorat. ut in proprio Ss. Hispaniæ. 162.

AUGUSTUS.

Dominica proximiori Kalendis Augusti. Festum Ss. Redemptoris, & commemorat. Apparition. beatæ Mariæ virginis de Mercede, cum commemorat. Dominicæ occurrent. Duplex secundæ classis. 162.
10 S. Laurentii martyris. Duplex secundæ classis cum Octava. 173.

ABSOLUTIO GENERALIS.

Dominica infra Octav. Assumptionis beatæ Mariæ virginis. Sancti Joachim Confessoris Patr. ejusd. beatæ Mariæ virginis. Duplex majus, commemorat. Dominicæ, & Octavæ. 173.
28 S. Augustini Episcopi & Confessoris & Ecclesiæ Doctoris. Duplex secundæ classis cum Octava, & commemorat. sancti Hermetis mart. in Laudibus tantum. 173.
29 Decollatio sancti Joannis Baptistæ. Duplex maj. comm. Octavæ, & sanctæ Sabinæ martyr. 183.
30 S. Rosæ virg. Dupl. comm. Octavæ, & Ss. Felicis, & Adaucti mart. 183.
31 S. Raimundi Nonnati Confess. S. R. E. Cardinal. Dupl. secundæ class. cum Oct. 184.

SEPTEMBER.

1 De Octava sancti Raimundi Nonnati, & commemorat. Octavæ sancti Augustini, & sancti Ægidii Abbatis, ac Ss. Duodecim Fratrum mart. 194.
2 Sancti Stephani Regis Hungariæ Confessor. Semiduplex, & commemoratio sancti Raimundi, & sancti Augustini. In Hispania sancti Antonini mart. & commemoratio sancti Raimundi, & S. Augustini. 196.
3 De Octava sancti Raimundi, & commemorat. Octavæ sancti Augustini. In Hispania sancti Stephani Reg. Hungar. Confessoris. Semidupl. (fuit heri) & commemor. sancti Raimundi, ac sancti Augustini. 197.
4 Octava sancti Augustini. Duplex, & commemor. Octavæ sancti Raimundi. 198.
5 De Octava sancti Raimundi Nonnati. Post Laudes Anniversarium Defunctorum Benefactorum, & Familiarium Ordinis nostri. Duplex. In Hispania commemoratio sancti Juliani Episcopi & Confessoris. Duplex, & commemorat. sancti Raimundi. Anniversarium transfertur in sequentem diem. 202.
6 De Octava sancti Raimundi Nonnati. 204.
7 Octava sancti Raimundi Nonnati. 205.

Do-

* Dominica infra Octav. Nativitatis beatæ Mariæ virginis. **Festum SS. Nominis ejusdem** B. Mariæ. Duplex maj. 206.
18 **Sancti Raphaëlis Arcangeli.** Duplex maj. 206.
23 Vigilia **Apparitionis beatæ Mariæ virginis** & commemor. S. Theclæ virg. & mart. 214.
24 Festum Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede. **Duplex primæ classis cum Octava.** 217.
* Dominica infra Octav. Apparitionis. **Festum Apparitionis beatæ Mariæ virg. in Choro Barçinonensi.** Duplex majus, commemorat. Dominicæ occurrentis, & nihil fit de Octava. 233.
25 **De Octava Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede.** 233.
26 **De Octava**, comm. Ss. Cypriani, & Justinæ mart. 236.
27 **De Octava.** 238.
28 **De Octava.** 240.
29 Dedicatio sancti Michaëlis Archangeli. **Duplex secundæ classis** cum commerat. Octavæ. 243.
30 De Octava. 243.

OCTOBER.

1 **O**ctava Apparitionis beatæ **Mariæ virginis de Mercede.** Duplex, & commemorat. sancti Rhemigii Episcopi & Confessoris. 246.
10 Dedicatio Ecclesiarum Ordinis nostri. **Duplex primæ classis cum Octava.** 249.
11 S. Francisci Borgiæ Confessoris. Semiduplex (fuit heri) & commemorat. Octavæ. In Hispania **sancti Francisci Borgiæ. Dupl.** secundæ classis absque ulla commemorat. 249.
12 **De Octava.** In Hispania, festum **beatæ Mariæ virginis de Columna.** Duplex & comm. Octavæ. 249.
13 **S. Eduardi Confessor.** Semiduplex, commemorat. Octavæ, **Post Laudes** Anniversarium Defunctorum Fidelium Captivorum. **Duplex.** 250.
14 **S. Callisti Papæ, & martyris,** Semiduplex, & commem. Octavæ. 250.
15 **S. Teresiæ virginis.** Duplex, comm. Octavæ. 250.
16 **De Octava.** In Hispan. **sancti Ludovici Bertrandi Confessoris.** Dupl. (fuit 10.) commemorat. Octavæ. 250.
17 **Octava Dedicationis Ecclesiarum.** Duplex. 250.
23 S. Petri Paschasii Episcopi & martyris. **Duplex secundæ classis** cum Octava. 250.
24 **De Octava sancti Petri Paschasii.** In Hispania **Ss. Servandi & Germani martyr.** Duplex **commemorat. Octavæ.** 260.
25 **De Octava,** & commemorat. Ss. Chrysanthi, & Dariæ martyr. In Hispania **Ss. mart. Gavini, Prothi & Januarii. Duplex,** commemorat. Octavæ, & Ss. martyrum Chrysanthi, & Dariæ. 263.
26 **De Octava,** commemorat. S. Evaristi Papæ & martyris. In Hispan. **sancti Fructi Confessoris.** Duplex (fuit heri) commemorat. Octavæ, & sancti Evaristi. 265.
27 **De Octava,** commemorat. Vigiliæ Ss. Apostolorum Simonis, & Judæ. 268.
28 **Ss. Apostolorum Simonis &** Ju-

Judæ. Duplex secundæ classis sine commemorat. Octavæ. 270.

29 De Octava. In Hispania S. Narcissi Episcopi & martyris. Dup. comm. Octavæ. 270.

30 Octava sancti Petri Paschasii Episcopi & martyris. Duplex. 272.

NOVEMBER.

Dominica Novembris ab Ordinario loci assignanda. In Hispania, festum Patrocinii beatæ Mariæ virginis. Duplex secundæ classis, commemorat. Dominicæ occurrentis. 274.

10 Passionis Imaginis Salvatoris. Duplex maj. & commemorat. Ss. Tryphonis, Respicii, & Nymphæ martyrum. 275.

13 Festum Omnium Ss. Ordinis nostri. Duplex secundæ classis. 284.

14 S. Serapionis martyris. Duplex secundæ classis cum Octava. 291.

15 Commemorat. Omnium Defunctor. Fratrum, Sororum, & Benefactorum Ordinis nostri. Dupl. Fit de sancta Gertrude virgine. Duplex, commemorat. Octavæ. In Hispania fit de sancto Eugenio Episcopo & martyre cum comm. Octavæ. 295.

16 De Octava sancti Serapionis. In Hispania sanctæ Gertrudis virginis. Duplex (fuit heri) commemorat. Octavæ. 295.

17 Ab hac die usque ad diem xx. fit de festis, ut in Breviario cum comm. Octavæ. 297.

21 Præsentatio beatæ Mariæ V. Duplex secundæ classis cum Octava. Commemorat. de die Octava sancti Serapionis martyris. 298.

22 S. Cæciliæ virginis & martyris. Duplex, & commemor. Octavæ. 298.

23 S. Clementis Papæ & martyris. Semiduplex. Commemor. Octavæ, & sanctæ Felicitatis mart. 298.

24 S. Joannis à Cruce Confessoris Duplex, commem. Octav. & S. Chrysogoni mart. 298.

25 S. Catharinæ virginis & martyris. Duplex, commemorat. Octavæ. 298.

ABSOLUTIO GENERALIS.

26 De Octava, commemorat. S. Petri Alexandrini Episcopi & martyris. In Hispania Desponsationis beatæ Mariæ virginis. Duplex majus, commemorat. S. Joseph Sponsi ejusd. beatæ Mariæ virgin. & S. Petri Alexandrini tantum. 299.

27 De Octava. 301.

28 Octava Præsentationis beatæ Mariæ virginis. Dup. 302.

DECEMBER.

4 Sanctæ Barbaræ virginis & martyris. Dup. 1.

8 Conceptionis beatæ Mariæ V. Duplex primæ classis cum Octava. 3.

18 Festum Expectationis beatæ Mariæ virg. Duplex maj. 3.

Digitized by Google

RUBRICÆ GENERALES,

ETIAMQUE SPECIALES,

AD PRÆDICTA OFFICIA RITE CELEBRANDA.

§. I.
De Ritu Festorum.

1 **D**Uplicia primæ classis in universo Ordine nostro sunt: festum Apparitionis beatissimæ virginis Mariæ de Mercecede, Patronæ, & Fundatricis Ordinis, quod est festum solemnissimum, celebratur *ex Indulto Apostolicò* 22. *Novembris* 1729. *cum Vigilia, & Octava privilegiata.* Festum Conceptionis beatæ Mariæ virginis. Festum S. P. N. Petri Nolasci, nostri Ordinis Patris & Fundatoris, celebraturque etiam cum Vigilia *ex Decreto S. R. C. die* 1. *Decembris* 1742. Festum S. Joseph Sponsi B. Mariæ V. Festum S. Jacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, quod *ex Indulto Benedicti XIII.* 20. *Decembris* 1729. velut specialis Protectoris celebratur in universo Ordine nostro, ut in proprio sanctorum Hispanorum. Festum Dedicationis Ecclesiarum Ordinis nostri, quod regulariter celebratur die x. Octobris, in Monasteriis, scilicet, in quibus certò non scitur ipsa dies in qua consecrata, vel dedicata fuit Ecclesia propria: si enim sciatur, in ipsa & non x. Octobris celebrari debet. Præterea in unoquoque Conventu celebrandum est sub eodem ritu festum Titulare illius Mysterii, seu sancti cui consecrata, vel dedicata fuit Ecclesia. Et denique festum præcipui Patroni Diœcesis, vel loci in Conventibus intra illam Diœcesim, vel locum existentibus. Omnia hæc celebrantur cum Octava præter festum S. Joseph, & festum Patroni Diœcesis vel loci.

2 Duplicia secundæ classis sunt: festum Sanctissimi Nominis Jesu, S. Antonii Abbatis, S. Raimundi de Peñafort, S. Eulaliæ virg. & mart. S. Thomæ de Aquino, Patrocinii S. Joseph, S. Petri Armengaudii, S. Mariæ de Subsidio, sanctissimi D. N. J. C. Redemptoris, S. Augustini Episcopi, S. Raimundi Nonnati, S. Petri Paschasii, Omnium sanctorum Ordinis nostri, S. Serapionis mart. Purificationis, Visitationis, Præsentationis, & Patrocinii beatæ Mariæ virginis. Omnia hæc Festa cum Octava, præter Festa Sanctissimi Nominis Jesu, sancti Thomæ de Aquino, Patrocinii S. Joseph, Ss. Redemptoris, Omnium sanctorum Ordinis nostri, & Patrocinii beatæ Mariæ virginis.

3 Duplicia majora per annum, quæ aliis duplicibus minoribus præferuntur, sunt: festum S. Gabriëlis Archangeli, S. Joachim Patris B. Mariæ V. coronæ D. N. Jesu Christi, Thriumphi S. Crucis, S.

Digitized by Google

S. Raphaëlis Archangeli, Sanctissimi Nominis Mariæ, Apparitionis B. Mariæ V. in Choro Barchinonensi, Passionis Imaginis Salvatoris, & Festum Expectationis beatæ Mariæ virginis.

4 Duplicia minora sunt: S. Ildephonsi Episcopi Toletani, sancti Boni Latronis, S. Paulini Nolæ Episcopi, S. Marinæ virginis, & mart. S. Barbaræ virg. & mart. & dies Octava festi habentis Octavam. Sed quæcumque dies Octava beatæ Mariæ virginis debet habere utrasque Vesperas in concursu cum festo duplici, *ex Rubr. Brev. de Concurrent. n.* 7.

5 Officia semiduplicia sunt: Dies infra Octavam festorum, quæ habent Octavam, & omnia alia Officia, quæ recitantur per singulas Hebdomadas, ut infra.

§. II.

De Concurrentia, Occurrentia, & Translatione festorum.

1 IN prædictis festivitatibus servandæ sunt Rubricæ Breviar. Romani in titulo notatæ, attento Ritu uniuscujusque.

2 In festo Apparitionis beatissimæ virginis Mariæ de Mercede, & S. P. N. Petri Nolasci aliud quodcumque festum occurrens etiam primæ classis transfertur. Si festum S. P. N. Petri Nolasci venerit in Dominica sive majori, sive per annum, fit de festo cum nona Lectione Homiliæ Dominicæ, & commemor. de ea in utrisque Vesperis, & Laudibus. Si concurrat cum Dominica sequenti, quæcumque illa sit, fit commem. de ea: si cum præcedenti, fit commemor. de ea in primis Vesperis, si Dominica sit major; non autem si sit Dominica per annum.

3 De Vigilia vero S. P. N. Petri Nolasci, fit de ea sicut de aliis Vigiliis, in quibus per annum jejunatur. *Et ex Decr. Sac. Rit. Congr.* 1. *Decembris* 1742. Additur nomen S. P. N. Petri Nolasci in Litaniis majoribus, quæ à nobis recitantur, & in Hispania ex Privilegio aliis communi; additurque etiam, cum in Missa dicitur, *Confiteor*, &c.

4 Festum vero Solemnitatis Apparitionis sanctissimæ Virginis, & Institutricis nostræ Mariæ, omniumque ex specialibus nostris solemnissimum, tali privilegio Apostolico gaudet; ut à die Vigiliæ 23. Septembris, usque ad 1. Octobris inclusive, qua terminatur Octava, de nullo alio festo fieri in Ordine possit, præter Dominicam infra Octavam, in qua *ex Decreto SS. D. Benedicti Papæ XIV. sub die* 30. *Martii* 1753. celebratur festum Apparitionis ejusdem B. Mariæ V. factæ S. P. N. Petro Nolasco, Horas Canonicas recitanti in Choro Barchinonensi, & diem qua celebratur Dedicatio S. Michaëlis Archangeli; quia cum hoc festum sit de præcepto servandum, esset valde incongruum separare in perpetuum Officium festivi diei ab ipso festo.

5 Nec excluditur festum Patroni principalis, seu Titularis, aut Dedicatio propriæ Ecclesiæ, quæ sunt solemniora, & specialis notæ, nisi dumtaxat à die octava, quæ complet solemnitatem, ut in similibus Octavis privilegiatis. Quoniam autem exceptio firmat regulam in contrarium; manifestum est ex exceptione prædictorum festorum, excludi duplicia secundæ classis, & Octavam istam ce-

Digitized by Google

celebrandam esse adinstar Octavæ Epiphaniæ.

6 Si ante Vigiliam Solemnit. Apparitionis B. Mariæ de Mercede cœpta sit celebrari aliqua alterius festi Octava, cessabit die ipso ante Vigiliam, & ejus Officium terminabitur in Completorio; quia Vigilia incipit à Matutino sequenti, & nullum jus est, quo dies infra Octavam privetur, nullo alio festo concurrente, Vesperis, & Completorio. *Guyet. lib.* 4. *c.* 12. *q.* 6. *cum Gavanto.*

7 Si dies 23. Septembris fuerit Dominica, fiet de Vigilia Sabbato præcedenti, juxta privilegium, quod non est diei, sed Vigiliæ; & Octava, si quæ tunc celebretur, cessare debet die 21. Ratio autem quare Octavæ cessant, est: quia aliter non posset fieri Officium de Vigilia, quæ minoris est ritus, quam dies infra Octavam. Deinde quia frustra esset talis Octavæ continuatio, de qua numquam ultra fieri potest Offic. *Guyet. l.* 1. *n.* 19. *q.* 11.

8 Hac ratione, si festum Patroni principalis, Titularis, aut Dedicationis propriæ Ecclesiæ venerit ipsa die Vigiliæ, fiet de ipso festo, sed sine Octava, non aliter quam si venisset Feria 3. ante Cineres, aut die 16. Decemb. quia tota Octava à festo, & Octava privilegiata absorbetur. Si tamen prædicta festa celebrentur infra Octavam Solemnitatis Apparitionis, fiet de Octavis illorum commemorat. quia jus habent ad dies post Octavam, & consequenter ad continuationem festi usque ad illos dies. *Guyet. l.* 4. *c.* 12. *q.* 6.

9 Si aliquod ex prædictis festis celebretur in die Vigiliæ, vel infra Octavam, fit commemoratio de Vigilia, cum 9. lection. & similiter de Octava. Unde eadem commemorat. Octavæ fieri debet in festo S. Michaëlis Archangeli. De Simplici autem infra prædictam Octavam fit tantum commemorat. ut in similibus, *& juxta Decretum* 5. *Decembr.* 1733.

10 Si Vigilia veniat in Quatuor Temporibus, Officium fit de Vigilia cum commemoratione de Quatuor Temporibus in Missa tantum. Non debet in hac Vigilia recitari Officium parvum beatæ Mariæ, nec fieri commemor. de ea in Suffragiis sanctorum: quia de ipsa est Officium Vigiliæ bene tamen dicendum est Officium Defunctorum, juxta Rubricas.

11 Festum vero Apparitionis beatæ Mariæ virginis in Choro celebratur in Dominica infra Octavam, *ex concessione ut supra in hac Rubr. num.* 4. Si venerit in festo S. Michaëlis Archangeli, fiet de festo S. Michaëlis, & festum Apparitionis in Choro transferendum erit in sequentem Feriam secundam; si autem venerit in die Octava, transferendum erit juxta Rubr. in primam diem non impeditam. In concurrentia autem cum die Octava, vesperæ integræ erunt de ipso festo Apparitionis in Choro sine commem. diei Octavæ; & similiter si dies Octava concurrat cum festo SS. Rosarii B. Mariæ V. Vesperæ erunt de ipso festo SS. Rosarii, sine commem. diei Octavæ. *juxta Rub. Brev. de Concurrent. n.* 7.

12 De prædicto festo Apparition. in Choro fit Officium, ut in proprio loco notatur, & de Dominica fit comm. in utrisque

Ves-

Vesperis, & Laudibus, & ad Matutinum legitur nona lectio Homiliæ, sine commem. Octavæ.

13 Si in festo Dedicationis Ecclesiarum Ordinis nostri occurrat festum Patroni loci, transfertur, quia ut ait D. Thomas *lect. 5. in cap.* 10. *Joann.* Majus festum est Dedicatio Ecclesiæ, in qua recoluntur beneficia collata toti Ecclesiæ, quæ superant beneficia collata cuivis sancto. Et propter eamdem etiam rationem transferri debet Titulare Ecclesiæ. *Gav. sect.* 8. *c.* 3. *sect.* 3. *n.* 7.

14 In celebrandis festis translatis, servetur Rub. X. de Translatione festorum, num. 7. ut scilicet quando plura festa sunt translata, fiat prius de eo quod est majoris ritus, hoc ordine, prius de duplici primæ classis, post de duplici secundæ, deinde de duplici majori, minori, semiduplici. Quando plura translata sunt ejusdem ritus, fiat prius de eo quod prius translatum est, nullo habito respectu ad id, quod translatum est ex die immediate præcedenti: v. g. si duplex occurrens in Dominica Trinitatis transfertur, in feria secunda non de eo, sed de alio duplici prius translato fieri debet; quia illud vere est à suo die translatum. *Gav. sect.* 3. *cap.* 10. *n.* 7. Similiter semiduplex translatum propter festum duplex, aut Dominicam, non in die immediato recitari debet, si alia semiduplicia translata sint. Excipitur ab hac regula semiduplex occurrens in Dominica infra Octavam per annum, aut in festo duplici habente Octavam, sive in festo duplici infra Octavam, tunc enim habet jus ad diem immediatum, etiam si alia semiduplicia sint tanslata, eo quod semidup. infra Octavam non potest transferri nisi in proxime sequentem diem.

15 In occurrentia autem festorum ejusdem ritus, & aliàs quomodocumque parium, primum locum habebit Officium Ecclesiæ particularis, secundum Ordinis seu Religionis, tertium Diœcesis, quartum Nationis, & quintum Ecclesiæ Universalis. *S. R. C.* 12. *Julii* 1704. *&* 23. *Junii* 1736.

§. III.

De Octavis Festorum.

1 Festa supra relata Rubr. 1. n. 1. exceptis Festis in ipso num. 1. expressis, celebrantur in Ordine nostro cum Octava. Festa item num. 2. relata, exceptis Festis in ipso num. 2. expressis, cum Octava celebrantur: aliqua ex concessione Apostolica Xysti V. aliorumque Pontificum, alia ex antiqua, & immemorabili consuetudine Ordinis nostri: & quidem quoad Octavas Conceptionis, Præsentationis, Visitationis, & Purificationis beatæ Mariæ, constat ex antiquo Breviario proprio Ordinis per multa retroacta tempora ante S. Pium V. solitas fuisse celebrari usu continuato solemniter in Ordine nostro; quas quidem S. Pius V. necdum non abrogavit, sed retineri concessit. Rubric. vij. de Octavis, num. 1.

2 Adveniente Feria quarta Cinerum, Vigilia Pentecostes, & die 17. Decembris (in Hispania vero 16.) nulla celebratur Octava, ex præcepto ejusdem Rubricæ: & si aliqua incipiat celebrari paulo ante prædictos dies, illis ad-

adtenientibus nihil amplius neque commemoratio fit de ea: casus potest accidere in Octavis S. P. N. Petri Nolasco, Purificationis beatæ Mariæ virg. S. Eulaliæ, & S. Mariæ de Subsidio. Cessant etiam Octavæ, si quæ occurrant, ante Vigiliam Apparitionis Beatissimæ Dominæ & in Institutricis nostræ Mariæ, juxta Apostolicum privilegium, ut supra Rub. 2. num. 8. & sequentibus.

3 Si aliqua dies Octava veniat in ipsa Feria iv. Cinerum, Octava finitur in Nona Feriæ tertiæ, & in Vesperis neque comm. fit de ea, sicut nec facienda est in Officio sequentis diei; si autem Feria iv. Cinerum adveniat infra Octavam, Vesperæ Feriæ tertiæ erunt de ea, vel de sancto occurrente, cum commemoratione ejus, & deinceps nihil fit de Octava.

4 Antiphona finalis beatæ Mariæ: *Alma Redemptoris Mater*, ex præcepto Breviarii Romani dicitur in fine Officii usque ad Purificationem inclusivè; sed si hoc festum transferatur, vel cum Octava celebretur, Aña. *Ave Regina Cœlorum*, non transfertur, sed semper incipit in fine Completorii diei secundæ Februarii. Ita declaravit S. R. C. die 11. Januar. 1681.

5 Etsi festum habens Octavam transferatur, dies ejus Octava non transfertur, & ideo si occurrat in aliquo festo, vel Dominica primæ, vel secundæ classis, fit de ea tantum commemoratio in primis & secundis Vesperis festi, vel Dominicæ. In Sabbato ante Dominicam prædictam, quæ est caput Octavæ, ad Vesperas dicuntur Psalmi de Psalterio ex Sabbato, à Capitulo de Dominica cum commemorat. diei Octavæ, ut in primis Vesper. festi. Ratio sumitur à simili ex Rubric. de Concurrent. num. 10. agendo de sancto simplici occurrente in Feria iv. Cinerum. Et hoc insuper decrevit S. R. C. die 9. Novemb. 1622. Et in tali Dominica non sunt dicenda Suffragia communia sanctor. nec Preces ad Primam, & Completorium propter Octavam.

6 Si talis Dominica concurrat cum festo duplici præcedenti, Vesperæ dicuntur de duplici cum commemoratione primo de Dominica, de qua faciendum est Officium, deinde de Octava, ut in primis Vesperis. Si cum semiduplici, à Capitulo de Dominica, cum commemorat. primo de semiduplici, quod habuit Officium, & dimidium Vesperarum, & postea de Octava. *Gav. sect.* 3. *cap.* 8. *n.* 22.

7 In secundis Vesperis ejusdem Dominicæ concurrentis cum sequenti duplici, Vesperæ erunt de eo, & commemorat primo de Dominica, de qua factum est Officium, postea de Octava. Si concurrat cum sequenti semidup. Vesperæ erunt de Dominica, commemorat. primo de Octava, postea de semidupl. quia in pari gradu commemorationis nobilior est commemorat. diei Octavæ, quam semiduplicis.

8 In concursu plurium Octav. agendum est de digniori cum commem. alterius: major autem dignitas attendenda est penes classes; nam Octava primæ classis dignior Octava Festi secundæ

claſſis. In eadem claſſe attendendum eſt ad perſonarum dignitatem ſecundum Rubricam de Concurrent. Officii num. 2. hoc ordine, Chriſtum, beatam Virginem, Angelos, S. Joannem Baptiſtam, & Apoſtolos, inter alios eum qui proprior eſt Ordinis noſtri.

§. IV.

De Feſtis ſanctorum Diœceſis.

1 AD Feſta ſanctorum Diœceſis celebranda nulla lege aut præcepto tenemur, uſus tamen obtinuit, ut de eis generaliter fiat Officium in Ordine noſtro: ſunt tamen reſpectu noſtri ad libitum, & comprehenduntur in Decreto S. R. C. 24. Januarii 1682. de ſanctis ad libitum non transferendis. Excipitur Feſtum principalis Patroni Diœceſis, vel loci ad quod celebrandum tenemur ſub ritu duplic. primæ claſſis, ſed ſine Octava: *ex Decreto ut infra.*

2 Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis celebratur ſub ritu duplici ſecundæ claſſis & ſine Octava in Civitate tantum; degentes vero extra Civitatem non tenentur. Ita declaravit Sacr. Rit. Congregat. 5. Maii 1736. *Feſtum principalis Patroni alicujus Diœceſis à Regularibus eſt celebrandum ritu duplici primæ claſſis, & Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis ritu duplici ſecundæ claſſis, ſine Octavis; & degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicationis Officium.*

§. V.

De Feſtis particularibus cujuscumque Conventus.

1 IN unoquoque Conventu Ordinis noſtri celebrandum eſt ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava Feſtum Titulare illius, id eſt, illud Myſterium, ſeu ille ſanctus, vel ſancta, cui conſecrata eſt ejus Eccleſia, ut diximus §. 1. num. 1. Quod ſi concurrat cum alio duplici primæ claſſis digniori, transfertur in primam diem non impeditam.

2 Titulare Altaris, ſeu Capellæ non eſt celebrandum hoc ritu, ut conſtat ex Breviario, Rubrica de Commemorationib. n. 3. Celebratur ergo ritu, quem habet in Breviario Romano: quod ſi nullum habet, non poteſt fieri Officium de eo ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Poterunt tamen in ipſo Altari, ſeu Capella celebrari Miſſæ de eo cum *Gloria in excelſis*, & nil amplius. *Gavant. ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 1.

3 Præterea in quolibet Conventu poteſt celebrari ritu duplici Feſtum illius ſancti, cujus inſignis Reliquia in eo habetur, licet in Breviario non exiſtat, vel exiſtat minori ritu: ita S. R. C. 23. Novemb. 1602. & 3. Junii 1617. Circa Officia ſanctorum ratione Reliquiæ obſervari debentur alia Decreta S. R. C. poſita in principio Breviarii Romani 8. Aprilis 1628. & præcipue 11. Auguſti 1691. De aliis vero ſanctis, qui forte ſimul habentur in Breviario, cum eo cujus habetur Reliquia, non poteſt fieri Officium duplex: v. g. ſi habeatur unum caput unius de undecim millibus Virginibus, de illa tantum, ſuppreſſo nomine, quod ignoratur, & non de aliis celebrari debet.

4 Quomodo autem ordinandum ſit Officium de ſancto Patrono loci, Titulari, vel cujus habetur inſignis Reliquia, ſi cum aliis ſit deſcriptus in Kalendario Bre-

Digitized by Google

Breviarii Romanii, videatur in propria Rubrica ejus, in Tabella de occurrentibus eodem die. Hoc solum addendo, quod facta separatione prædicti sancti à Sociis, curandum est quoad fieri potest, ut Oratio, Lectiones, & Homilia Evangelii congruat Festo pro uno tantum, Oratione propria in numero singulari accommodata: pro sociis autem separatis, quando de eis fiat, recurratur ad Commune, ut sit varietas, nisi de eis fiat extra Octavam Patroni, vel Titularis, quo casu variandi necessitas non urget. Si autem ea, quæ habentur propria pertineant præcisè ad socios divisos, eis reserventur, & in festo principali recurratur ad Commune. *Gavant. sect.* 3. *cap.* 10. *num.* 14.

§. VI.

De Lectione Martyrologii.

1 Festa quæ in Ordine nostro celebrantur, si habeantur in Martyrologio, legantur iisdem verbis, quibus describuntur in eo. Si autem in Martyrologio non habeantur, pronuntientur nudis, & simplicibus verbis, nullo elogio addito, v. g. *Festum Patrocinii S. Joseph Confessoris Sponsi Beatissimæ virginis Genitricis Dei Mariæ*. Non enim hæc particularia elogia disponi, ac in separato Codice haberi, & opportunis diebus legi prohibentur; sed dumtaxat ea in Martyrologium Romanum induci. *Guyet. de Fest. Propr. lib.* 2. *cap.* 15.

2 Rubrica quarta Martyrologii sic se habet: *Festa de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur*. Unde si festum non celebretur eo die quo habetur in Martyrologio, non legitur primo loco, sed in illo quem habet in eo. Habemus exemplum in festis S. Pauli primi Eremitæ, S. Hilarii, &c. quæ quia non celebrantur in diebus ipsis Natalitiorum eorumdem, non habentur in eis primo loco in Martyrologio Romano.

3 Insuper translato Festo aliquo juxta Rubricas de Translatione, non ideo fit Translatio elogii in Martyrologio: si tamen non sit translatio, sed perpetua diei mutatio, poterit quando celebrandum est festum iterum pronuntiari; ut ex Romano Martyrologio patet exemplis in num. præcedent. adductis. Unde elogium S. Boni Latronis, cujus festum celebratur in Ordine die 24. Aprilis, & in Martyrol. habetur die 25. Martii, non debet transferri, sed potest denuo legi in primo loco dicta die 24. Aprilis. Idem servari potest in festo Passionis Imaginis Salvatoris, quod celebratur die 10. Novembris, & in Martyrologio habetur die præcedenti in ultimo loco. Et tandem, festum S. Mariæ de Subsidio, quod celebratur in Ordine nostro die 21. Maii, in Martyrologio habetur ultimo loco die 19. Septembris, sed enuntiari iterum potest 21. Maii. Quod servatur in similibus.

4 Dies Vigiliæ Apparitionis beatissimæ virg. Mariæ, & dies Vigiliæ S. P. N. Petri Nolasci, ac Octava festi eam habentis, legitur primo loco, etiam si de Octava non fiat Officium propter occurrentiam cum Dominica primæ vel secundæ classis; occurrens autem in festo primæ vel secundæ classis, legitur secundo

loco immediate poſt feſtum, de quo fieri debet Officium. Octava vero Apparition. B. M. V. ſemper pronuntiatur primo loco; quia ſemper de illa fit Officium. De Octava S. P. N. Petri Nolaſci, Purificationis B. Mariæ, & S. Eulaliæ virg. & mart. adveniente in Quadrageſima, nihil fit in Martyrolog. ſicut nec in Officio; & ſimiliter de Octava S. Mariæ de Subſidio adveniente Vigilia Pentecoſtes.

§. VII.

De Commemorationibus, & ſuffragiis Communibus ſanctorum.

1 Quoniam Rubrica de Commemorationibus Communibus ſanctorum, quæ fiunt in fine Officii diebus non duplicibus, nec infra Octavas, præcipit quod de Patrono & Titulari Eccleſiæ fiat commemoratio ante vel poſt commemorationem beatæ Mariæ, & Apoſtolorum, pro dignitate illius, ſequens ordo ſervandus eſt.

2 Poſt commemorat. Apoſtolorum in Ordine noſtro regulariter fit de S. P. N. Petro Nolaſco. Sed ſi de Patrono loci facienda ſit, & hic fuerit altioris ordinis (ſicut in Hiſpania eſt S. Jacobus Apoſtolus Hiſpaniarum Patronus, de quo fieri debet commemoratio ex præcepto Gregorii XV. die 30. Octobr. 1621. *Gavant. ſect. 5. cap.* 18.) fiat de eo antequam de S. P. N. ſin autem poſt eum: & deinde fiat de Titulari Eccleſiæ, quod minus dignum eſt Patrono, ex Rubric. Breviar. tit. 1. de Duplici, num. 1. tit. 7. de Octavis, num. 1. 3. & 4. tit. 9. de commemor. num. 1. & pluries in Tabellis. Si autem Titulare ſit altioris ordinis, ante fiat de eo: v. g. de Titulari S. Trinitatis, Spiritus ſancti, Corporis Chriſti, S. Salvatoris, S. Crucis ante beatam virginem Mariam. De Angelis, de S. Joanne Baptiſta, & S. Joſeph ante Apoſtolos. *Idem ibid.*

3 Si de Cruce facienda ſit commemorat. tamquam de Titulari, ſufficit illa communis, quæ fit ante alias, ex Decret. S. R. C. 30. Martii 1621. de Titulo Salvatoris non fit, quando fit de Cruce in Officio feriali, quia æquipollent. Hæc autem commemorat. de Cruce in feriali Officio ſemper fit primo loco, etiam ante S. Trinitatem, ſicut de Pace ultimo loco, ut expreſsè habetur in Rubric. tit. 35. num. 1. eo quod eſt indicium Officii Ferialis: *Ibidem.*

4 Si Titulare ſit beata Maria, etſi ſub ſpeciali invocatione, v. g. Mercedis, Aſſumptionis, Conceptionis, &c. ſolum fit commemorat. communis: *Sancta Maria, &c.* Quæ quidem commemoratio fit etiam, ubi ſancta Maria eſt Titularis, in Officio feriali, non obſtante, quod in Choro recitetur ejus Officium parvum, ex Decreto. S. R. C. 13. Junii 1681.

5 Si eccleſia dicata ſit nomine Omnium ſanctorum, fit de eis commemorat. in generali, quod quidem non obeſt commemorationibus ſanctorum in ſpeciali factis; (*Ibidem*) ſicut nec obeſt quominus infra Octavam Omnium ſanctorum fiat commemorat. de Ss. Vitale, & Agricola, eo quod una eſt in Communi, altera in ſpeciali; vel intelligatur com-

§. XII.

De Officio S. P. N. Petri Nolasci semel in Hebdomada.

1 OFficium S. P. N. Petri Nolasci, de quo Rubr. IX. num. 5. fit sicut in ejus die festo 31. Januarii, sed ritu semiduplici, & in eo dicuntur commemor. Consuetæ sanctorum, de quibus supra Rubr. VII. (excepta commemorat. S. P. N.) & Preces ad Primam, & Completorium, nisi in primis, vel secundis Vesperis concurrat cum festo duplici.

2 Ad Octavam Lectionem Benedictio erit: *Cujus festum colimus, ipse intercedat, &c.* ex Decreto citato Rubr. præced. n. 2. Si hoc Officium fiat tempore Paschali in fine Antiphonarum ℣℣. & ℟℟. additur *Alleluia*, & tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub prima Antiphona.

3 Lectiones primi Nocturni sumuntur de Scriptura occurrente; in secundo autem, & tertio Nocturno leguntur de infraoctava S. P. N. Petri Nolasci, distributæ per menses ordine ibi assignato.

§. XIII.

De Officio Conceptionis beatæ Mariæ in Sabbato.

1 OFficium semiduplex Conceptionis beatæ Mariæ in Sabbato per annum, juxta dicta Rub. IX. num. 3. sumitur ex ejus festo 8. Decembris in Brev. Rom. omissis illis verbis *hodiè*, & *hodiernam*. In Hispan. vero ut in codice Ss. Hisp. *ex concess. Clem. PP. XIII. sub die* 14. *Martii* 1767. Octavam Lectionem Benedictio erit, *Cujus festum colimus ipsa Virgo virginum, &c.* ex Decreto jam citato Rubr. XI. Fiunt commemorationes consuetæ, excepta commemor. beatæ Mariæ, & dicuntur Preces ad Primam, & Completorium, si non concurrat cum festo duplici.

2 Quoad terminationem Hymnorum Feria sexta, & Sabbato, servanda est Rubrica supraposita X. num. 2. præterquam in Sabbatis temporis Paschalis, in quibus prævalere debet propria terminatio temporis, propter Dominicam, de qua fit Officium à Capitulo, vel saltem commemor. ante commemor. Conceptionis, & tunc temporis Officium Conceptionis fit cum addito *Alleluia*, & tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub prima Antiphona.

3. Lectiones primi Nocturni sumuntur de Scriptura occurrente. In secundo autem, & tertio Nocturno leguntur Lectiones de infraoctava Conceptionis, scilicet, ordine, quo in proprio loco distribuuntur per menses.

§. XIV.

De Officio S. Raimundi Nonnati semel in mense.

1 OFficium sancti Raimundi Nonnati juxta dicta Rubr. IX. num. 6. fit sicut in die ejus festo 31. Augusti, sub ritu semiduplici, & in eo dicuntur Suffragia sanctorum, sive commemorationes consuetæ, & Preces ad Primam, & Completorium, nisi sit concursus cum duplici festo.

2 Ad Octavam Lectionem Benedictio erit *Cujus festum colimus, ipse intercedat, &c.* ex Decreto supra citato Rubr. XI. num. 2. Si autem hoc Officium fiat tempore Paschali, in fine Antiphonarum, ℣℣. & ℟℟. dicitur *Alleluia*, & tres Psalmi cujusli-

Digitized by Google

libet Nocturni dicuntur sub prima Antiphona.

3 Lectiones primi Nocturni leguntur de Scriptura occurrente; in secundo autem, & tertio Nocturno sumuntur de ipsamet infraoctava S. Raimundi Nonnati, ordine quo in ipsa infraoctava distribuuntur per menses.

§. XV.

De Officio S. Mariæ de Subsidio, vulgo de Socós semel in mense.

1 OFficium S. Mariæ de Socós, seu de Subsidio, juxta dicta Rubr. IX. num. 7. fit sicut in ejus die festo 21. Maii, sub ritu semiduplici, & in eo dicuntur commemorationes Consuetæ sanctorum, & Preces ad Primam, & Completorium, nisi concurrat cum festo duplici.

2 Ad Octavam Lectionem Benedictio erit: *Cujus festum colimus ipsa intercedat*, &c. ex Decreto supra citato Rubr. XI. n. 2. Si autem hoc Officium fiat tempore Paschali, in fine Antiphonarum, ℣℣. & ℟℟. dicitur *Alleluia*, & tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub prima Antiphona.

3 Lectiones primi Nocturni leguntur de Scriptura occurrente: in secundo autem, & tertio Nocturno sumuntur de ipsamet infraoctava S. Mariæ de Socós, ordine, quo ibi distribuuntur per menses.

§. XVI.

De Officio S. Jacobi Apostoli in Hispania Feria secunda.

1 OFficium S. Jacobi Apostoli Hispaniarum Patroni fit semiduplex qualibet Feria secunda per annum in Regnis Hispaniæ, juxta dicta Rubr. IX. num. 8. sumitur ex Officio proprio, prout in Ss. Hispaniæ, Tempore Paschali ea quæ non sunt propria, sumuntur de Communi Apostolorum illius temporis. Octava Benedictio est: *Cujus festum colimus*, &c. juxta dicta Rubr. XI. num. 2. Fiunt commemorationes consuetæ, excepta commemorat. S. Jacobi: & dicuntur Preces ad Primam, & Completorium, si non sit concursus cum festo duplici.

2 In primo Nocturno leguntur lectiones de Scriptura occurrente; in secundo, & tertio Nocturno de Octava, ordine, quo in proprio sanctorum Hispaniæ distribuuntur per menses.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO RECITANDA
ANTE DIVINUM OFFICIUM.

APeri Dómine os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis, & aliénis cogitatiónibus: intelléctum illúmina, afféctum inflámma; ut dignè, attentè, ac devótè hoc Officium recitáre váleam, & exaudíri mérear ante conspéctum divínæ Majestátis tuæ. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

DOmine, in unióne illíus divínæ intentiónis, qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas persólvo.

ABSOLUTIONES,
ET BENEDICTIONES
DICENDÆ ANTE LECTIONES.

IN PRIMO NOCTURNO.

Absolutio.

EXáudi Dómine Jesu Christe preces servórum tuórum, & miserére nobis: qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

1 Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

2 Unigénitus Dei Fílius nos benedícere, & adjuváre dignétur.

3 Spíritus sancti grátia illúminet sensus, & corda nostra.

IN II. NOCTURNO.

Absolutio.

IPsíus píetas, & misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

BE-

BENEDICTIONES.

4 Deus Pater omnípotens sit nobis propítius, & clemens. ℟. Amen.

5 Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ.

6 Ignem sui amôris accéndat Deus in córdibus nostris.

IN III. NOCTURNO.

Absolutio.

A Vínculis peccatôrum nostrôrum absólvat nos Omnípotens & misericors Dóminus. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

7 Evangélica léctio sit nobis salus, & protéctio. ℟. Amen.

8 Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

9 Ad societátem cívium supernôrum perdûcat nos Rex Angelôrum.

Si Officium sit de sancto, octava benedictio erit:

Cujus festum cólimus, ipse, vel ipsa intercédat pro nobis ad Dóminum.

Quando sunt plures, dicitur.

Quorum, vel Quarum festum cólimus, ipsi, vel ipsæ intercédant pro nobis ad Dóminum.

In Officio beatæ Mariæ octava benedictio erit:

Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

Quando in nona Lectione dicitur Evangelium cum Homilia, nona Benedictio erit:

Per Evangélica dicta deleántur nostra delicta.

OF-

OFFICIA PROPRIA FESTORUM ORDINIS B. MARIÆ DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

FESTA DECEMBRIS.

DIE IV. DECEMBRIS.

In festo sanctæ Barbaræ virg. & mart. Duplex.

Omnia ut in festo sanctæ Eulaliæ infra xij. Februarii, præter ea, quæ hìc sequuntur.

Oratio.

DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concêde propítius; ut qui beátæ Bárbaræ vírginis & mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiâmur. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BÁrbara virgo Nicomediénsis, Dióscori nóbilis, sed superstitiósi hóminis fília, per ea, quæ visibília facta sunt, ad invisibília, divína opitulánte grátia, fácilè pervênit. Quaprópter soli Deo, rebúsque divínis vacáre cœpit. Eam pater, útpote forma venustióri niténtem, à quocúmque virôrum occúrsu tutári cúpiens, turri inclûsit: ubi pia virgo meditatiónibus, & précibus addícta, soli Deo, quem sibi in sponsum elégerat, placêre studébat. Oblâta à patre plúries nobílium connúbia, fórtiter sprevit. Pater verò per sui abséntiam, filiæ ánimum posse facílius emollíri confidens, jussit primò bálneum éxtrui, ne quid ei deésset ad commoditâtem; deínde péregrè in éxteras regiónes profécus est. ℟. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedûcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua,

& pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna. Et dedûcet.

Lectio v.

ABſénte patre, juſſit Bárbara duâbus feneſtris, quæ in turri erant, tértiam addi in honôrem divínæ Trinitâtis, labiúmque bálnei ſacroſánctæ crucis ſigno muníri: quod ubi rédiens Dióſcorus inſpéxit, audíta novitâtis cauſa, ádeò in filiam excánduit, ut ſtricto enſe eam áppetens, parùm abfúerit, quin eam dirè confóderet; ſed præſtò ádfuit Deus; nam fugiénti Bárbaræ ſaxum ingens ſe pateſáciens, viam apéruit, per quam montis faſtígium pétere, & in ſpecu latêre pótuit: ſed paulò poſt, cùm à nequíſſimo genitôre repérta fuiſſet, ejus látera pédibus, dorſúmque pugnis immániter percúſſit, & crínibus per loca áſpera, difficiléſque vias raptâtam, Marciâno præſidi puniéndam trádidit.

℟. Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitâtem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & manſuetúdinem, & juſtítiam. Proptéreà.

Lectio vj.

ITaque ab ipſo ómnibus modis, ſed incáſſum tentâta, nuda nervis cædi, & inflícta vúlnera téſtulis confricári, deínde in cárcerem trahi præcêpit; ubi imménſa luce circúmdatus ei Chriſtus appárens, miríficè confortâtam, in paſſiônum toleránti a confirmâvit. Quod animadvértens Juliâna matrôna ad fidem convérſa, ejúſdem palmæ párticeps effécta eſt. Bárbaræ demum férreis úngulbus membra laniántur, fácibus látera incendúntur, & malléolis caput contúnditur, quibus in cruciátibus conſórtem ſolabâtur, & hortabâtur, ut ad finem uſque conſtánter certâret; præcíſis tandem utríque ubéribus, nudæ per loca pública tractæ cápite plectúntur, filiæque cervícem ipſe ſceleſtíſſimus pater humanitâtis expers, própriis mánibus amputâvit; cujus fera crudélitas non diù inúlta remánſit; nam ſtatim eo ipſo in loco fúlmine percúſſus intériit. Pars óſſium, & velum hujus beatíſſimæ mártyris in ſacroſáncta Eccléſia Lateranénſi, caput verò in oratório ad ſancta ſanctôrum honoríficè aſſervâtur.

℟. Afferéntur regi vírgines poſt eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatiône. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próſperè procéde, & regna.

Af-

Digitized by Google

Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cœlôrum decem virgin.

DIE VIII. DECÉMBRIS.

In festo Concept. B. M. V. Dupl. I. clas. cum Octava.

Omnia, ut in Breviario Romano. In Hispania omnia ut in Codice SS. Hispan.

Sed pro Sabbatis per annum in Officio votivo sub ritu semidupl.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente. In secundo, & tertio Noct. sumuntur ordine infrascripto.

Pro ménsibus Januárii, & Februárii, ut in die Festi.

Pro ménsibus Mártii, & Aprílis, ut in secunda die infra Octavam.

Pro ménsibus Maii, & Júnii, ut in tertia die infra Oct.

Pro ménsibus Júlii, & Augústi, ut in die quinta infra Octavam.

Pro ménsibus Septémber, & Octóber, ut in die septima infra Octavam.

Pro ménsibus Novémber, & Decémber, ut in die octava Concept.

DIE XVIII. DECÉMBRIS.

In festo Expectat. B. M. V. Dupl. in Ord. nostr.

Omnia, ut in fine Breviarii Romani.

FESTA JANUARII.

Dominica II. post Epiphan.

Festum SS. nominis Jesu, Duplex ij. clas.

Omnia, ut in Breviario Romano.

DIE XVII. JANUÁRII.

In festo S. Antonii Abbatis. Duplex ij. classis, cum Octava.

ABSOLÚTIO GENERÁLIS.

Omnia, ut in Breviario Romano.

Ad Matutinum, Lectiones primi Nocturni, Justus si morte, ut in Communi Confessoris non Pontificis.

In secundis Vesp. fit commemor. Cathedræ sancti Petri, sancti Pauli, & sanctæ Priscæ virginis & martyris.

DIE XVIII. JANUÁRII.

Secunda die infra Octav. sancti Antonii fit Officium de Cathedra sancti Petri. Dupl. cum commem. sancti Pauli, Octavæ, & sanctæ Priscæ, ut in Breviario.

In secundis Vesp. fit commemor. sancti Pauli, Octavæ, & Ss. Marii, Marthæ, Audifacis, & Abachum martyrum.

DIE XIX. JANUÁRII.

Tertia die infra Octavam sancti Antonii.

Omnia ut in die, præter ea quæ sequuntur.

In primo Noct. leguntur Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 59. *ad populum Antiochen.* & *Homil.* 14. *in* 1. *Epist. ad Timoth.*

Lectio iv.

BOnum est in domum luctus intrâre, quàm in domum risus. Verè lugéndi domus est monastérium, ubi saccus, & cinis, & solitûdo: ubi risus non est, neque seculárium turbêla negotiôrum: ubi jejúnium, & stratum humi cubîle: ómnia pura à nidôre, cruóribus, tumúltu, perturbatiône, & vexatiône. Portus est tranquíllus: ab ómnibus est mundus ille locus: siléntium, & quies multa: meum, & tuum ibi non est. Si verò unum vel álterum diem ibi mánseris, tunc plùs sénties voluptâtis.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

NOn est príncipum illic metus, non est dominôrum insoléntia, non est servôrum timor, non mulíerum tumúltus, non est puerôrum perturbátio, non arculârum multitûdo, neque supérflua véstium repositio; non aurum, non argéntum; non sunt custódiæ, non cellárium, non alium quidquam hujúsmodi: sed ómnia sunt oratiône plena, hymnis ómnia, ómnia spirituáli fragrántia, nihil ibi carnále. Latrônum non timent insídias; nec enim habent quo spoliéntur: pecúniæ non adsunt: corpus est, & ánima; si hac privéntur, jactûram non fáciunt, sed proficiunt. Mihi namque vívere Christus est, inquit, & mori lucrum.

℟. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornâvit eum. Et ad portas.

Homilia 8. *in Matthæum.*

Lectio vj.

QUisquis monastérii gnarus est, ista quæ dícimus recognóscit: si verò habitácula illa nondum novit, consíderet virum per cunctôrum usque hódie ora volitántem: quem Apostolôrum simíllimum Ægyptus prótulit: beâtum dico, & magnum illum, de quo sæpè audístis, Antónium, & respíciat, quia hic quoque illius fúe-

fuerit regiônis indígena, cujus étiam Phárao, sed nihil sit inde vitiâtus, nam & visiône Dei dignus est hábitus, & talem vitam prorsus osténdit, qualem habêre student mílites Christi. Hoc autem fácilè cognóverit, quisquis eum légerit librum, qui vitæ ejus texit históriam, in quo étiam prophetíam lucéntem vidêbit.

℟. Iste homo perfêcit ómnia quæ locûtus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervênit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 12. e*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 13. in Evangelia.

HOmo etsi quædam bona aliquándo pro honestâte ínchoat; in ejus tamen intentiône non debet permanêre, nec per bona ópera præséntis mundi glóriam quærere, sed totam spem in Redemptôris sui advéntum constítuat. Unde & prótinùs súbditur: Et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertâtur à núptiis. Ad núptias quippè Dóminus ábiit, quia resúrgens à mórtuis, ascéndens in cœlum, supérnam sibi angelôrum multitúdinem novus homo copulâvit. Qui tunc revértitur, cùm nobis jam per judícium manifestâtur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operâtus est, & de omni corde suo laudâvit Dóminum: * Ipse intercêdat pro peccátis ómnium populôrum. ℣. Ecce homo sine querêla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, & pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viij.

BEnè autem de servis expectántibus súbditur: Ut cum vénerit, & pulsáverit, conféstim apériant ei. Venit quippè Dóminus, cùm ad judícium próperat: pulsat verò, cùm jam per ægritúdinis moléstias esse mortem vicínam desígnat. Cui conféstim aperímus, si hunc cum amôre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsánti non vult, qui exíre de córpore trépidat; & vidêre eum,

quem contempsísse se mémini, júdicem formídat. Qui autem de sua spe & operatióne secûrus est, pulsánti cônféstim áperit, quia lætus júdicem sústinet, & cum tempus propínquæ mortis advénerit, de glória retributiônis hilaréscit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: *Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigilâte ergo, quia nescîtis, qua hora Dóminus vester ventûrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Pro Ss. Mm. Mario, Martha, Audiface, & Abachum

Lectio ix.

MArius Persa, nóbili loco natus, cum Martha cónjuge pari nobilitáte, & duôbus filiis Audíface, & Ábachum, Romam venit Cláudio Imperatôre, ut mártyrum sepúlchra venerarêtur. Ibi Christiános in víncula conjéctos fovébant, & ópera ac facultátibus suis sustentábant, & sanctôrum córpora sepeliébant. Quámobrem comprehénsi omnes, cùm nec impiôrum minis, nec terrôre commoveréntur, ut diis sacrificárent; primùm fústibus debilitáti, deínde fúnibus attrácti, tum admótis candéntibus láminis combústi, & úngulis férreis excarnificáti sunt. Postrémò præcísis mánibus, & ad collum alligátis, ducti per médiam urbem, via Cornélia ad tértium décimum ab Urbe milliárium, in eum locum qui Nymphe dicebâtur, necántur: ac primùm Martha, quæ virum, ac filios ad supplícia pro Jesu Christi fide constánter perferénda, veheménter fúerat cohortâta: mox cæteris in eâdem arenária cervíces abscindúntur, eorúmque córpora conjiciúntur in ignem. Quæ semiústa, Felícitas matrôna Románа nóbilis, colligénda, & in suo prædio sepeliénda curâvit.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem. Ss. Marii, Marthæ, &c.

Vesperæ dicuntur de sequenti festo, cum commemor. Octavæ.

DIE XX. JANUÁRII.

Quarta die infra Octavam sancti Antonii, fit Offic. de sanctis martyribus Fabiano & Sebastiano. Duplex, ut in Breviario, cum commemor. Octavæ.

DIE XXI. JANUÁRII.

Quinta die infra Octavam sancti Antonii, fit Offic. de sancta Agnete virgine & mar-

martyre. Duplex, ut in Breviar. cum commemor. Oct.

DIE XXII. JANUARII.

Sexta die infra Octavam sancti Antonii, fit Offic. de sanctis martyribus Vincentio, & Anastasio, Semidupl. ut in Breviar. cum commem. Octavæ.

Vesperæ de sequenti festo, absque ulla commemor.

DIE XXIII. JANUARII.

In festo sancti Raimundi de Peñafort, Confess. Dupl. secundæ clas. cum Octava.

Omnia de Communi Confes. non Pontif. præter ea, quæ hìc assignantur.

Ad Matutinum in primo Nocturno Lectiones: Justus, si morte, de eodem Comm.

In secundo, & tertio Nocturno, ut in Breviario: nona Lectio, & commem. in Laudibus tantùm de sancta Emerentiana virgine & mart.

In secundis Vesperis, fit commemor. Octavæ sancti Antonii Abbat. ut in primis Vesperis.

DIE XXIV. JANUARII.

Octava sancti Antonii Abb. Duplex.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno, de Sermone sancti Bernardi Abbatis: Gaudête in Dómino, ut infra in die Octava S. P. N. Petri Nolasci, die vij. Februárii. Responsoria ut supra die xix. hujus.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12. *e*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilia sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Serm. de Confessoribus.

SI justum Dómini sermônem secúndùm litteram velîmus accípere, nihil in eo cómmodi spiritâlis póssumus invenire. Quid enim próficit ad ánimæ salûtem, si áliquis corporáliter aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnâlis osténditur: in lucérnis verò fides, & cháritas christiána monstrâtur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrænári. Imperans autem, ut lucérnas ardéntes habeâmus, hoc útique jubet, ut & lúmine veræ fidei splendeâmus, & sanctæ charitâtis opéribus ferveâmus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes. 5.

Lectio viij.

ISta, quæ de Evangélio propoſúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrumque enim Testaméntum Deus instítuit, unus Dóminus dedit, etsi sunt utriúsque Testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta; concórdat tamen in utrôque salûtis humánæ senténtia, qua præcípitur, ut non peccêmus, & jubêtur ut bonis opéribus insistâmus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiônum vestrârum ab óculis meis, quiéscite pervérsè ágere, díscite benefácere. Quid est enim, Sint lumbi vestri præcíncti, nisi, quiéscite ágere, pervérsè? Quid est, Sint lucérnæ ardéntes: nisi, díscite benefácere?

℟. Sint lumbi vestri. 6.

Lectio ix.

PRæcingúntur enim fidélium lumbi, dum concupiscéntia mala comprímitur; dum iníqua cogitátio cohibêtur, dum libídini resístit ánimus; dum lascíviæ denegâtur afféctus, dum calcâtur luxúria, dum avarítia contémnitur & rapina, dum próximi læsio devitâtur, dum supérbia vincitur, dum invídia superâtur. Ardent verò lucérnæ fidélium, dum rectæ fidei régulam servant; dum in sinu matris Ecclésiæ longanímiter persevérant, dum terréna contémnunt, & cœléstia concupíscunt, dum solíciti pacem custódiunt, dum se ínvicem purè díligunt, dum mútuo se honôre prævéniunt, dum mansuetúdine cordis & humilitâte profíciunt, dum misericórdiæ ópera libénter, atque hiláriter fáciunt, dumque in opéribus bonis, non homínibus, sed Deo placêre conténdunt.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem. Octavæ sancti Raimundi.

Antiphona. Similâbo eum. ℣. Amâvit eum.

Vesperæ de Conversione sancti Pauli cum commem. sancti Petri, & Octavæ sancti Antonii Abbatis. Aña. Hic vir. ℣. Justum dedúxit Dóminus.

Deindè Octavæ sancti Raimundi, Antiph. Euge serve bone, de Laudibus. ℣. Amâvit eum.

DIE XXV. JANUÁRII.

Tertia die infra Octavam sancti Raimundi de Peñafort, fit Offic. de Conversione sancti Pauli. Dupl. ut in Breviar. cum commemorat. sancti Petri, & Octavæ.

Digitized by Google

DIE XXVI. JANUÁRII.

Quarta die infra Octavam sancti Raimundi de Peñafort, fit Offic. de sancto Polycarpo Episc. & mart. Semidupl. ut in Brev. cum commemor. Octavæ.

DIE XXVII. JANUÁRII.

Quinta die infra Octavam, fit Officium de sancto Joanne Chrysostomo Episcopo, & Confess. Dupl. ut in Brev. cum commemor. Octavæ in Laud. ℣. Amâvit.

Extra Hispaniam in Vesp. à Capitulo fit de sancto Ildephonso Confes. atque Pontif. cum commem. sancti Joannis Chrysostomi, Octavæ, & sanctæ Agnetis secundò.

In Hymno, **Iste Conféssor**, mutatur tertius ℣. & dicitur Oratio. **Exáudi quæsumus Dómine preces nostras**, de Communi.

In Hispania Vesperæ sancti Juliani Episcopi, & Conf. cum commem. sancti Joannis Chrysost. tantùm.

DIE XXVIII. JANUÁRII.

Sexta die infra Octavam sancti Raimundi de Peñafort, fit Officium extra Hisp. de sancto Ildephonso Archiepisc. Toletano, & Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontific. præter ea, quæ sequuntur.

In primo Nocturno Lectiones de Communi, **Fidélis sermo.**

In secundo Nocturno.

Ex Surio tom. I. & aliunde.

Lectio iv.

ILdephónsus, qui & Alphónsus dícitur, natiône hispânus, Toléti nobilíssimis Stéphano, & Lúcia paréntibus ortus, omníque cura nutrítus, liberálibus disciplínis instructus est. Primùm hábuit præceptôrem Eugénium Toletânum Antístitem, à quo miram ob índolem Híspalim ad Isidôrum, mira tunc eruditiône polléntem, est missus. Duódecim apud Isidôrum commorâtus annos, tandem fruge bona, doctrinâque sana imbûtus, Tolêtum remeâvit ad Eugénium. Postquam verò factus est ob vitæ candôrem, peritiámque non vulgârem, ab Eugénio Ecclésiæ Toletánæ Archidiáconus, mundi cúpiens láqueos declinâre; in Agaliénsi monastério, quod sanctis martyribus Cosmæ, & Damiáno tunc erat dicâtum, insígne pietâtis cucúllum índuit. Cui neque paréntes, jam prece, jam vi, ómnia tentántes, obsístere valuérunt, quin constánter in propósito permanêret.

℟. Invéni David servum meum,

Digitized by Google

meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitâtis non nocêbit ei. Manus enim.

Lectio v.

MOnachi non multò post, Ildephónsum in demórtui Abbâtis locum subrogárunt: suscipiébant síquidem in eo, præter virtûtes réliquas, æquitâtem, morum facilitâtem, prudéntiam, raram sanctitúdinem. Tantus ítaque fulgor, tanta veræ pietâtis lux, quod ipse timêbat, latêre non pótuit. Eugénio namque vita functo, cleri, senátus, totiúsque pópuli decréto Toletânus Archiepíscopus est creâtus. In quo quidem præsulátu, quantum verbo Ildephónsus profécerit, quæ mirácula edíderit, quàm multis fúerit nomínibus de Vírgine matre benè méritus, non fácilè, quis explicâre quíverit. Cœnóbium vírginum in Dubiénsi víllula ædificâvit, ac magnis munéribus auxit. Hæréticos quósdam, qui in Hispánia hæresim Elvidiânam, tolléntem perpétuam Maríæ Dei genitrícis virginitâtem, disseminábant, doctíssimè confutâvit, ab Hispaniáque dépulit: quam disputatiônem explicâvit libro, quem scripsit de beátæ Maríæ virginitâte, rem miráculo confirmánte. Cùm enim Ildephónsus ad preces matutínas, Expectatiônis beátæ Maríæ in ecclésiam nocte descénderet, cómites ejus in ecclésiæ límine fulgôre quodam repentíno detérriti, retrocessérunt. Ille verò intrépidus ad aram progréssus, Vírginem ipsam vidit, & adorâvit: ab eadémque vestem, qua in sacrificiis uterêtur, accêpit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, & exaltâvi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

CUm étiam dies sanctæ Leocádiæ festus agerêtur, & clerus, frequénsque pópulus convenísset, Ildephónsus ad sepúlchrum vírginis Leocádiæ accédens, flexis supplíciter génibus precabâtur. Et ecce reserâto repénte sarcóphago, Leocádia sanctíssima pródiit: videntibúsque cunctis & audiéntibus, Ildephónsi mérita de vírgine María commendâvit, dicens: O Ildephónse, per te vivit Dómina mea, quæ cœli cúlmina tenet. Et præsule collau-

dá-

dáto redíbat. Ildephónsus, ne res sine téstibus tanta pósteris referrêtur, arrépto Recesvínthi regis, qui fortè tunc áderat, gladíolo, veláminis partem, quo caput Leocádiæ tegebâtur, resécuit: eámque cum régio simul cultro célebri pompa in sacrárium íntulit; ubi usque hódiè servâtur. Scripsit multa luculentióri sermône, quorum, váriis molestiârum occupatiónibus impedítus, áliqua cœpta, áliqua semiplêna relíquit. Obiit tamen divus Ildephónsus felíciter, ac sanctè, cùm sedísset in Episcopátu annos novem, menses duos: sepultúsque est in basílica Leocádiæ circa annum Dómini sexcentésimum septuagésimum séptimum, Recesvíntho in Hispánia regnánte. Cujus corpus in generáli à Saracénis Hispaniârum occupatióne, in civitâtem Zamorénsem translâtum est: & in ecclésia beáti Petri honoríficè quiéscens, magna illíus pópuli religiône cólitur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operâtus est, & omnis terra doctrína ejus replêta est :: * Ipse intercêdat pro peccátis ómnium populôrum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervênit ad cœléstia regna. Ipse intercêdat. Glória Patri. Ipse intercêdat.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Augustini Episcopi in Evang. Vos estis sal terræ, ut in Communi Doctorum.

Lectio nona de sancta Agnete Secundò, ut in Breviar.

In Laudibus fit commem. Octavæ. Antiphona, Euge serve bone. ℣. Amâvit eum Dóminus. Deinde sanctæ Agnetis Secundò, ut in Breviar.

In Hispania fit hodie de sancto Juliano Episcopo, & Confes. Dupl. ij. clas. cum Octav. ut in proprio sanctorum Hispaniæ absque comm. Octavæ sancti Raimundi.

In secundis Vesper. commemor. festi sequentis, tantùm.

DIE XXIX. JANUÁRII.

Septima die infra Octav. sancti Raimundi de Peñaf. fit de sancto Francisco Salesio Episc. & Conf. Dupl. ut in Brev. cum comm. Oct. & in Hispania fit etiam comm. Oct. sancti Juliani, Antiph. Sacérdos, &c. de Vesper. ℣. Elêgit eum Dóminus.

In Vesper. à Capitulo de die Octava sancti Raimundi de Peñaf. cum comm. præc. & in Hispania Octava sancti Juliani, Antiph. Euge serve bone, de Laud. ℣. Elêgit eum Dóminus.

Digitized by Google

DIE XXX. JANUÁRII.

Vigilia S. P. N. Petri Nolasci.

Octava sancti Raimundi de Peñafort. Duplex. Omnia, ut in die, præter ea, quæ sequuntur.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno, de Sermone sancti Bernardi Abbatis, Gaudête in Dómino, ut infra in die Octava S. P. N. Petri Nolasci, die vij. Februarii.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Fulgentii Episcopi in Evangel. Sint lumbi vestri præcíncti, ut supra in die Octava sancti Antonii Abb.

Pro Vigilia S. P. N. Petri Nolasci Lectio ix.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Cap. 5.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 15. *in cap.* 5. *Matth. vers.* 8.

HIc non tantum pecúniæ largitóres dícere mihi vidêtur, sed étiam eos, qui opéribus misericórdiam exércent. Várii enim sunt miseréndi modi, & latum est præcéptum. Quod ígitur illôrum est præmium? quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Et vidêtur quidem æquâlis esse retribútio; sed est ipso bono ópere longè major. Ipsi namque miseréntur ut hómines, sed misericórdiam consequéntur ab universôrum Deo. Non sunt autem æquáles humâna miserátio, & divína: sed quantum inter malítiam, & bonitâtem discrímen est, tantum inter hoc, & illud.

In Laudibus fit commem. Vigiliæ, ut in Psalterio.

Oratio.

SAncti patris nostri Petri, cujus prævenímus venerándam festivitâtem, fac nos, quæsumus Dómine, ardentíssimam charitâtem imitári, & tuôrum fidélium captivôrum libertáti esse semper inténtos. Per Dóminum nostrum.

In Hispania fit ad Laudes commem. Octavæ sancti Juliani. ℣. Amâvit. Deinde Vigiliæ, ut suprà.

Vesperæ de S. P. N. Petro Nolasco sine ulla commemorat.

DIE

Digitized by Google

DIE XXXI. JANUARII.

IN FESTO

SANCTI PETRI NOLASCI

CONFESSORIS, PATRIS NOSTRI, ORDINIS PATRIARCHÆ, ET FUNDATORIS.

Duplex primæ classis cum Octava.

ABSOLÚTIO GENERÁLIS.

Ad Vesperas, Aña.

REdemptiônem misit Dóminus pópulo suo, quam mandâvit Petro fámulo suo.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos,* scabéllum pedum tuôrum.

Virgam virtûtis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domināre in médio inimicôrum tuôrum.

Tecum princípium in die virtûtis tuæ in splendóribus sanctôrum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurâvit Dóminus, & non pœnitêbit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrêgit in die iræ suæ reges.

Judicâbit in natiónibus, implêbit ruínas: * conquassâbit cápita in terra multôrum.

De torrénte in via bibet: * proptéreà exaltâbit caput.

Aña. Redemptiônem misit Dóminus pópulo suo, quam mandâvit Petro fámulo suo.

Aña. Ab infántia mea crevit mecum miserátio, & ex útero matris meæ egréssa est mecum.

Psalmus 110.

COnfitêbor tibi Dómine in toto corde meo: * in consílio justôrum, & congregatiône.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia

opus

opus ejus : * & justítia ejus manet in séculum séculi.
Memóriam fecit mirabílium suôrum, miséricors & miserâtor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.
Memor erit in séculum testaménti sui: * virtûtem óperum suôrum annuntiâbit pópulo suo.
Ut det illis hæreditâtem géntium: * ópera mánuum ejus véritas & judícium.
Fidélia ómnia mandâta ejus: confirmâta in séculum séculi, * facta in veritâte, & æquitâte.
Redemptiônem misit pópulo suo: * mandâvit in ætérnum testaméntum suum.
Sanctum, & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.
Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudâtio ejus manet in séculum séculi.
Aña. Ab infántia mea crevit mecum miserátio, & ex útero matris meæ egréssa est mecum.
Aña. Pecúnias suas non dedit ad usûram, sed pro captívis ipse commutâvit.

Psalmus 111.

Beâtus vir, qui timet Dóminum: * in mandâtis ejus volet nimis.
Potens in terra erit semen ejus: * generâtio rectôrum benedicêtur.
Glória & divítiæ in domo ejus: * & justítia ejus manet in séculum séculi.
Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors, & miserâtor, & justus.
Jucúndus homo, qui miserêtur & cómmodat, dispônet sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit justus: * ab auditiône mala non timêbit.
Parâtum cor ejus sperâre in Dómino, confirmâtum est cor ejus: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.
Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in séculum séculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.
Peccâtor vidêbit, & irascêtur, déntibus suis fremet, & tabéscet: * desidérium peccatôrum períbit.
Aña. Pecúnias suas non dedit ad usûram, sed pro captívis ipse commutâvit.
Aña. Magno charitâtis exémplo ánimam suam pro fidélibus liberándis Dómino consecrâvit.

Psalmus 112.

Laudâte púeri Dóminum: * laudâte nomen Dómini.

Digitized by Google

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.
A solis ortu usque ad occáſum, * laudábile nomen Dómini.
Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.
Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra?
Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem:
Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.
Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.
Aña. Magno charitátis exémplo ánimam suam pro fidélibus liberándis Dómino consecrávit.
Aña. Liberávit páuperem à poténte, & ínopem, cui non erat adjútor.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum omnes gentes: * laudáte eum omnes pópuli.
Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.
Antiphona. Liberávit páuperem à poténte, & ínopem, cui non erat adjútor.

Capitulum. 1. *Joan.* 3. c

IN hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis póſuit: & nos debêmus pro frátribus ánimas pónere.

Hymnus.

PEtre, qui, jussu Genitrícis almæ
Eripis dura dómitos caténa,
Líberans plebem propè serviéntem
Móribus atris.
Hoc apis quondam dócuit futûrum,
Insidens quando mánibus tenéllis
Melle fœcúndat, puerúmque sacro
Néctare complet.
Te patrem nati venerámur omnes,
Súpplices, & te précibus vocámus;
Ut tuus nostris géminus novêtur
Córdibus ardor.
Vincla vesánæ Stygis, & laténtes
Dæmonis technas ánimis repélle,
Ne tuos cæco máculis subactos
Cárcere cláudant.
Qui dedit vires iter inchoándi

Digitized by Google

Adsit ingréssis Pater, atque Patre
Adsit ætérnùm Génitus, nec absit
Spíritus almus. Amen.

℣. Ora pro nobis P. N. S. Petre. ℟. Ut digni efficiâmur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat,

Aña. Majôrem charitâtem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Canticum B. Mariæ virginis. Lucæ 1. c

MAgníficat * ánima mea Dóminum:

Et exultâvit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitâtem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beâtam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * & exaltâvit húmiles.

Esuriéntes implêvit bonis: * & dívites dimîsit inánes.

Suscêpit Israël púerum suum, * recordâtus misericórdiæ suæ.

Sicut locûtus est ad patres nostros, * Abraham, & sémini ejus in sécula.

Aña. Majôrem charitâtem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Oratio.

DEus, qui in tuæ charitâtis exémplum, ad fidélium redemptiônem, sanctum Petrum patrem nostrum Ecclésiam tuam nova prole fœcundâre divínitùs docuísti: ipsîus nobis intercessiône concêde, à peccáti servitûte solûtis, in cœlésti pátria perpétua libertâte gaudêre. Qui vivis & regnas.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Christum Redemptôrem Dóminum: Venîte adorêmus.

Psalmus 94.

VEnîte, exultêmus Dómino, jubilêmus Deo salutári nostro: præoccupêmus fáciem ejus in confessiône, & in psalmis jubilêmus ei.

Christum Redemptôrem Dóminum: * Venîte adorêmus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit. Venîte adorêmus.

Quóniam ipsîus est mare, & ip-

ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte adorêmus, & procidâmus ante Deum: plorêmus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Christum Redemptôrem Dóminum: * Veníte adorêmus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndùm diem tentatiônis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, & vidérunt ópera mea. Veníte adorêmus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde: ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira meá, si introíbunt in réquiem meam.

Christum Redemptôrem Dóminum: * Veníte adorêmus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculôrum. Amen.

Veníte adorêmus.

Christum Redemptôrem Dóminum: * Veníte adorêmus.

Hymnus.

VOce concórdi sóboles beáti
Glóriam patris resonáre perge:
Ipse, quas laudes cánimus, benígno
Corde sequâtur.

Quem Deo pronum gregis offeréntem
Vota captívi, lácrymis fluéntem,
Virgo dignâtur recreâre mœstum
Ore seréno.

Indicat cœlo cui lapsa Virgo
Rem sibi gratam fore, Filiôque
Vírginis matris sacer Ordo si quis
Nómine surgat.

Impiger paret Dóminæ monénti,
Se suam quarti sobolémque voti,
Cháritas numquam pia quo tepéscat
Néxibus urget.

Glóriam Patri, genitæque Proli,
Ritè dicâmus, parilémque sumat
Spíritus sanctus, Deus unus, omni
Dignus honôre. Amen.

In primo Nocturno,

Aña. Dum jacêret Petrus in cunis, in déxtera ejus apes favum mellis mirabíliter extruxérunt.

Psalmus I.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiôrum, & in via peccatôrum non

 ste-

stetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non sedit:
S ed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die, ac nocte.
E t erit tamquam lignum, quod plantâtum est secus decúrsus aquârum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.
E t fólium ejus non défluet: * & ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur.
N on sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus à fácie terræ.
I deò non resúrgent ímpii in judício: * neque peccatóres in concílio justôrum.
Q uóniam novit Dóminus viam justôrum: * & iter impiôrum peribit.
Aña. Dum jacêret Petrus in cunis, in déxtera ejus apes favum mellis mirabíliter extruxérunt.
Aña. Dirupísti Dómine víncula eôrum, & projecísti ab eis jugum ipsôrum.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?
A stitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, * advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus.
D irumpâmus víncula eôrum: * & projiciâmus á nobis jugum ipsôrum.
Q ui hábitat in cœlis, irridèbit eos: * & Dóminus subsannâbit eos.
T unc loquêtur ad eos in ira sua, * & in furôre suo conturbâbit eos.
E go autem constitûtus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.
D óminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.
P óstula à me, & dabo tibi gentes hæreditâtem tuam, * & possessiônem tuam términos terræ.
R eges eos in virga férrea, * & tamquam vas figuli confrínges eos.
E t nunc reges intellígite: * erudímini qui judicâtis terram.
S ervíte Dómino in timôre, * & exultâte ei cum tremôre.
A pprehéndite disciplínam, nequándo irascâtur Dóminus, * & pereâtis de via justa.
C um exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes que confidunt in eo.
Aña. Dirupísti Dómine víncula eôrum, & projecísti ab eis jugum ipsôrum.
Aña. Gáudium magnum habeâmus, & consolatiônem in charitâte beáti patris nostri,

quia

quia víscera sanctôrum requievérunt per eum.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporâtus sum: * & exurréxi, quia Dóminus suscêpit me.

Non timêbo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatôrum contrivísti.

Dómini est salus: * & super pópulũ tuum benedíctio tua.

Aña. Gáudium magnum habeâmus, & consolatiônem in charitâte beáti patris nostri, quia víscera sanctôrum requievérunt per eum. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. Pater noster. Absolutio. Exáudi Dómine. ℣. Jube domne. Bened. Benedictiône perpétua.

De libro Exodi.

Lectio j. *Cap.* 3.

Moyses autem pascêbat oves Jethro sóceri sui sacerdôtis Mádian: cùmque minásset gregem ad interiôra desérti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi: & vidêbat quòd rubus ardêret, & non comburerêtur. Dixit ergo Móyses: Vadam, & vidêbo visiônem hanc magnam, quare non comburâtur rubus. Cernens autem Dóminus quòd pérgeret ad vidéndum, vocâvit eum de médio rubi, & ait: Móyses, Móyses. Qui respóndit, Adsum. At ille: Ne apprópies, inquit, huc: solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.

℟. Iste est beâtus Petrus, charitâtis Christi miríficus imitâtor: * Qui opes suas in páuperes erogâvit, & ánimam pónere pro fidélibus captívis non dubitâvit. ℣. Ab infántia crevit cum eo miserátio, & de útero matris ejus egréssa est cum eo. Qui opes. Benedict. Unigénitus Dei Fílius.

Digitized by Google

Lectio ij.

ABscóndit Móyses fáciem suam: non enim audêbat aspícere contra Deum. Cui ait Dóminus: Vidi afflictiônem pópuli mei in Ægypto, & clamôrem ejus audívi propter durítiam eôrum qui præsunt opéribus: & sciens dolôrem ejus, descéndi, ut líberem eum de mánibus Ægyptiôrum, & edûcam de terra illa in terram bonam, & spatiôsam, in terram quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi. Clamor ergo filiôrum Israël venit ad me: vidíque afflictiônem eôrum, qua ab Ægyptiis opprimúntur. Sed veni, & mittam te ad Pharaônem, ut edúcas pópulum meum, filios Israël de Ægypto. Dixítque Móyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaônem, & edûcam filios Israël de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habêbis signum, quòd míserim te: Cùm edúxeris pópulum meum de Ægypto, immolàbis Deo super montem istum.

℟. Manéte in dilectiône mea: * Majôrem hac dilectiônem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. ℣. In hoc appáruit cháritas Dei in nobis: quia ille ánimam suam pro nobis pósuit, & nos debêmus pro frátribus ánimam pónere. Majôrem.

Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iij.

AIt Móyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus Patrum vestrôrum misit me ad vos. Si díxerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Móysen: Ego sum, qui sum. Ait: Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Dixítque íterum Deus ad Móysen: Hæc dices filiis Israël: Dóminus Deus patrum vestrôrum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in ætérnum, & hoc memoriâle meum in generatiônem & generatiônem. Vade, & cóngrega senióres Israël, & dices ad eos: Dóminus Deus patrum vestrôrum appáruit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, dicens: Vísitans visitávi vos, & vidi ómnia quæ accidérunt vobis in Ægypto: Et dixi, ut edûcam vos de afflictiône Ægypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi,

&

Digitized by Google

& Jebusæi, ad terram fluéntem lacte, & melle. Et áudient vocem tuam: ingredierísque tu, & senióres Israël, ad regem Ægypti, & dices ad eum: Dóminus Deus Hebræôrum vocâvit nos: íbimus viam trium diêrum in solitúdinem, ut immolêmus Dómino Deo nostro.

℟. Qui dedit ánimam suam pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitâte: * Misit Petrum fámulum suum, ut crúeret sedéntes in ténebris, & umbra mortis. ℣. Humiliâtum est in labóribus cor eôrum: infirmáti sunt, nec erat qui adjuvâret. Misit Petrum. Glória Patri. Misit.

In secundo Nocturno,

Aña. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in séculum séculi.

Psalmus 4.

CUm invocârem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatiône dilatásti mihi.

Miserêre mei, * & exáudi oratiônem meam.

Fílii hóminum úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitâtem, & quæritis mendácium?

Et scitôte quóniam mirificâvit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccâre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificâte sacrificium justítiæ, & sperâte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signâtum est super nos lumen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, & requiéscam;

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Aña. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in séculum séculi.

Aña. Petrus Ordinis nostri pater ex opéribus justificâtus est, ófferens seípsum in redemptiônem captivôrum.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamôrem meum.

Inténde voci oratiônis meæ. * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orâbo: * Dómine manè exáudies vocem meam.

Manè astâbo tibi, & vidêbo: * quóniam non Deus volens iniquitâtem tu es.

Neque habitâbit juxta te malígnus: * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Digitized by Google

Odísti omnes, qui operántur iniquitâtem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.
Virum sánguinum & dolôsum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.
Introíbo in domum tuam: * adorâbo ad templum sanctum tuum in timôre tuo.
Dómine deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.
Quóniam non est in ore eôrum véritas: * cor eôrum vanum est.
Sepúlchrum patens est guttur eôrum, linguis suis dolósè agébant: * júdica illos Deus.
Décidant à cogitatiónibus suis, secúndùm multitúdinem impietâtum eôrum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.
Et lætèntur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt, & habitâbis in eis.
Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.
Dómine, ut scuto bonæ voluntâtis tuæ * coronâsti nos.
Aña. Petrus Ordinis nostri pater ex opéribus justificâtus est, ófferens seípsum in redemptiônem captivôrum.
Aña. Pergêbat ad omnes, qui in captivitâte erant, & mónita salûtis dabat eis.

Psalmus 8.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Quóniam elevâta est magnificéntia tua * super cœlos.
Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultôrem.
Quóniam vidêbo cœlos tuos, ópera digitôrum tuôrum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.
Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?
Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glória & honôre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuârum.
Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi.
Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.
Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Aña. Pergêbat ad omnes, qui in captivitâte erant, & mónita salûtis dabat eis. ℣. Salvávit eos de manu odiéntium.

℟.

Digitized by Google

℟. Et redémit eos de mánibus inimicórum. Pater noster. Absolut. Ipsius píetas.
℣. Jube domne. Bened. Deus Pater omnípotens.

Lectio iv.

PEtrus Nolásco, Carcasóne nobílibus paréntibus natus, quanta futûrus esset charitâte conspícuus, mirabíliter demonstrâtum fuit, cùm ad ejus déxteram, in cunábulis adhuc vagiéntis, apum exâmen cónvolans, ibi favum mellis extrúxerit. Adoléscens paréntibus orbâtus, Albigénsium hæresim, quæ tunc in Gálliis vigêbat, abhórrens; divéndito património, copiósis refértus ópibus Hispániam pétiit, & apud beatíssimam vírginem Montis Serráti votum, quod nuncupáverat, exólvit. Demum Barchinônam pervênit, ubi substántias in Christi fidélibus, ab hóstibus dura servitûte oppréssis, rediméndis, cùm penè consumpsísset, seípsum pro iis liberándis venum ire, aut in illôrum víncula súffici cúpere dictitâbat.

℟. Confitémini Dómino quóniam bonus: * Quóniam in séculum misericórdia ejus.
℣. Dicant qui redémpti sunt à Dómino, quos redêmit de manu inimíci, & de regiónibus congregâvit eos. Quóniam. Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v.

HOc tam pii ánimi desidérium ádeò Deus gratum hábuit, ut ipsi noctu sanctis meditatiónibus incumbénti, cùm cogitâret qua ratiône Christianôrum calamitátibus in captivitâte degéntium succúrri posset, beatíssima virgo ápparens suggésserit, acceptíssimum Fílio suo, sibíque futûrum, si ad sui honôrem religiosôrum Ordo instituerêtur, quibus præcípuè esset cura, captívos è Turcârum tyránnide liberándi. Cujus cœlésti mónito, unà cum sancto Raimúndo de Peñáfort, & Jacóbo Primo Aragóniæ rege, qui éadem ipsa à sanctíssima Dei genitríce intelléxerant, íllicò obtémperans, religiônem beátæ Maríæ de Misericórdia Redemptiônis captivôrum instítuit: suis sodálibus quarto obstríctis voto, manéndi in pignus sub paganôrum potestâte pro Christianôrum, si opus fúerit, libertâte: multis inde & per se, & per suos religiósos è caténis érutis. Egênus hanc ob rem factus, totam ferè Hispániam non semel pédibus peragrâvit, ut colléctâ stipe míseros captívos redímeret;

ádeò ut ad hoc opus fratrum necessária aliménta quandôque distráxerit.

℟. Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me: evangelizâre paupéribus misit me, sanâre contrítos corde: * Prædicâre captívis remissiônem. ℣. Exémplum dedi vobis, ut quemádmodum ego feci, ita & vos faciâtis. Prædicâre. Benedict. Ignem sui amôris.

Lectio vj.

Virginitâtis voto ab adolescéntia facto, perpétuam servâvit castitâtem. Dura cubâbat humo. Vigíliis, jejúniis, verbéribus ita corpus excruciâbat, ut penè stare nequíret. Fidem Cathólicam propagâvit, multis è ténebris Mahometánæ sectæ ad veritâtis lucem edúctis. Prophetíæ dono fuit illústris: ita ut Jacôbus rex, de victória cértior ab eo factus, Valéntiam à Mauris jam obténtam expugnáverit. Humilitâtis amôre persæpè à rege oblátas réspuit dignitâtes. Angeli custôdis ac ipsíus Deíparæ vírginis frequénti apparitiône dignâtus. Sénio tandem conféctus, à sancto Raimúndo Nonnáto, cujus sepúlchrum adíerat, de propínqua morte commónitus, in morbum íncidit: sanctísque reféctus sacraméntis, fratres ad charitâtem erga captívos exhórtans, Psalmum, Confitêbor tibi Dómine in toto corde meo, devotíssimè récitans; ad illa verba, Redemptiônem misit Dóminus pópulo suo, spíritum Deô réddidit média nocte vigíliæ Nativitâtis Dómini, anno millésimo ducentésimo quinquagésimo sexto. Quem miráculis clarum inter sanctos ab Ecclésia venerâtum, Urbânus Octâvus nova cultus assertiône decorâvit.

℟. Orábitis me, & ego exáudiam vos: quærêtis me, & inveniêtis: * Et redûcam captivitâtem vestram de cunctis locis. ℣. Ego cógito cogitatiónes pacis, & non afflictiônis, ut dem vobis finem, & patiéntiam. Et redûcam. Glória Patri. Et redûcam.

In tertio Nocturno,

Aña. Captivôrum miserâtus ærúmnas, pro eôrum miseratiône Dóminum júgiter exorâbat.

Psalmus 14.

Domine, quis habitâbit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operâtur justítiam:

Qui lóquitur veritâtem in corde suo, * qui non egit do-

Digitized by Google

dolum in lingua sua:
Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accêpit advérsùs próximos suos.
Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum gloríficat:
Qui jurat próximo suo, & non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usûram, & múnera super innocéntem non accêpit:
Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.
Aña. Captivôrum miserâtus ærúmnas, pro eôrum miseratiône Dóminum júgiter exorâbat.
Aña. Visitâvit vinctos in mendicitâte, & ferro, & víncula eôrum disrûpit.

Psalmus 29.

DOmine in virtûte tua lætâbitur rex: * & super salutâre tuum exultâbit veheménter.
Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * & voluntâte labiôrum ejus non fraudásti eum.
Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso.
Vitam pétiit à te: * & tribuísti ei longitúdinem diêrum in séculum, & in séculum séculi.
Magna est glóriá ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decôrem impónes super eum.
Quóniam dabis eum in benedictiônem in séculum séculi; * lætificâbis eum in gáudio cum vultu tuo.
Quóniam rex sperat in Dómino: * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.
Inveniâtur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.
Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbâbit eos, & devorâbit eos ignis.
Fructum eôrum de terra perdes: * & semen eôrum à fíliis hóminum.
Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.
Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparâbis vultum eôrum.
Exaltâre Dómine in virtûte tua; * cantâbimus, & psallêmus virtútes tuas.
Aña. Visitâvit vinctos in mendicitâte, & ferro, & víncula eôrum disrûpit.
Aña. Fecit misericórdiam cum próximo suo; ídeo accêpit benedictiônem à Dómino.

Digitized by Google

Psalmus 23

DOmini est terra, & plenitûdo ejus; * orbis terrârum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundâvit eum: * & super flúmina præparâvit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accêpit in vano ánimam suam, nec jurâvit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiônem à Dómino: * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introîbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles: * & introîbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtûtum ipse est Rex glóriæ.

Aña. Fecit misericórdiam cum próximo suo; ídeò accêpit benedictiônem à Dómino. ℣. Liberâbit páuperem à poténte. ℟. Et inopem, cui non erat adjûtor. Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube domne. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum; ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilîa sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 84. *in Joannem.*

PLenitúdinem dilectiônis, qua nos ínvicem dilígere debêmus, fratres charíssimi, definîvit Dóminus, dicens: Majôrem hac dilectiônem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Quia ergo supériùs díxerat: Hoc est mandâtum meum, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos: quibus verbis áddidit, quod nunc audístis: Majôrem hac dilectiônem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Fit ex hoc cónsequens, quod idem iste Evangelísta Joánnes in Epístola sua dicit: Ut quemádmodum Christus pro nobis ánimam suam pósuit, sic & nos debeâmus pro frátribus ánimas pónere; diligéntes útique ínvicem, sicut

Digitized by Google

cut ipse diléxit nos, qui pro nobis ánimam suam pósuit.
℟. O nimis felix, nimis ò beâtus, páuperum pater, & captivôrum liberâtor: * Hora qua mundi Redémptor in terris nasci dignâtus est, spíritum eídem réddidit. ℣. Redemptiônem misit Dóminus pópulo suo: mandâvit in ætérnum testaméntum suum. Hora qua mundi. Benedict. Cujus festum cólimus.

Lectio viij.

Nimirum, hoc est quod légitur in Provérbiis Salomônis: Si séderis cœnâre ad mensam poténtis, consíderans intéllige quæ apponúntur tibi: & sic mitte manum tuam, sciens quia tália te opórtet præparâre. Nam quæ mensa est poténtis, nisi unde súmitur corpus & sanguis ejus, qui ánimam suam pósuit pro nobis? Et quid est ad eam sedêre, nisi humíliter accédere? Et quid est considerâre, & intellígere, quæ apponúntur tibi, nisi dignè tantam grátiam cogitâre? Et quid est sic míttere manum, ut scias quia tália te opórtet præparâre, nisi quod jam dixi: Quia sicut pro nobis Christus ánimam suam pósuit, sic & nos debêmus ánimas pro frátribus pónere?

℟. In convertêndo Dóminus captivitâtem Sion, facti sumus sicut consoláti. * Tunc replêtum est gáudio os nostrum, & lingua nostra exultatiône. ℣. Tunc dicent inter gentes: Magnificâvit Dóminus fácere cum eis. Magnificâvit Dóminus fácere nobíscum, facti sumus lætántes. Tunc replêtum. Glória Patri. Tunc replêtum. Benedict. Ad societâtem.

Lectio. ix.

Sicut enim aït étiam Apóstolus Petrus: Christus pro nobis passus est, relínquens nobis exémplum, ut sequâmur vestígia ejus. Hoc est tália præparâre: hoc beáti mártyres ardénti dilectiône fecérunt: quorum si non inániter memórias celebrâmus, atque in convívio, quo & ipsi saturáti sunt, ad mensam Dómini accédimus; opórtet, ut quemádmodum ipsi, & nos tália præparêmus. Ideò quippe ad ipsam mensam non sic eos commemorâmus, quemádmodum álios, qui in pace requiéscunt, ut étiam pro eis orêmus: sed magis ut ipsi pro nobis, ut eôrum vestígiis adhæreâmus, quia implevérunt ipsi charitâtem, qua Dóminus dicit non posse esse majôrem.

Hym-

Digitized by Google

Hymnus sanctorum Ambrosii, & Augustini.

TE Deum laudâmus: te Dóminum confitêmur.
Te ætérnum Patrem omnis terra venerâtur.
Tibi omnes Angeli, tibi cœli, & univérsæ potestátes,
Tibi Chérubim, & Séraphim incessábili voce proclámant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cœli & terra majestátis glóriæ tuæ.
Te gloriôsus Apostolôrum chorus,
Te Prophetârum laudábilis númerus,
Te Mártyrum candidâtus laudat exércitus.
Te per orbem terrârum, sancta confitêtur Ecclésia,
Patrem imménsæ majestátis,
Venerándum tuum verum, & únicum Fílium,
Sanctum quoque Paráclitum Spíritum.
Tu Rex glóriæ Christe.
Tu Patris sempitérnus es Fílius.
Tu ad liberándum susceptûrus hóminem, non horruísti vírginis úterum.
Tu devícto mortis acúleo, aperuísti credéntibus regna cœlôrum.
Tu ad déxteram Dei sedes in glória Patris.
Judex créderis esse ventûrus.
Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, quos pretióso sánguine redemísti.
Ætérna fac cum sanctis tuis in glória numerári.
Salvum fac pópulum tuum Dómine: & bénedic hæreditáti tuæ.
Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.
Per síngulos dies benedícimus te.
Et laudâmus nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.
Dignâre Dómine die isto sine peccáto nos custodíre.
Miserêre nostri Dómine, miserêre nostri.
Fiat misericórdia tua Dómine super nos, quemádmodum sperávimus in te.
In te Dómine sperávi: non confúndar in ætérnum.

AD LAUDES,
& per Horas, Antiphona.

REdemptiônem misit Dóminus pópulo suo, quam mandâvit Petro fámulo suo.

Psalmus 92.

DOminus regnâvit, decôrem indûtus est: * indûtus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.
Etenim firmâvit orbem terræ, * qui non commovébitur.
Parâta sedes tua ex tunc: * à século tu es.
Elevavérunt flúmina Dómine;

Digitized by Google

ne: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo Dómine in longitúdinem diérum.

Aña. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo, quam mandávit Petro fámulo suo.

Aña. Ab infántia mea crevit mecum miserátio, & ex útero matris meæ egréssa est mecum.

Psalmus 99.

JUbiláte Deo ómnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis; confitémini illi.

Laudáte nomen ejus: quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Aña. Ab infántia mea crevit mecum miserátio, & ex útero matris meæ egréssa est mecum.

Aña. Pecúnias suas non dedit ad usúram, sed pro captívis ipse commutávit.

Psalmus 62.

DEus Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quàm multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa: * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea: * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adjútor meus.

Et in velámento alárum tuárum exultábo, adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes, qui jurant in eo: * quia obstrúctum

tum est os loquéntium iniqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscâmus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutâre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætêntur, & exúltent gentes: * quóniam júdicas pópulos in æquitâte, & gentes in terra dirigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus: confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedîcat nos Deus, Deus noster, benedîcat nos Deus:* & métuant eum omnes fines terræ.

Aña. Pecúnias suas non dedit ad usûram, sed pro captívis ipse commutâvit.

Aña. Magno charitâtis exémplo ánimam suam pro fidélibus liberándis Dómino consecrâvit.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3. *c*

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino: * laudâte & superexaltâte eum in sécula.

Benedícite Ángeli Dómini Dómino: * benedícite cœli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Dómino:* benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol, & luna Dómino: * benedícite stellæ cœli Dómino.

Benedícite omnis imber, & ros Dómino: * benedícite ómnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis, & æstus Dómino: * benedícite frigus, & æstus Dómino.

Benedícite rores, & pruina Dómino: * benedícite gelu, & frigus Dómino.

Benedícite glácies, & nives Dómino: * benedícite noctes, & dies Dómino.

Benedícite lux, & ténebræ Dómino:* benedícite fúlgura, & nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum:* laudet, & superexâltet eum in sécula.

Benedícite montes, & colles Dómino: * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino:* benedícite mária, & flúmina Dómino.

Benedícite cete, & ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite omnes vólucres cœli Dómino.

Be-

Digitized by Google

Benedícite omnes béstiæ, & pécora Dómino: * benedícite filii hóminum Dómino.

Benedícat Israël Dóminum; * láudet, & superexáltet eum in sécula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino: * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus, & ánimæ justórum Dómino: * benedícite sancti, & húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísaël Dómino: * laudáte, & superexaltáte eum in sécula.

Benedicámus Patrem, & Fílium cum sancto Spíritu: * laudémus, & superexaltémus eum in sécula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cœli: * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Aña. Magno charitátis exémplo ánimam suam pro fidélibus liberándis Dómino consecrávit.

Aña. Liberávit páuperem á poténte, & ínopem, cui non erat adjútor.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum de cœlis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus: * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol, & luna: * laudáte eum omnes stellæ, & lumen.

Laudáte eum cœli cœlórum: * & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in séculum séculi: * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra: * dracónes, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles: * ligna fructífera, & omnes cedri.

Béstiæ, & univérsa pécora: * serpéntes, & vólucres pennátæ.

Reges terræ, & omnes pópuli: * príncipes, & omnes júdices terræ.

Júvenes, & vírgines, senes cum junióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solius.

Conféssio ejus super cœlum, & terram: * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * filiis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psal-

Digitized by Google

Psalmus 149.

CAntâte Dómino cánticum novum: * laus ejus in ecclésia sanctôrum.

Lætêtur Israël in eo, qui fecit eum: * & filii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano, & psaltério psallant ei.

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo: * & exaltâbit mansuétos in salûtem.

Exultábunt sancti in glória: * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eôrum: * & gládii ancípites in mánibus eôrum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eôrum in compédibus, * & nóbiles eôrum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 150.

LAudâte Dóminum in sanctis ejus: * laudâte eum in firmaménto virtûtis ejus.

Laudâte eum in virtútibus ejus: * laudâte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudâte eum in sono tubæ: * laudâte eum in psaltério, & cíthara.

Laudâte eum in tympano, & choro: * laudâte eum in chordis, & órgano.

Laudâte eum in cymbalis benesonántibus: laudâte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Aña. Liberâvit páuperem á poténte, & ínopem, cui non erat adjûtor.

Capitulum. *1. Joan. 3. c*

IN hoc cognóvimus charitâtem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: & nos debêmus pro frátribus ánimas pónere.

Hymnus.

PEtre, qui, jussu Genitrícis almæ
Eripis dura dómitos catêna,
Líberans plebem propè serviéntem
Móribus atris.

Hoc apis quondam dócuit futûrum,
Insidens quándo mánibus tenéllis
Melle fœcúndat, puerúmque sacro
Néctare complet.

Te Patrem nati venerâmur omnes,
Súpplices, & te précibus vocâmus;
Ut tuus nostris gémitus novêtur

Cór-

Digitized by Google

Córdibus ardor.
Vincla vesánæ Stygis, & laténtes
Dæmonis technas ánimis repélle,
Ne tuos cæco máculis subáctos
Cárcere cláudant.
Qui dedit vires iter inchoándi
Adsit ingréssis Pater, atque Patre
Adsit ætérnum Génitus, nec absit
Spíritus almus. Amen.
℣. Ora pro nobis P. N. S. Petre. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus.

Aña. Visitâvit nos Dóminus per Petrum fámulum suum; ut sine timôre, de manu inimicôrum nostrôrum liberáti, serviâmus illi.

Canticum Zachariæ.

Luc. 1. g

BEnedíctus Dóminus Deus Israël, * quia visitâvit, & fecit redemptiônem plebis suæ:
Et eréxit cornu salûtis nobis, * in domo David púeri sui:
Sicut locûtus est per os sanctôrum, * qui á século sunt, prophetârum ejus:
Salûtem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium, qui odérunt nos:
Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * & memorári testaménti sui sancti:
Jusjurándum, quod jurâvit ad Abraham patrem nostrum, * datûrum se nobis:
Ut sine timôre, de manu inimicôrum nostrôrum liberáti, * serviâmus illi,
In sanctitâte, & justítia coram ipso, * ómnibus diêbus nostris.
Et tu puer, prophêta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini parâre vias ejus:
Ad dandam sciéntiam salûtis plebi ejus, * in remissiônem peccatôrum eôrum.
Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitâvit nos, óriens ex alto:
Illuminâre his, qui in ténebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Aña. Visitâvit nos Dóminus per Petrum fámulum suum; ut sine timôre, de manu inimicôrum nostrôrum liberáti, serviâmus illi.

Oratio.

DEus, qui in tuæ charitâtis exémplum, ad fidélium redemptiônem, sanctum Petrum patrem nostrum, Ecclésiam tuam nova prole fœcundâre divínitus docuísti:

næ solicitúdines, ubi perpétua sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia; Paulus dixit fieri posse, ut semper gaudeâmus, si quis páululùm ex rerum mundanârum flúctibus eréxerit caput, vitámque suam recte composúerit: multò magis, postquam hinc demigravérimus, facilè cómpotes érimus ejus boni, cùm hæc ómnia sublâta fúerint, advérsa valetûdo, morbi, peccándi matéria; ubi non est meum, ac tuum frígidum illud verbum, & quidquid est malôrum in vitam nostram ínvehens, innumerâque gignens bella.

℟. Spíritus Dómini. 24.

Lectio vj.

QUámobrem maximópere grátulor hujus sancti felicitáti, quòd quamquam translâtus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitâtem relíquit, tamen in álteram adscríptus est civitâtem, nempè Dei: & digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervênit, quæ est primogenitôrum descriptôrum in cœlis: ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritâtem Angelôrum. Etenim quòd & cívitas sursum sit, & Ecclésia, & celébritas, audi Paulum dicéntem: Accessístis ad civitâtem Dei vivéntis, Jerúsalem cœléstem, & Ecclésiam primitivôrum, qui conscrípti sunt in cœlis, & ad multôrum míllium Angelôrum frequéntiam.

℟. Orábitis me. 24.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 76. *in Joan. post initium.*

INtuêre Dei dilectiônem tamquam catêna quadam nostræ dilectióni connéxam. Idcírco nunc duo, nunc unum mandâtum dicit; nemo enim primum sine áltero ássequi potest. Nunc inquit, in hoc & lex, & prophétæ pendent: nunc, Quæ vultis vobis hómines fáciant, éadem & vos eis fácite. Hæc est enim lex & prophétæ, & plenitûdo legis, diléctio, ut hoc in loco testâtur. Nam si perseverántia à dilectiône, diléctio à mandatôrum observatiône próvenit; mandâtum autem est, ut diligâmus ínvicem, perseverántia à mútua óritur dilectió-

Digitized by Google

tióne. Neque simplíciter dilectiónem dicit, sed & modum docet diligéndi, Sicut ego diléxi vos, inquit. Iterum osténdit, non ódio áliquo discédere, sed dilectióne. Quare magis admirári me debêtis, pro vobis ánimam meam pono; ut supériùs inquit, óptimum pastôrem descríbens: hoc autem in lòco eos ádmonet, & dilectiônis suæ magnitúdinem, & qualis ipse sit osténdit. Sed qua grátia semper dilectiônem extóllit? quóniam hoc est discipulôrum arguméntum, hoc virtûtem corróborat.

℟. O nimis felix. 27.

Lectio viij.

VOs amíci mei estis, si fecéritis, quæ præcípio vobis; jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat dóminus ejus: vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi à Patre meo, nota feci vobis. Cur ergo inquit: Multa hábeo vobis dícere; sed non potéstis portâre modo? Nihil áliud ex his verbis ínnuit, quàm nihil aliênum à Patre loquútum, cùm máximi amôris indícium sit, quòd arcâna Patris cum eis & communicáverit & díxerit. Cùm autem ómnia dicit, intelligéndum de his est, quæ eos audíre convéniat: inde áliud neque parvum amôris arguméntum addûcit: Non vos me elegístis, inquit, sed ego elégi vos: hoc est in amôre præcúrri: neque hoc conténtus, Et pósui, inquit, vos; id est, plantávi, ut me diligerêtis: adhuc in vitis translatiône perstat; Ut eátis, & fructum afferâtis, & fructus vester máneat. Quòd si fructus manêbit, longè magis & vos manébitis: neque vos tantùm amávi, inquit, sed & multa cóntuli benefícia, pálmites vestros ubíque terrârum propâgans.

℟. In convertendo. 27.

Lectio ix.

ECce quot modis propônit suam dilectiônem, cùm & secrêta Patris eis aperúerit, cùm in amôre prævénerit, cùm pro ipsis tot mala patiâtur, ex quo se perpétuò cum ipsis, qui allatúri sunt fructum, permansûrum osténdit. Necésse namque ut divíno freti auxílio, fructum fáciant: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Atqui ejus qui pétitur, est fácere; quòd si Pater pétitur, quómodo Fílius facit? Ut non minôrem Pater intélligas. Hæc locûtus sum vobis, ut diligátis ínvicem: hoc est, non exprobrándi grátia dico me ánimam

meam pónere, quòd amâre prior cœperim: sed ut in amicítiam vos indûcam, inde cùm persecutiônem pati à multis moléstum, & intolerábile viderêtur, & par esset etiam generôsum ánimum déjici: ídeò multis propósitis, & eôrum placáto ánimo, ad hoc venit, & hæc eôrum grátia, ut ália ex abundántia dicta signíficet. Ut enim supérius dixit, non solùm non doléndum, sed lætándum, quòd iret ad Patrem, non deseréndi, sed veheméntis amôris grátia; ita & in hoc loco lætándum osténdit. Et consídera, quo pacto eos præparat; non enim ait, Scio rem moléstam; sed, cùm propter me hoc patiámini, propter me étiam perferâtis.

Te Deum laudâmus. 28.

DIA II. FEBRUÁRII.

In festo Purificationis beatæ Mariæ virg. Duplex secundæ classis, cum Octava.

Omnia ut in Breviario, & sine commemor. Octavarum S. P. N. Petri Nolasci, & sancti Juliani, in Hispania.

In secundis autem Vesp. fit commem. Octavæ sancti Petri Nolasci P. N. si sequenti die de ea fit Officium, & sancti Blasii Episc. & mart. tant.

Tertia die infra Octavam S. P. N. Petri Nolasci.

Pro ménsib. Mártii, & April.

In secundo Nocturno.

De Sermône sancti Joánnis Chrysóstomi.

De sancto Philogonio, ante med.

Lectio iv.

AD hanc beâtam réquiem tránsiit beâtus pater noster Petrus Noláscus: quænam ígitur orátio par sit viri láudibus, quem Deus tam felíci forte dignâtus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcírcò silébimus? & cujus rei grátia convénimus? An dicêmus nos haud posse magnitúdinem gestôrum oratiône cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere, quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quòd factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natûram étiam súperant mortâlem, perspícuum est, quòd horum laudes excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur officium nostrum, quod pro víribus præstâmus, sed suum imitábitur Dóminum: síquidem & illi víduæ duos tantùm óbolos dejiciénti in gazophylácium, non tantùm duôrum obolôrum mercêdem, sed multò ámpliùs réddidit.

℞. Confitémini Dómino. 23.

Lec-

Lectio v.

PRoinde quamvis noſtræ facultátes exíguæ ſint, minimíque prétii; áttamen quæ póſſumus, offérimus. Ea licèt non respóndeant magnitúdini meritórum ánimæ præclári justíque Petri Noláſci; tamen hoc ipſum celſitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quòd nec puſílla repéllat, sed idem fáciat, quod solent dívites. Síquidem illi, cùm accéperint à tenúibus exígua, quibus non egent, ſua vicíſſim appónunt, remunérantes eos, qui quòd póterant obtúlerint. Itidem, & hic, cùm accéperit á nobis laudem verbis peráctam, qua nequáquam eget, redonábit nobis per ipſa facta benedictiónem, qua semper uti poſſímus.

℟. Spíritus Dómini. 24.

Lectio vj.

UNde ígitur laudatiónem illíus auſpicábimur? An à magiſtrátu, quem Spíritus illi trádidit grátia? Nam mundáni magiſtrátus nequáquam poſſunt Christianórum demonſtráre virtútes; quin pótiùs frequénter habent accuſatiónem malítiæ. Quam ob causam? Quóniam, & ſolicitúdines amicórum, & circumcurſatiónes, & adulatiónes, aliáque permúlta his fœdióra, tales magiſtrátus ſolent conciliáre. Cæterùm ubi Deus ſuo ſuffrágio designárit áliquem incorrúptum ſuffrágium, aliénum ab omni ſuſpicióne judícium, indubitáta fúerit delécti comprobátio, propter ejus qui delégit auctoritátem.

℟. Orábitis me. 24.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15. *b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus discípulis ſuis: Hoc eſt præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, ſicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía ſancti Cyrílli Epíſcopi Alexandríni.

Lib. 10. *in Joan. cap.* 22. *ſupra v.* 12. & 13.

EGo, inquit, hoc præcípio, & hoc dóceo faciéndum, ac ſentiéndum iis, qui me ſequi ſtatúerint, talem inter ſe dilectiónem exercére, qualem ego prius exhíbui, & implévi. Quánta verò ſit dilectiónis Chriſti menſúra, ipſe rurſùs ſignificávit, dicens, nihil eſſe majus ea dilectióne, quæ vel ánimam ipſam pro amícis júbeat profúndere. Ex his ómnibus ſuis propémodùm mandat discípulis, uſque ádeò non eſſe metuénda pro ſalvándis homínibus certámina,

Digitized by Google

na, ut vel ipsam carnis mortem strénuè & ímpigrè subíre detrectêmus; eò enim Salvatôris nostri dilectiônis vis pervênit. Hoc autem dícere, áliud nihil est, quàm ad supernaturálem & exímiam ánimi virtûtem, ac máximum fratrum amôrem discípulos excitáre, in eisque generôsum ac pium ánimum cúdere, & ad invíctum, ac insuperábile stúdium erígere, ad ómnia sponte præstánda, quæcúmque ei placuérint. Talem se nobis Paulus exhibêbat, dicens: Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum.

℟. O nimis felix. 27.

Lectio viij.

QUòd si greges & agnos Christi páscere, est ipsum amâre, quómodo manifestíssimum non erit, morte, & persecutiónibus superiôrem fore, omnes dénique angústias pro níhilo habitûrum eum, qui salutârem doctrínam Deum ignorántibus prædicat? In summa Servâtor his verbis suos discípulos jubet incunctánter & intrépidè fidei doctrínam sanctificâre, & ómnibus per univérsum orbem homínibus manifestâre Evangélium: quod ut fácere possent sancti discípuli, inveniêmus eos vehementíssima oratiône à Deo pétere, cùm Judæôrum furôrem, & intempériem accusántes, dicébant: Et nunc Dómine, réspice in minas eôrum, & da servis tuis, cum omni fidúcia loqui verbum tuum. Prorsus enim multi adversántur iis, qui sanctíficant Evangélium Christi, multíque óbstrepunt. Sed licèt gravis metus íngruat, & insidiárum vehementíssimi fluctus insúrgant, supplícia tamen non detrectábunt verè discípuli, donec ad éxitum dilectiônis suæ ópera perdúxerint: dilectiônis, inquam, talis, qualem nobis Servâtor osténdit, qui loco propósiti sibi gaudii, crucem sustínuit, ignomínia contémpta, ut peccatóribus salûtem perficeret.

℟. In converténdo. 27.

Lectio ix.

NUnc autem étiam ipsam pro nobis ánimam, pro sua erga nos dilectiône Servâtor pósuit, & incomparábilem quamdam bonitâtem erga nos éxhibens, beátos réddidit, ac ter felíces, nullíus planè boni indigéntes. Textus ítaque propósiti sensus juxta hunc scopum divínis discipulôrum capítibus cónvenit. Quòd si ad álios omnes dictum illud extendâtur, nimirùm: Hoc est præcéptum meum, ut diligâtis in-

invicem, sicut diléxi vos; multum utilitâtis ómnibus contínget ex illius indágine. Si enim ómnium Salvatôris nostri mandatôrum consummatiônem cóntinet, ac operátur fratrum diléctio, quómodo non valdè admirándus est, qui hanc síncerè, & inculpátè colit, cúm ómnium, ut semel dicam, virtûtum caput in ea contineâtur? Secúnda enim est, post Dei dilectiônem, in fratres cháritas, & omnis erga Deum pietátis vis hoc uno verbo quodámmodò comprehénditur: Díliges próximum tuum sicut te ipsum.

Te Deum laudâmus. 28.

DIE III. FEBRUÁRII.

Quarta die infra Octavam S. P. N. Petri Nolasci.

Et pro ménsibus Maii, & Júnii.

In secundo Nocturno.

De Sermône sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra, paulò post.

Lectio iv.

QUantum autem sit pietâtis arguméntum, quòd Deus illum tanto magistrátu dignum judicârit, audi. Christus excitâtus à mórtuis, quid dicit Petro? Postquàm enim illum interrogásset, Petre amas me? isque respondísset: Tu Dómine scis quòd amo te, dicit illi: Si díligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicêbat, non solùm ut nobis certíssimè declarâret, quantóperè ipsum dilígeret Petrus: verùm étiam, ut palàm fáceret, quantam habêret benevoléntiam erga suas oves. Itaque si quis volúerit illi commendâtus esse, curam hábeat óvium illius, públicam quærat utilitâtem, fratrum suôrum salúti prospíciat.

℟. Confitémini Dómino. 23.

Lectio v.

NUllum enim officium hoc Deo chárius est: & ob id alícubi dicit: Simon, Simon, expetívit te Sátanas, ut cribrâret te tamquam tríticum; sed ego rogávi pro te, ne deficiat fides tua. Quid ígitur hujus solicitúdinis, curæque præmium mihi repéndis? eámdem curam, quam nobis impéndit, repóscit. Nam & tu, inquit, aliquándo convérsus confirma fratres tuos. Neque prorsus alia res est, quæ perínde declâret, doceátque quis sit fidélis, & amans Christi, quàm si fratrum curam agat, proque illôrum salûte gerat solicitúdinem.

℟. Spíritus Dómini. 24.

Digitized by Google

Lectio vj.

HÆc omnes áudiant & mónachi, qui móntium occupárunt cacúmina, quique modis ómnibus seípsos mundo crucifixérunt, quò pro víribus Ecclesiárum præféctos ádjuvent, horúmque curas léniant précibus, concórdia, charitâte; sciéntes, quòd nisi modis ómnibus opitulénter iis, qui tot perículis objiciúntur, per grátiam Dei, totque negotiórum curas sústinent, quibuscúmque possunt rationibus auxiliéntur; quamquam procul habitántes, & victus sors ipsis periísset, & tota in scópulum impegísset sapiéntia.

℟. Orábitis me. 24.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 27. in Evangelia.

CUm cuncta sacra elóquia Domínicis plena sint præcéptis, quid est quòd de dilectióne, quasi de singulári mandáto, Dóminus dicit: Hoc est præcéptum meum, ut diligâtis ínvicem: nisi quia omne mandâtum de sola dilectióne est, & ómnia unum præcéptum sunt? quia quidquid præcípitur, in sola charitâte solidâtur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt; sic multæ virtútes ex una charitâte generántur. Nec habet áliquid viriditâtis ramus boni óperis, si non manet in radíce charitâtis. Præcépta ergo Domínica & multa sunt, & unum: multa per diversitâtem óperis, unum in radíce dilectiónis. Quáliter autem ista diléctio tenénda sit, ipse insínuat, qui in plerísque Scriptúræ suæ senténtiis, & amícos jubet díligi in se, & inimícos propter se.

℟. O nimis felix. 27.

Lectio viij.

ILle enim veráciter charitâtem habet, qui & amícum díligit in Deo, & inimícum díligit propter Deum. Nam sunt nonnúlli, qui díligunt próximos, sed per afféctum cognatiônis, & carnis: quibus tamen in hac dilectióne sacra elóquia non contradícunt: sed áliud est quod sponte impénditur natúræ, áliud quod præcéptis Domínicis ex charitâte debêtur obediéntiæ. Hi nimírùm & próximum díligunt, & tamen illa

illa sublímia dilectiônis præmia non assequúntur: quia amôrem suum non spirituáliter, sed carnáliter impéndunt. Proíndè cùm Dóminus díceret: Hoc est præcéptum meum, ut diligâtis ínvicem, prótinùs áddidit: Sicut diléxi vos: ac si apértè dicat: Ad hoc amâte, ad quod amávi vos. Qua in re, fratres charíssimi, solérter intuéndum est, quòd antíquus hostis, dum mentem nostram ad rerum temporálium dilectiônem trahit, infirmiôrem contra nos próximum éxcitat, qui ea ipsa, quæ dilígimus, aufférre moliâtur. ℟. In converténdo. 27.

Pro sancto Blasio Episcopo, & martyre.

Lectio ix.

BLásius, Sebáste in Arménia cùm virtûtum laude florêret, ejúsdem civitâtis Epíscopus elígitur. Qui quo témpore Diocletiânus insatiábilem crudelitâtem in Christiános exercêbat, se in spelúncam ábdidit montis Argæi: ubi támdiu látuit, dum ab Agricolâï præsidis milítibus venántibus deprehénsus, & ad præsidem ductus, ejus jussu conjéctus est in víncula. Quo in loco multos ægrótos sanâvit, qui ad Blásium, ejus fama sanctitâtis addúcti, deferebántur. In illis puer fuit, qui desperáta à médicis salûte, transvérsa spina fáucibus inhærénte ánimam agêbat. Prodúctus autem ad præsidem Blásius semel & íterum, cùm nec blandítiis, nec minis addúci posset, ut diis sacrificâret, primùm virgis cæsus, deínde in equúleo férreis pectínibus dilaniâtus est: postrémò dempto cápite, illústre fidei testimónium Christo Dómino dedit, tértio Nonas Februárii. Te Deum laudâmus. 28.

Sed pro Officio per annum ponitur nona Lectio.

Lectio ix.

NEc curat antíquus hostis hæc fáciens, ut terrêna tollat, sed ut charitâtem in nobis fériat. Nam in ódium repéntè exardéscimus, & dum foris invícti esse cúpimus, intus gráviter ferímur: dum parva foris defféndimus, intus amíttimus máxima: quia dum rem dilígimus temporálem, veram amíttimus dilectiônem. Omnis quippe, qui nostra tollit, inimícus est. Sed si ódio habêre cœpérimus inimícum, intus est quod pérdimus. Cùm ergo áliquid extérius à próximo pátimur, contra occúltum raptôrem intérius vigilêmus, qui numquam mélius

Digitized by Google

víncitur, nisi cum raptor extérior amâtur. Una quippe & summa est probátio charitâtis, si & ipse dilígitur, qui adversâtur. Hinc est quòd ipsa Véritas & crucis patíbulum sústinet, & tamen ipsis suis persecutóribus afféctum dilectiônis impéndit, dicens: Pater ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit comm. Octavæ Purificationis beatæ Mariæ.

Añа. Cùm indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, accêpit eum Símeon in ulnas suas, & benedíxit Deum, dicens: Nunc dimíttis servum tuum in pace. ℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, majestâtem tuam súpplices exorâmus: ut sicut Unigénitus Fílius tuus hodiérna die cum nostræ carnis substántia in témplo est præsentâtus; ita nos fácias purificâtis tibi méntibus præsentári.

Deinde sancti Juliani, in Hispania.

Postea sancti Blasii Episc. & martyr.

Añа. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custôdit eam. ℣. Justus ut palma florêbit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

DEus, qui nos beáti Blásii mártyris tui, atque Pontíficis ánnua solemnitâte lætíficas: concêde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectiône gaudeâmus. Per Dóminum.

Vesp. S. Andreæ Corsini Episc. & Conf. cum comm. S. P. N. Petri Nolasci, & Purificationis beatæ Mariæ.

Añа. Hódiè beâta virgo María púerum Jesum præsentâvit in témplo, & Símeon repêtus Spíritu sancto accêpit eum in ulnas suas, & benedíxit Deum in ætérnum. ℣. Respónsum accêpit Símeon à Spíritu sancto. ℟. Non visûrum se mortem, nisi vidêret Christum Dómini.

Oratio, Omnípotens, ut supr.

In Hispania Vesperæ de die Oct. sancti Juliani Episc. & Confessor. cum commem. utriusque Octavæ, ut supra. Et festum sancti Andreæ Corsini celebratur die vj. Februarii, juxta Decr. Sac. Rit. Congr. sub die xix. Ap. 1687.

DIE IV. FEBRUÁRII.

Fit Officium de sancto Andrea Corsino Episc. & Conf.

Du-

Digitized by Google

Duplex ut in Breviario cum commemorat. Oct. S. P. N. & Purificationis beatæ Mariæ virginis.

In Hispania autem fit de die Oct. sancti Juliani Episc. & Confessoris, & in Laudib. comm. aliarum Octavarum.

In Vesperis à Capitulo de sancta Agatha virg. & mart. cum comm. sancti Andreæ Corsini, & Octavarum.

In Hispania in Vesperis Capitul. sanctæ Agathæ virg. & mart. cum comm. sancti Juliani, & utriusque Octavæ.

DIE V. FEBRUARII.

Fit Officium de sancta Agatha virgin. & martyre.

Duplex. ut in Brev.

In Laudibus commemorat. utriusque Octavæ, ut supra. Sed in commem. Purificationis beatæ Mariæ ℣. Respónsum accépit.

Sexta die infra Octavam S. P. N. Petri Nolasci.

Pro ménsib. Júlii, & Augústi.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. *c.* 16. *in c.* 12. *Job.*

Lectio iv.

BEnè justi simplícitas, & lampas esse dícitur, & contémpta: lampas, quia intériùs lucet; & contémpta, quia extériùs non lucet. Intus ardet flamma charitâtis, foris nulla glória resplèndet decôris. Lucet ergo, & despícitur, quia flagrans virtútibus, abjéctus æstimâtur. Sed usquéquò lampas ista contémnitur? usquéquò despicábilis habêtur? numquid non fulgôrem suum nullátenùs éxerit, & numquam, quanta claritâte cándeat osténdit? Osténdit planè; nam prótinus ádditur; Parâta ad tempus statûtum. Statûtum quippe contémptæ lámpadis tempus, est extrémi judícii prædestinâtus dies, quo justus quisque, qui nunc despícitur, quanta potestâte fúlgeat demonstrâtur.

℟. Confitémini Dómino. 23.

Lectio v.

TUnc enim cum Deo júdices véniunt, qui nunc pro Deo injústè judicántur. Tunc eôrum lux tantò látiùs émicat, quantò eos nunc manus persequéntium dúriùs angústat. Tunc reprobôrum óculis patéscet, quòd cœlésti potestâte subníxi sunt, qui terrêna ómnia sponte reliquérunt. Unde eléctis Véritas. dicit: Vos, qui secúti estis me, in regeneratiône, cùm séderit Fílius hóminis in sede majestâtis suæ, sedébitis & vos super duódecim sedes, judicántes duódecim tri-

Digitized by Google

tribus Israël. Neque enim plusquàm duódecim júdices illa intérni consessus cúria non habêbit, sed nimirùm duodenário número quántitas universitâtis exprímitur: quia quisquis stímulo divíni amôris excitâtus, hîc possessa relíquerit, illîc proculdúbio culmen judiciáriæ potestâtis obtinêbit.

℟. Spíritus Dómini. 24.

Lectio vj.

Hinc est enim, quod de sanctæ Ecclésiæ sponso per Salomônem dícitur: Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Hinc Isaías ait: Dóminus ad judícium véniet cum senióribus pópuli sui. Hinc eósdem senióres Véritas non jam fámulos, sed amícos denúntiat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amícos meos. Quos Psalmísta intuens, ait: Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui Deus: Quorum dum celsitúdinem cordis aspíceret, mundi glóriam, quam calce calcárent, prótinus ádidit: Nimis confortátus est principátus eórum. Ac ne paucos esse crederêmus, quos proficere usque ad summam tantæ perfectiônis, agnóscimus; íllicò adjúnxit: Dinumerâbo eos, & super arênam multiplicabúntur. Quot ítaque nunc pro amôre veritâtis sese libénter humíliant, tot nunc in judício lámpades coruscant.

℟. Orábitis me. 24.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15. *b*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 85. *in Joannem.*

Cum Dóminus Jesus commendásset charitâtem, quam exhíbuit nobis, moriéndo pro nobis, atque dixísset: Majórem hac dilectiônem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis: Vos, inquit, amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Magna dignátio: cùm servus bonus esse non possit, nisi præcépta Dómini sui fécerit: hinc amícos suos vóluit intélligi, unde servi boni possunt probári. Sed ut dixi, ista dignátio est, ut Dóminus, quos novit servos suos, dignêtur dícere amícos suos. Nam ut sciâtis ad servôrum officium pertinêre præcépta Dómini sui fá-

fácere, álio loco servos útique objúrgat, dicens: Quid autem vocâtis me, Dómine, Dómine, & non fácitis quæ dico? Cùm ergo dícitis, inquit, Dómine, jussa faciéndo, quid dicâtis osténdite. Nonne servo obediénti ipse dictûrus est, Euge serve bone, & fidélis, quia in páucis fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui? Potest ígitur esse & servus, & amícus, qui servus est bonus. Sed quod séquitur attendâmus: Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus.

℟. O nimis felix. 27.

Lectio viij.

QUómodo ergo intellectúri sumus, & servum, & amícum esse servum bonum, cùm dicat: Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid fáciat Dóminus ejus? Itá nomen constítuit amíci, ut áuferat servi; non ut in uno utrúmque máneat, sed ut álterum, áltero decédente, succédat. Quid est hoc? Ita ne, cùm præcépta Dómini fecérimus, servi non érimus? Ita ne, tunc servi non érimus, quando boni servi fuérimus? Et quis contradícere potest Veritáti, quæ ait, Jam non dico vos servos? & cur hoc díxerit, docet, Quia servus, inquit, nescit, quid fáciat Dóminus ejus. Numquídnam servo bono, & probáto Dóminus ejus non étiam secréta sua commíttit? Quid est ergo quod ait, Servus nescit quid fáciat Dóminus ejus? Verum esto nescit quid fáciat, numquid nescit étiam quid præcípiat? Nam & si hoc nescit, quómodo servit? aut quómodo servus est, qui non servit? Et tamen Dóminus lóquitur: Vos amíci mei estis, si fecéritis, quæ ego præcípio vobis: jam non dico vos servos. O rem mirábilem! Cùm servíre non possímus, nisi præcépta Dómini fecérimus, quómodo præcépta faciéndo servi non érimus? Si servus non ero præcépta faciéndo, & nisi præcépta fécero, servíre non pótero, ergo serviéndo servus non ero.

℟. In converténdo. 27.

Lectio ix.

INtelligâmus fratres, intelligâmus, & hoc in nobis Dóminus fáciat ut intelligâmus: fáciat étiam, ut intelléēta faciâmus. Hoc autem si scimus, profécto scimus quod facit Dóminus, quia nos ipsos tales non facit nisi Dóminus, & per hoc ad ejus amicítiam pertinêmus.

Si-

Sicut enim duo sunt timóres, qui fáciunt duo génera timéntium: sic duæ sunt servitútes, quæ fáciunt duo génera serviéntium. Et est timor, quem perfécta cháritas foras mittit; & est álius timor castus pérmanens in séculum séculi. Illum timórem, qui non est in charitâte, attendêbat Apóstolus, cùm dicêbat: Non enim accepístis spíritum servitûtis íterum in timôre. Illum autem timôrem castum attendêbat, cùm dicêbat: Noli altum sápere, sed time. In illo timôre, quem foras cháritas mittit, est étiam sérvitus simul foras cum ipso timôre mitténda: utrúmque enim junxit Apóstolus, hoc est, servitûtem, & timôrem, dicéndo: Non enim accepístis spíritum servitûtis íterum in timôre. Ad hanc servitûtem servum pertinéntem intuebâtur & Dóminus, dicens: Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid fáciat Dóminus ejus.

Te Deum laudâmus. 28.

In Vesp. commem. Octavæ S. P. N. Petri Nolasci, Octav. Purificat. B. Mariæ virg. ut suprà, 44. & S. Dorotheæ virg. & martyr.

In Hispania à Capitulo fit de sancto Andrea Corsino Episc. & Confes. ut in Breviario die iv. hujus, cum comm. sanctæ Agathæ, Octavar. ac sanctæ Dorotheæ.

DIE VI. FEBRUÁRII.

Fit Officium, in Hispania, de sancto Andrea Corsino Episc. & Conf. Duplex, ut in Brev. iv. hujus, cum nona lectione, & commem. ad Laudes, sanct. Doroth. post commemor. Octavar.

Septima die infra Octavam S. P. N. Petri Nolasci.

Pro ménsibus Septémbris, & Octóbris.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbat. *Serm. 1. de sancto Victore.*

Lectio iv.

Sancti Petri Nolásci vita, & glória speciális, non tam ad glóriam, quàm ad virtûtem próvocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed pervérsi est ánimi, antè quærere glóriam, quàm exercêre virtûtem; & velle coronári, qui legítimè non certáverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem súrgere. Ita est; frustrà ad celsitúdinem nítitur glóriæ, qui priùs non cláruit virtûte. Frustrà fátuæ vírgines sponso óbviam surgunt, quarum lámpades extinguúntur: & ideò fátuæ, quia vácuis gloriántur lampádibus, virtû-

tatis óleum non habéntes.
℟. Confitémini Dómino. 23.

Lectio v.

Virtus gradus ad glóriam, virtus mater glóriæ est. Fallax glória, & vana est pulchritúdo, quam illa non parturívit. Sola est, cui glória jure debêtur, & secúrè impénditur. Sancto Petro Nolásco, nec virtus, nec glória deest: sed quemádmodum ambæ res, & quo órdine in hómine processérunt, id operæprétium intuéri. Habêmus enim, dilectíssimi, in vita sancti Petri Nolasci, & quod dignè mirêmur, & quod salúbriter imitêmur. Tútiùs sanè æmulánda solidiôra, quàm sublimiôra; & quæ magis virtûtem redóleant, glóriam minùs. Studeâmus proínde móribus conformári, cui in mirabílibus similári, etsi vólumus, non valêmus.

℟. Spíritus Dómini. 24.

Lectio vj.

Æmulêmur in viro sóbrium victum, devôtum affléctum; æmulêmur mansuetúdinem spíritus, castimóniam córporis, oris custódiam, ánimi puritâtem, pónere frænum iræ, & modum linguæ; dormíre párciùs, oráre frequéntiùs, commonêre nosmetípsos psalmis, hymnis, & cánticis spirituálibus, diêbus júngere noctes, & divínis láudibus occupâre: æmulêmur charísmata melióra. Æmulêmur, inquam, quòd éxtitit liberâlis in páuperes, pátiens ad peccántes, benígnus ad omnes. Hoc enim méliùs. In his forma est, cui imprimâmur: in miráculis glória, á qua reprimâmur. Illa lætificent, ista ædíficent: móveant illa, ista promóveant.

℟. Orábitis me. 24.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15. *b*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis sus: Hoc est præcéptum meum, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 83. *in cap.* 15. *Joan. in medio.*

Hoc est, inquit, præcéptum meum, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos. Sive dicâtur præcéptum, sive mandâtum ex uno verbo græco utrúmque interpretâtur. Jam verò istam senténtiam & ántea díxerat: ibi enim sic ait: Mandâtum novum do vobis, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos, ut

& vos diligâtis ínvicem. Hujus ítaque mandáti repetítio commendátio est; nisi quòd ibi, Mandâtum, inquit, novum do vobis: hîc autem, Hoc est, inquit, mandâtum meum. Ibi tamquam non fúerit antè tale mandâtum: hîc tamquam non sit áliud ejus mandâtum. Sed ibi dictum est novum, ne in vetustâte nostra perseverêmus: hîc dictum est meum, ne contemnéndum putêmus. Quòd autem hîc ita dixit, hoc est mandâtum meum, velut non sit áliud: quid putâmus, fratres mei? Numquídnam solùm ejus de ista dilectiône mandâtum est, qua dilígimus ínvicem? Nonne est & áliud majus, ut diligâmus Deum? Aut verò de sola Deus nobis dilectiône mandâvit, ut ália non requirâmus? Tria certè commèndat Apóstolus, dicens: Manent autem fides, spes, & cháritas, tria hæc: major autem horum est cháritas.

℟. O nimis felix. 27.

Lectio viij.

ET si in charitâte, hoc est, in dilectiône, concludúntur duo illa præcépta; major tamen dicta est esse, non sola. De fide ígitur nobis quàm multa mandâta sunt, quàm multa de spe; quis potest cuncta collígere? Quis enumerándo sufficere? Sed intueâmur quod ait idem Apóstolus: Plenitûdo legis cháritas. Ubi ergo cháritas est, quid est quod possit deésse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodésse? Dæmon credit, nec díligit; nemo díligit qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperâre véniam, qui non díligit: nemo autem potest desperâre, qui díligit. Itaque ubi diléctio est, ibi necessáriò fides, & spes: & ubi diléctio próximi, ibi necessáriò étiam diléctio Dei.

℟. In converténdo. 27.

Pro sancta Dorothea virgine, & martyre

Lectio ix.

DOróthea virgo, ex Cæsarêa Cappadóciæ, propter Christi confessiônem ab Aprício præside comprehénsa, Chrystæ, & Callístæ soróribus, quæ à fide defécerant, trádita est, ut eam à propósito removérent. Sed contrà factum est: nam eas Doróthea ad cultum christiánæ religiônis redúxit, propter quam étiam martyrium suscepérunt. Quare virgo equúleo diu torta, & palmis cæsa, ad extrêmum cápitis damnâta, duplicâtam virginitâtis, & martyrii palmam accêpit.

Te Deum laudâmus. 28.

Pro

Digitized by Google

Pro Offic. vero per annum ponitur nona Lectio.

Lectio ix.

QUi enim non díligit eum, quómodo díligit próximum tamquam se ipsum, quandóquidem non díligit & se ipsum? Est quippe ímpius & iníquus: qui autem díligit iniquitâtem, non planè díligit, sed odit ánimam suam. Hoc ergo præcéptum Dómini teneâmus, ut nos ínvicem diligâmus: & quidquid áliud præcêpit, faciêmus: quóniam quidquid est áliud, hîc habêmus. Discérnitur quippe ista diléctio ab illa dilectiône, qua se ínvicem díligunt hómines, sicut hómines: nam ut discernerêtur, adjúnctum est, Sicut diléxi vos. Utquid enim díligit nos Christus, nisi ut regnâre possîmus cum Christo? Ad hoc ergo, & nos ínvicem dil gâmus, út dilectiônem nostram discernâmus à cæteris, qui non ad hoc se ínvicem díligunt, quia nec díligunt. Qui autem se propter habéndum Deum díligunt, ipsi se díligunt: ergo ut se díligunt, Deum díligunt. Non est hæc diléctio in ómnibus homínibus: pauci se proptérea díligunt, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem. Octavæ Purificationis beatæ Mariæ, & sanctæ Dorotheæ virg. & mart. Aña. Símile est regnum cœlôrum hómini negotiatóri quæréntì bonas margarítas: invénta una pretiósa dedit ómnia sua, & comparâvit eam. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténdè, prósperè procêde, & regna.

Oratio.

INdulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beâta Dorótheá virgo & martyr implôret: quæ tibi grata semper éxtitit, & mérito castitâtis, & tuæ professiône virtûtis. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ de die Oct. S. P. N. Petri Nolasci, ut in primis Vesperis festi; Officium Duplex, & fit commemor. Oct. Purification. ut supra. 44.

In Hispania à Capitulo fit de die Octav. S. P. N. ut in primis Vesp. Festi, cum commem. sancti Andreæ Corsini, Aña. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, stolam glóriæ índuit eum, & ad portas paradísi coronâvit eum. ℣. Justum dedúxit. ℟. Et osténdit illi.

Oratio.

DEus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtûtum: da pópulo tuo beáti Andréæ Confessôris tui atque Pontíficis ita se-

Digitized by Google

sequi vestígia, ut assequâtur & præmia.

Deinde Octavæ Purificationis beatæ Mariæ, ut supr. 44.

DIE VII. FEBRUÁRII.

Octava S. P. N. Petri Nolasci Confessoris. Duplex.

Et pro ménsibus Novémbris, & Decémbris.

In secundo Nocturno.

De Sermône sancti Bernárdi Abbâtis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

GAudête in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietâtis beneficia, indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico gaudête, quòd factus de médio, appropiâvit Deo, ut multò plures ejus intercessiône salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo: in cœlum levâtus est, ut sit patrocínio. Hîc infórmat ad vitam, illic invîtat ad glóriam. Factus est mediâtor ad regnum, qui fuit incitâtor ad opus. Bonus mediâtor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, & supplicántis afféctum, & supplicatiônis fructum: quid enim quærat sibi, qui nullîus eget?

℟. Confitémini Dómino. 23.

Lectio v.

HÆc dies gloriósæ migratiônis ejus, dies lætítiæ cordis ejus: exultêmus, & lætêmur in ea. Introîvit in poténtias Dómini, gaudeâmus: quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódiè Petrus Noláscus pósito córpore, tantò alácrior, quantò expedítior penetrâvit in sancta, símilis factus in glória sanctôrum. Hódiè despécto mundo, & mundi príncipe triumpháto, supra mundum victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corônam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritôrum, clarus triúmphis, miráculis gloriôsus. Sedet veterânus miles, débita jam suavitâte, & securitâte quiêtus: secûrus quidem sibi, sed nostri solícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitâtem! quam pari stúdio, etsi díspari voluntâte, & mali fúgitant, & frequéntant boni. Nec fácilé díxerim, quid virum ástruat sanctiôrem, horum favor, aut pavor illôrum.

℟. Spíritus Dómini. 24.

Lectio vj.

O Miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labôribus angélicæ felicitâtis réquiem commutásti: réspice ad imbélles & imbecílles com-

Digitized by Google

commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios, & spiritáles nequítias tuis láudibus occupâmur. Quàm pium, quàm dulce, quàm suâve, ò Petre Nolásce, in hoc loco afflictiônis, & in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, & memoriâle tuum, favus distíllans in lábiis captivôrum; mel & lac sub língua eôrum, qui tui memória delectántur. Eja ergo fortis athlêta, dulcis patrône, advocâte fidêlis, exúrge in adjutórium nobis; ut & nos de nostra ereptiône gaudeâmus, & tu de plena victória gloriêris.

℟. Orábitis me. 24.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 15. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligâtis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 83. *in cap.* 15. *Joannis.*

DÍxerat Dóminus: Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, & pósui ut eâtis, & fructum afferâtis, & fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Hic autem dicit: Hæc mando vobis, ut diligâtis ínvicem: ac per hoc intellígere debêmus, hunc esse fructum nostrum, de quo ait: Ego vos elégi, ut eâtis, & fructum afferâtis, & fructus vester máneat. Et quod adjúnxit, ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis: tunc útique dabit nobis, si diligâmus ínvicem, cùm & hoc ipsum ipse déderit nobis, qui nos elégit non habéntes fructum, quia non eum nos elegerâmus, & pósuit nos ut fructum afferâmus, hoc est, ínvicem diligâmus. Quem fructum sine illo afférre non póssumus, sicut pálmites fácere sine vite nihil possunt.

℟. O nimix felix. 27.

Lectio viij.

CHáritas ergo est fructus noster, quem défínit Apóstolus, de corde puro, & consciéntia bona, & fide non ficta. Hac dilígimus ínvicem, hac dilígimus Deum: neque enim vera dilectiône diligerêmus ínvicem, nisi diligéntes Deum. Díligit enim unusquísque próximum suum, tamquam seípsum, si díligit Deum; nam si non díligit Deum, non díligit seípsum. In his enim duôbus præcéptis charitâtis tota lex pendet, & prophétæ. Hic est fructus noster. De fructu ítaque nobis

D 3 man-

Digitized by Google

mandans, Hæc mando, inquit, vobis, ut diligâtis invicem. Unde & Apóstolus Paulus, cùm contra ópera carnis commendâre fructum spíritus vellet, à cápite hoc pósuit: Fructus, inquit, spíritus cháritas est: ac deínde cætera, tamquam ex isto cápite exórta & religâta, contéxuit, quæ sunt; gáudium, pax, longanímitas, benígnitas, bónitas, fides, mansuetûdo, continéntia, cástitas.

℟. In converténdo. 27.

Lectio ix.

QUis autem bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habêre, quem veráciter díligit? Quis est longánimis in bono ópere perseveránter manéndo, nisi férveat diligéndo? Quis est benígnus, nisi díligat, cui opitulâtur? Quis bonus, nisi diligéndo efficiâtur? Quis salúbriter fidélis, nisi ea fide, quæ per dilectiônem operâtur? Quis utíliter mansuêtus, cui non diléctio moderêtur? Quis ab eo cóntinet unde turpâtur, nisi díligat unde honestâtur? Méritò ítaque Magíster bonus dilectiônem sic sæpè comméndat, tamquàm sola præcipiénda sit, sine qua non possunt prodésse cætera bona, & quæ non potest habéri sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Pro hac autem dilectiône patiénter debêmus étiam mundi ódia sustinêre: necésse est enim ut nos óderit, quos cernit nolle quod díligit.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit comm. Oct. Purificationis beatæ Mariæ.

In secundis Vesp. à Capit. fit de sancto Joanne de Matha Conf. commem. Octavæ S. P. N. Petri Nolasci, & Purificationis beatæ Mariæ.

DIE VIII. FEBRUÁRII.

Septima die infra Octavam Purificationis beatæ Mariæ.

Fit de sancto Joanne de Matha Conf. Duplex, ut in Brev. cum commem. Octav.

Vesper. de Octava Purific. beatæ Mariæ. Duplex, ut in primis Vesperis Festi, cum commem. sancti Joannis de Matha, & sanctæ Apolloniæ virg. & mart. ut in Breviar.

DIE IX. FEBRUÁRII.

Octava Purific. beatæ Mariæ. Dupl. Omnia ut in die.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Gregórii Papæ in libros Regum.

In 1. *Reg.* 1. Lectio iv.

FUit vir unus de Ramáthaïm Sophim, de monte Éphraïm. Potest hujus mon-

montis nómine beatíssima semper virgo María Dei génitrix designári. Mons quippe fuit, quæ ómnem eléctæ creatúræ altitúdinem, electiônis suæ dignitâte transcéndit. An non mons sublímis María, quæ ut ad conceptiônem ætérni Verbi pertíngeret, meritôrum vérticem supra omnes Angelôrum choros, usque ad sólium Deitâtis erêxit? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitâtem Isaías vatícinans, ait: Erit in novíssimis diêbus præparâtus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitûdo Maríæ supra omnes Sanctos refúlsit.

℞. Símeon justus & timorâtus expectâbat redemptiônem Israël: * Et Spíritus sanctus erat in eo. ℣. Respónsum accêpit Símeon à Spíritu sancto, non visûrum se mortem, nisi vidêret Christum Dómini. Et Spíritus sanctus erat in eo.

Ex Epístola sancti Leônis Papæ ad Pulchériam Augústam.

Epist. 13. *ante medium.*

Lectio iv.

SAcraméntum reconciliatiônis nostræ ante témpora ætérna dispósitum, nullæ implébant figúræ: quia nondum supervénerat Spíritus sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbrâverat ei, ut & intra intemeráta víscera, ædificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma servi in unam conveniénte porsônam, creâtor témporum nascerêtur in témpore; & per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerêtur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustâtem, & consubstantiâlis Patri, consubstantiâlis esse dignarêtur & matri, naturámque sibi nostram solus à peccáto liber unîret; sub jugo diáboli generáliter tenerêtur humâna captívitas.

℞. Respónsum accêpit Símeon à Spíritu sancto, non visûrum se mortem, nisi vidêret Christum Dómini: *Et benedíxit Deum, & dixit: Nunc dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutâre tuum Dómine. ℣. Cùm indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndùm consuetúdinem legis pro eo: ipse accêpit eum in ulnas suas. Et benedíxit.

De Expositióne sancti Basílii Epíscopi in Isaíam prophêtam.

In cap. 8. post initium.

Lectio vj.

Accéssi, inquit, ad prophetíssam, & in útero accêpit, & péperit filium. Quòd María prophetíssa fúerit, ad quam próximè accéssit Isaías per prænotiônem spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbôrum Maríæ, quæ prophético afflâta spíritu elocûta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum: & exultâvit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respéxit humilitâtem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beâtam me dicent omnes generatiónes. Quòd si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis; non útique contentiósè negáveris eam fuísse prophetíssam, quòd Dómini spíritus in eam supervénerit, & virtus Altíssimi obumbravérit ei.

℟. Cùm indúcerent púerum Jesum paréntes ejus in templum, ut fácerent secúndùm consuetúdinem legis pro eo, accêpit eum Símeon in ulnas suas, & benedíxit Deum, dicens: * Nunc dimittis Dómine servum tuum in pace. ℣. Suscípiens Símeon púerum in mánibus, exclamâvit, dicens. Nunc dimíttis Dómine. Glória Patri. Nunc dimíttis Dómine.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 2. c*

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiônis Maríæ secúndùm legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Orat. 7. in 17. Decl. Patrum.

Lumen ad revelatiônem géntium. Cur lumen? quia gentes in ténebris versabántur, & quia rursum obscurâta, tetrísque peccatôrum ténebris obdúcta, per illud illustránda & expiánda erant. Et glóriam plebis tuæ Israël. Hîc glória, illic revelátio. Hîc doctrínæ inítium, illic disciplínæ persecútio. Ast objécerit hîc fortè quíspiam: Dic, quæso, ubínam sunt Israëlítæ? Ecce, habes Petrum, habes Paulum, habes Joánnem, habes tria míllia, habes quinque míllia, habes Ecclésiam Jerosolymitânam, habes eos prætéreà Judæos, qui inter gentes dispérsi fidem suscéperant.

℟.

Digitized by Google

℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon, exclamâvit, & dixit: * Tu es verè lumen ad illuminatiônem géntium, & glóriam plebis tuæ Israël. ℣. Cùm indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, & ipse accêpit eum in ulnas suas, & benedíxit Deum, & dixit. Tu.

Lectio viij.

ITaque asservabâtur in pópulo illo fidei semen, neque simul univérsus pessum ivit; absit: neque simul omnes Judæi in intéritum ruérunt, sed plúrimi. Neque id mirum: nam & nunc quoque in felíci hac rerum constitutiône, beatâque vocatiône, multi quidem sunt vocáti, pauci verò elécti. Non totus itaque pópulus ille simul intériit, non totus depravâtus est, non totus in infidelitâte permánsit, non totus persecûtus est Apóstolos. Credidérunt enim per Apóstolos simul tria míllia, extra mulíeres & párvulos, & facta est Jerosólymis Ecclésia ádmodum numerôsa.

℟. Senex púerum portâbat, puer autem senem regêbat: * Quem virgo concêpit, virgo péperit, virgo post partum, quem génuit, adorâvit. ℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. Quem virgo. Glória Patri. Quem virgo.

Pro sancta Apollonia virgin. & martyre.

Lectio ix.

APollónia virgo Alexandrina, Décio Imperatôre, cùm ingravescénte jam ætâte ad idôla sisterétur, ut eis veneratiônem adhibêret; illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse prædicâbat. Quámobrem omnes ei contúsi sunt, & evúlsi dentes; ac, nisi Christum detestâta deos cóleret, accénso rogo combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitûram, respóndit. Itaque comprehénsa, ut comburerêtur, cùm paulísper, quasi delíberans quid agéndum esset, stetísset, ex illôrum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parâtum, majóri Spíritus sancti flamma intus accénsa, se injêcit. Unde, brevì consúmpto córpore, puríssimus spíritus in cœlum ad sempitérnam martyrii corônam evolâvit.

Te Deum laudámus. 28.

In Laudibus fit commem. sanctæ Apolloniæ virgin. & martyr. Aña. Símile est regnum cœlôrum. ℣. Spécie tua. Oratio. Deus, qui inter cætera, ut in Breviar.

In

In secundis Vesper. commemoratio sanctæ Scholasticæ virgin.

Post Octavam Purificationis beatæ Mariæ virginis.

Prima die non impedita Officio duplici, aut Dominica, dicitur Officium Defunctorum Duplex pro Anniversario parentum nostrorum, cum Psalm. **Lauda ánima mea**, in Vesp. & **De profúndis** in Laudibus, eodem modo, quo dicitur in Rubric. **§. VIII. num. 4.**

DIE XII. FEBRUÁRII.

In festo sanctæ Eulaliæ virgin. & mart. Duplex ij. class. cum Octava.

AD VESPERAS,

Aña. Hæc est virgo sápiens, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis, ut infra in festo beatæ Mariæ de Mercede.

Capitul. 2. *Cor.* 10. *d*

FRatres, Qui gloriâtur, in Dómino gloriêtur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probâtus est: sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

JEsu coróna vírginum,
Quem mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.
Qui pergis inter lília,
Septus choréis vírginum,
Sponsus decôrus glória,
Sponsísque reddens præmia.
Quocúmque tendis, vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.
Te deprecâmur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescîre prorsus ómnia
Corruptiônis vúlnera.
Virtus, honor, laus, glória,
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In seculôrum sécula.
Amen.

℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procêde, & regna.

Ad Magnificat.

Aña. Veni sponsa Christi, áccipe corônam, quam tibi Dóminus præparâvit in ætérnum.

Oratio.

DEus, qui nos martyrii beátæ Euláliæ vírginis solemnitâte lætíficas: concêde placâtus; ut gloriósis ejus méritis, & terrêna nobis proficiant, & cœléstia desiderâta provéniant. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem vírginum Dóminum, * Veníte adorêmus. Psalmus. Veníte, exultêmus. 16.

Hymnus.

VIrginis Proles, Opiféxque matris,
Virgo quem gessit, peperítque virgo;

Vír-

Vírginis partos cánimus decôra
Morte triúmphos.
Hæc enim palmæ dúplicis beáta
Sorte, dum gestit frágilem domâre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Cæde tyránnum.
Unde nec mortem, nec amíca mortis
Mille pœnârum génera éxpavéscens,
Sánguine effûso méruit serênum
Scándere cœlum.
Hujus orátu Deus alme nobis
Débitas pœnas scélerum remítte;
Ut tibi puro resonêmus almum
Péctore carmen.
Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In primo Nocturno.

Aña. O quàm pulchra est casta generátio cum claritâte! Psalmus: Dómine Dóminus noster, cum reliquis ut intra in Officio beatæ Mariæ de Mercede. Aña. Ante torum hujus vírginis frequentâte nobis dúlcia cántica drámatis. Psalm. Cœli enárrant glóriam Dei. Aña. Revértere, revértere Sunamítis; revértere, revértere, ut intueâmur te. Psalmus. Dómini est terra. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua. ℟. Inténde, prósperè procêde, & regna.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. *Cap. 7. e*

DE virgínibus præcéptum Dómini non habeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecûtus à Dómino, ut sim fidêlis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitâtem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligâtus es uxóri; noli quærere solutiônem. Solûtus es ab uxôre? noli quærere uxôrem. Si autem accéperis uxôrem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccâvit. Tribulatiônem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: relíquum est, ut & qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gáudent, tamquam non gaudéntes: & qui emunt, tamquam non possidéntes: & qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit

rit enim figûra hujus mundi. ℟. Veni sponsa Christi, áccipe corônam, quam tibi Dóminus præparâvit in ætérnum: pro cujus amôre sánguinem tuum fudísti, * Et cum Angelis in paradisum introísti. ℣. Veni elécta mea, & ponam in thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Et cum.

Lectio ij.

VOlo autem vos sine solicitúdine esse. Qui sine uxôre est, solícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo: qui autem cum uxôre est, solícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxôri, & divisus est. Et múlier innúpta, & virgo, cógitat quæ Dómini sunt: ut sit sancta córpore, & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porrò hoc ad utilitâtem vestram dico: non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, & quod facultâtem præbeat sine impediménto Dóminum obsecrándi.

℟. Diffûsa est grátia in lábiis tuis: * Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procêde, & regna. Proptéreà.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quòd sit superadúlta, & ita opórtet fieri, quod vult fáciat: non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitâtem, potestâtem autem habens suæ voluntátis, & hoc judicâvit in corde suo, servâre vírginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginem suam benè facit: & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligâta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quòd si dormíerit vir ejus, liberâta est: cui vult nubat: tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit secúndùm meum consílium: puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam. ℟. Spécie tua, & pulchritúdine tua, * Inténde, prósperè procêde, & regna. ℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis, proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum. Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno.

Aña. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procêde, & regna. Psalm. Eructâvit cor meum verbum bonum. Aña. Adjuvâbit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

Aña.

Digitized by Google

Aña Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitâtem.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis * in civitâte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundâtur exultatiône univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilônis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscêtur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis,* in spíritu vehemènti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitâte Dómini virtûtum, in civitâte Dei nostri: * Deus fundâvit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in medio templi tui.

Secúndùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætêtur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, & compléctímini eam: * narrâte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtûte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrêtis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in séculum séculi: * ipse reget nos in sécula.

Aña. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitâtem. ℣. Adjuvâbit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

EUlália virgo Barchinonénsis, nobílibus paréntibus nata, christiânam religiônem ab ineúnte ætâte colens, cùm décimum & quartum annum ágeret, pro Christi Dómini fide martyrio se ultrò spontéque objêcit. Nam quo témpore Diocletiáni, & Maximiáni Imperatôrum persecútio veheménter exárserat, Barchinônam Daciânus præses venit: qui ad idôla colénda ut Christiános adígeret, multíplici variôque tormentôrum génere usus, crudelíssimè advérsus eos se gérere cœpit. Id illa, quæ in villa patérna prope urbem habitâbat, cùm audísset, quóniam vénerat tempus, quo posset pro Dei glória sánguinem profúndere, ingens

gens gáudium íntimè sensit, usque ádeò, ut illud paréntes fácilè animadvérterent, quamvis causam planè ignorárent.

℟. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam: * Et dedûcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procêde, & regna. Et dedûcet.

Lectio v.

Martyrii ígitur desidério accénsa virgo, Barchinônam intempésta nocte proféćta, manè Daciânum pro tribunáli sedéntem convênit, & eum crudelitâtis, quam in Christiános exercêbat, palàm redárguit. Cujus líbera reprehensiône ille obstupefáctus. Ubi vírginem de fide Christiâna constántiùs respondéntem audívit, tunc verbéribus acerbíssimè cædi jussit. Eo autem cruciátu, cùm illius inexpugnábilem ánimi firmitâtem summámque in fide perseverántiam cérneret, irátior factus, eam equúleo torquêri, pectínibus dilaniári, fácibus adûri, in calcem vivam cónjici, óleo plumbóque fervénti semiustulári, atque áliis novis, & inaudítis supplíciis cruciári vóluit. Ea verò, quæ in médiis cruciaméntis, divína virtûte ad fidei confessiônem veheméntiùs confirmabâtur, non modò tormentôrum vim, sed tortôrum immanitâtem mirabíliter superâvit.

℟. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitâtem: * Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam. Proptéreà.

Lectio vj.

Daciânus ígitur, ubi tam váriis cruciátibus, quos acérrimos excogitáverat, à fidei propósito vírginem dimovéri nullo modo posse vidit; id prætéreà ad ignomíniam terrorémque Christianôrum adjúnxit, ut nuda plágísque penè concísa per urbem raptarêtur. Demum verò, quóniam de victória, quam sibi hujus mártyris virtus præripúerat, prorsus desperáverat, eam státuit cruci affigi: in qua martyrii cursu præclárè conféćto, ejus ánima in cœlum visa est instar colúmbæ conscéndere. Corpus autem honorífícè sepúltum, cùm diù latuísset, mirabíliter pósteà invéntum, in basílicam Barchinonénsem translâtum, in sacrariôque collocâtum, dénique áliquot post annis in próprio sacéllo recónditum, pia veneratiône cólitur.

℟.

Digitized by Google

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia, & exultatiòne. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procêde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno,

Aña. Nigra sum, sed formôsa, filiæ Jerúsalem: ídeò diléxit me Rex, & introdúxit me in cubículum suum. Psal. Cantâte Dómino cánticum novum. j. Aña. Trahe me: post te in odôrem currêmus unguentôrum tuôrum: óleum effûsum nomen tuum. Psalm. Dóminus regnâvit: exúltet terra. Aña. Veni sponsa Christi, áccipe corônam, quam tibi Dóminus præparâvit in ætérnum. Psalmus. Cantâte Dómino cánticum novum. ij. ℣. Elêgit eam Deus, & præelêgit eam. ℟. In tabernáculo suo habitâre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo tèmpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 12. *in Evangelia.*

SÆpè vos, fratres charíssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitâre: sed hodiérna sancti Evangélii lectiône compéllor dícere, ut & bona quæ ágitis, cum magna cautéla teneâtis: ne per hoc quod à vobis rectum géritur, favor aut grátia humâna requirâtur: ne appetítus laudis subrêpat, & quod foris osténditur, intus à mercéde vacuêtur. Ecce enim Redemptôris voce decem vírgines, & omnes dicúntur vírgines, & tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptæ: quia eârum quædam, dum de virginitâte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habêre noluérunt.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invênit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte.

Lectio viij.

SEd priùs quæréndum nobis est, quid sit regnum cœlôrum, aut cur decem vir-

virgínibus comparêtur, quæ étiam vírgines prudéntes, & fátuæ dicántur. Dum enim cœlôrum regnum constat, quia reprobôrum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibêtur? Sed sciéndum nobis est, quòd sæpè in sacro elóquio regnum cœlôrum præséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit: Mittet Fílius hóminis ángelos suos, & cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax súmma est, inveníri scándala póterunt, quæ colligántur.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptâte vestras lámpades. Ecce sponsus. Glória Patri. Ecce sponsus.

Lectio ix.

IN quinque autem córporis sénsibus unusquísque subsístit. Geminâtus autem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utrôque sexu fidélium multitûdo collígitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, & réprobi cum eléctis admíxti sunt; rectè símilis virgínibus prudéntibus, & fátuis esse perhibêtur. Sunt namque plerique continéntes, qui ab appetítu se exterióri custódiunt, & spe ad interiôra rapiúntur, carnem mácerant, & toto desidério ad supérnam pátriam anhélant, ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere laudes humánas nolunt. Hi nimírùm glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

HÆc est virgo sápiens, & una de número prudéntum. Psalmus. Dóminus regnâvit, cum reliq. 28. Aña. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invênit. Aña. Hæc est quæ nescívit torum in delícto: habêbit fructum in respectiône animârum sanctârum. Aña. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum, allelúia. Aña. Ista est speciôsa inter fílias Jerúsalem.

Capitulum. 2. *Cor.* 10. *d*

FRatres, Qui gloriâtur, in Dómino gloriêtur. Non enim qui seípsum commén-

méndat, ille probâtus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

JEsu, corôna vírginum,
Quem mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.
Qui pergis inter lília,
Septus choréis vírginum,
Spónsus decôrus glória,
Sponsísque reddens præmia.
Quocúmque tendis, vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.
Te deprecâmur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiônis vúlnera.
Virtus, honor, laus, glória,
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In seculôrum sécula. Amen.

℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus.

Aña. Símile est regnum cœlôrum hómini negotiatóri quæréenti bonas margarítas, invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, & comparâvit eam.

Oratio.

DEus, qui nos martyrii beátæ Euláliæ vírginis solemnitâte lætíficas: concéde placâtus; ut gloriósis ejus méritis, & terrêna nobis profíciant, & cœléstia desiderâta provéniant. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Aña. Hæc est virgo sápiens. Capitulum. Fratres, Qui gloriâtur, ut suprà. ℟. brev. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, prósperè procéde, & regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvâbit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Aña. Hæc est quæ nescivit.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

ÆMulor enim vos Dei æmulatiône. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibêre Christo.

℟. brev. Adjuvâbit eam, * Deus vultu suo. Adjuvâbit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvâbit. ℣. Elêgit eam Deus, & præelêgit eam. ℟. In tabernáculo suo habitâre facit eam.

Ad Nonam, Aña. Ista est speciôsa.

Capitulum. *Eccli.* 51. *b*

DOmine Deus meus, exaltásti super terram habitatiônem meam, & pro

Digitized by Google

morte defluénte deprecâta sum. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiônis meæ, & in tempore superbôrum sine adjutório.
℟. brev. Elêgit eam Deus, * Et præelêgit eam. Elêgit.
℣. In tabernáculo suo habitâre facit eam. Et præelêgit. Glória Patri. Elêgit. ℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis.
℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Vesperas, Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, & Hym. ut in primis Vesperis. ℣. Diffûsa est grátia in lábiis tuis.
℟. Proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat,

Aña. Veni sponsa Christi, áccipe corônam, quam tibi Dóminus præparâvit in ætérnum.

Oratio. Deus, qui nos martyrii, ut suprà.

Infra Octavam omnia dicuntur ut in festo, præter Lectiones, quæ in primo Nocturno leguntur de Scriptura occurrente, in aliis verò Nocturnis habentur propriæ, ut infra.

DIE XIII. FEBRUÁRII.

Secunda die infra Octavam sanctæ Eulaliæ.

In secundo Nocturno.

Serm. sancti Ambrósii Epíſc. *Lib.* 1. *de Virginibus, circa initium.*

Lectio iv.

QUóniam hódiè natâlis est vírginis, invîtat nunc integritâtis amor, ut áliquid de virginitâte dicâmus: ne véluti tránsitu quodam præstrícta videâtur, quæ principâlis est virtus. Non enim ídeò laudábilis virgínitas, quia in martyribus reperîtur: sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natûra suis inclûsit légibus? aut quis naturáli voce compléctì, quod supra usum natûræ sit? E cœlo accersîvit quod imitarêtur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quæsîvit è cœlo, quæ sponsum sibi invênit in cœlo.
℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

HÆc, nubes, áëra, ángelos, sideráque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invênit, & toto hausit péctore. Nam quis tantum, cùm invénerit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanîtum est nomen tuum: proptéreà adolescéntulæ dilexérunt te, & attraxérunt te. Postrémo, non meum est

est illud, quóniam quæ non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut ángeli Dei in cœlo. Nemo ergo mirêtur, si Angelis comparéntur, quæ Angelôrum Dómino copulántur.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

Quis ígitur neget hanc vitam fluxísse de cœlo, quam non fácilè invenímus in terris, nisi postquam Deus in hæc terréni córporis membra descéndit? Tunc in útero virgo concêpit, & Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet áliquis: Sed étiam Elías nullíus corpórei coïtus fuísse permíxtus cupiditátibus invenítur. Ídeò ergo curru raptus ad cœlum, ídeò cum Dómino appâret in glória, ídeò Domínici ventûrus est præcúrsor advéntus.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 12. *in Evangelia.*

Fatuæ vírgines oleum secum non sumunt, quia glóriam intra consciéntiam non habent dum hanc ab ore proximôrum quærunt. Notándum verò quòd omnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent: quia plerúmque bona in se ópera cum eléctis, & réprobis osténdunt, sed soli ad sponsum cum óleo véniunt, qui de his quæ foris égerint, intus glóriam requírunt. Unde per Psalmístam quoque de sancta electôrum Ecclésia dícitur: Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus.

℟. Hæc est virgo sápiens. 63.

Lectio viij.

Omnes vírgines surgunt; quia & elécti, & réprobi à somno suæ mortis excitántur. Lámpades ornant, quia sua secum ópera númerant, pro quibus ætérnam recípere beatitúdinem expéctant. Sed lámpades fatuârum vírginum extinguúntur: quia eárum ópera, quæ clara nomínibus foris apparúerant, in advéntu júdicis intus obscuréntur, & á Deo retributiónem non invéniunt; quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes, quas amavé-

runt. Quid est autem, quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in advéntu júdicis, cum se intus vacuas invénerint, testimónium foris quærunt? Ac si à sua fidúcia decéptæ próximis dicant: Quia nos quasi sine ópere repélli conspícitis, dícite de nostris opéribus quid vidístis. Sed prudéntes vírgines respóndent, dicéntes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis.

℟. Média nocte. 64.

Lectio ix.

O Si sápere in cordis paláto possit, quid admiratiônis hábeat, quod dícitur, Venit sponsus! quid dulcédinis, Intravérunt cum eo ad núptias! quid amaritúdinis, Et clausa est jánua! Venit quippe ille, qui advéntu suo eleménta cóncutit, in cujus conspéctu cœlum & terra contremíscunt. Unde étiam per prophêtam dicit: Adhuc semel, & ego movébo non solùm terram, sed étiam cœlum. Ad cujus exâmen omne humânum genus dedúcitur, cui ad vindíctam malôrum remuneratiónemque bonôrum, Archángeli, Throni, Principâtus, & Dominatiónes obsequúntur.

Te Deum laudâmus. 28.

In Vesp. fit commemorat. sancti Valentini Presbyteri, & martyr.

Aña. Isté sanctus. ℣. Glória, & honôre, ut supra. 34.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Valentíni mártyris tui natalítia cólimus, à cunctis malis imminéntibus, ejus intercessiône liberêmur. Per Dóminum nostrum.

DIE XIV. FEBRUÁRII.

Tertia die infra Octavam sanctæ Eulaliæ.

In secundo Nocturno.

De Sermône sancti Ambrósii Epíscopi.

De Virginibus, *lib.* I.

Lectio iv.

MAría sumens tympanum, pudôre virgíneo choros duxit. Sed considerâte cujus illa spéciem tunc gerêbat: nonne Ecclésiæ, quæ religiósos pópuli cœtus, qui cármina divína concínerent, immaculáto virgo spíritu copulâvit? Nam étiam templo Jerosólymis fuísse légimus vírgines deputâtas. Sed quid Apóstolus dicit? Hæc autem in figûra contingébant illis, ut essent indícia futurôrum. Figûra enim in paucis est, vita in plúribus.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lec-

Digitized by Google

Lectio v.

AT verò posteàquam Dóminus in corpus hoc véniens, contubérnium divinitâtis & córporis sine ulla concrétæ confusiônis labe sociâvit; tunc toto orbe diffûsus, corpóribus humánis vitæ cœléstis usus inolêvit. Hoc illud est, quod ministrántes in terris Angeli decantárunt futûrum genus, quod ministérium Dómino immaculáti córporis obséquiis exhibêret. Hæc est cœléstis illa milítia, quam laudántium exércitus angelôrum promittêbat in terris. Habêmus ergo auctoritâtem vetustâtis à século, plenitúdinem professiônis à Christo.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

CErtè non est hoc mihi commûne cum géntibus, non populâre cum bárbaris, non cum cæteris animántibus usitâtum; cum quibus etsi unum eumdémque vitâlem áëris hujus cárpimus spíritum, vulgârem terréni córporis participâmus statum, generándi quoque non discrepâmus usu: hoc solo tamen natúræ párilis convítia declinâmus, quòd virgínitas affectâtur à géntibus, sed consecrâta violâtur; incursâtur à bárbaris, nescitur à réliquis.

℟. Afferéntur. Regi. 62.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 12. *in Evangelia.*

ET clausa est jánua. Pensâte, fratres charíssimi, ante conspéctum tanti júdicis, qui in illo die terror erit, quando jam in pœna remédium non erit? Quæ illa confúsio, cui, reátu suo exigénte, contínget in convéntu ómnium Angelôrum hominúmque erubéscere? Qui pavor, eum, quem & tranquíllum mens humâna cápere non valet, étiam irâtum vidêre? Quem diem bene prophêta íntuens, ait: Dies iræ, dies illa, dies tribulatiônis, & angústiæ, dies calamitâtis, & misériæ, dies tenebrârum, & calíginis, dies nébulæ, & túrbinis, dies tubæ, & clangôris. Pensâte ergó, fratres charíssimi, extrémi diem judícii super corda reprobôrum, qua asperitá-

Digitized by Google

tâte prophêta vidit amaréscere, quem tot appellatiónibus non valet explicâre.

℟. Hæc est virgo sápiens. 63.

Lectio viij.

QUanta verò tunc erit electôrum lætítia, qui de ejus meréntur visióne gaudêre, de cujus conspéctu vident & eleménta ómnia contremíscere, cum eo simul ad núptias intrâre? Qui, & in sponsi núptiis gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa, quia in illo ætérni Regis thálamo visióni nostræ Deus conjúngitur. Quæ scilicèt vísio numquam jam in perpétuum ab amôris sui amplèxibus evellêtur. Tunc regni jánua lugéntibus claudêtur, quæ modò quotídiè pœniténtibus aperítur. Erit namque & tunc pœniténtia, sed fructuôsa jam non erit: quia nequâquam tunc véniam invéniet, qui modò aptum véniæ tempus perdit. Hinc étenim Paulus dicit: Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salûtis. Hinc prophêta ait: Quærite Dóminum, dum inveníri potest: invocâte eum, dum propè est.

℟. Média nocte. 64.

Lectio ix.

UNde & eásdem vírgines fátuas invocántes Dóminus non audit; quia interclûsa regni jánua, is qui nunc per exauditiônem propè esse póterat, propè jam non erit; nam súbditur: Novíssimè véniunt & réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait; Amen dico vobis, néscio vos. Ibi jam à Deo non potest meréri quod petit, qui hìc nóluit audíre quod jussit: quia qui tempus cóngruæ pœniténtiæ pérdidit, frustrà ante regni jánuam cum précibus venit. Hinc est enim quod per Salomônem Dóminus dicit: Vocávi, & renuístis; exténdi manum meam, & non fuit qui aspíceret: despexístis omne consílium meum, & increpatiónes meas neglexístis: ego quoque in intéritu vestro ridêbo, & subsannâbo, cùm vobis quod timebâtis advénerit; cùm irrúerit repentína calámitas, & intéritus quasi tempéstas ingrúerit: quando vénerit super vos tribulátio, & angústia: tunc invocábunt me, & non exáudiam: manè consúrgent, & non invénient me. Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem. sancti Valentini Presbyteri, & martyris. Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custôdit eam. ℣. Justus, ut palma flo-

Digitized by Google

florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Oratio. Præsta quæsumus, ut supra.

In Vesperis fit commem. Ss. Faustini, & Jovitæ mart. Aña. Istôrum est enim regnum cœlôrum, qui contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino, & exultâte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEus, qui nos ánnua sanctôrum mártyrum tuôrum Faustíni, & Jovítæ solemnitâte lætíficas: concéde propítius; ut quorum gaudêmus méritis, accendâmur exémplis. Per Dóminum.

DIE XV. FEBRUÁRII.

Quarta die infra Octavam sanctæ Eulaliæ.

In secundo Nocturno.

De Sermône sancti Ambrósii Epíscopi.

De Virginibus, *lib.* I.

Lectio IV.

IN laudatiónibus solet pátria prædicári, & paréntes, ut in commemoratiône auctôris dígnitas successiônis exagerêtur. Ego licèt laudatiônem non suscéperim virginitâtis, sed expressiônem; ad rem tamen pertinêre árbitror, ut quæ sit ei pátria, quis auctor, appáreat. Ac priùs ubi sit pátria definiámus. Si enim ibi est pátria, ubi genitâle domicílium: in cœlo proféctò est pátria castitâtis. Itaque hîc ádvena, ibi íncola est. Quid autem est cástitas virginâlis, nisi expers contagiônis intégritas? ℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio V.

ATque ejus auctôrem, quem póssumus existimâre, nisi immaculâtum Dei Fílium, cujus caro non vidit corruptiônem, divínitas non est expérta contagiônem? Vidête ígitur, quanta virginitâtis mérita sint: Christus ante vírginem, Christus ex vírgine: à Patre quidem natus ante sécula, sed ex vírgine natus ob sécula. Illud natûræ suæ, hoc nostræ utilitâtis est. Illud erat semper, hoc esse vóluit.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio VI.

SPectâte áliud virginitâtis méritum. Christus virgo, vírginis sponsus, &, si dici potest, Christus virgíneæ castitâtis. Virgínitas enim Christi, non virginitâtis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, virgo quæ nos suo útero portâvit: virgo quæ génuit, virgo quæ próprio lacte nutrívit, de qua légimus:

Quanta fecit virgo Israël? Non deficiet de petra úbera, neque nix à Líbano, aut declinâvit aqua válida, vento quæ portâtur. Quális est hæc virgo, quæ Trinitâtis fóntibus irrigâtur? cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt úbera, mella fundúntur? Petra autem est, juxta Apóstolum, Christus: ergo à Christo non deficiunt úbera, cláritas à Deo, flumen à Spíritu. Hæc est Trínitas, quæ Ecclésiam suam írrigat, Pater, Christus, & Spíritus.

℟ Afférentur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

De Homília sancti Gregórii Papæ.

Hômilia 12. *in Evangelia.*

ECce vírgines fátuæ jánuam aperíri clamant, & repulsiônis suæ dolôre compúlsæ, appellatiônem dominántis ingéminant, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. Preces ófferunt, sed nesciúntur; quia, tunc velut incógnitos Dóminus déserit, quos modò suos per vitæ méritum non agnóscit. Ubi aptè quoque generâlis ad discípulos exhortátio subinfértur, cùm dícitur: Vigilâte ítaque, quia nescîtis diem neque horam.

℟ Hæc est virgo sápiens. 63.

Lectio viij.

QUia post peccâta Deus pœniténtiam súscipit: si sciret quisque de præsénti século quo témpore exíret, áliud tempus voluptátibus, atque áliud pœniténtiæ aptâre potuísset. Sed qui pœniténti véniam spopóndit, peccánti diem crástinum non promîsit. Semper ergo extrémum diem debêmus metúere, quem numquam póssumus prævidêre. Ecce hunc ipsum diem de quo lóquimur, ad indúcias conversiônis accépimus; & tamen mala quæ fécimus, flere recusámus. Non solùm commíssa non plángimus, sed étiam quæ defleántur augêmus. At si áliqua nos ægritûdo corrípiat, si signa ægritúdinis vicínam mortem denúntient, indúcias vivéndi quærimus, ut peccáta nostra defleámus; & eas cum magno æstu desidérii pétimus, quas accéptas modò pro níhilo habêmus.

℟.

℟. Média nocte clamor. 64.

Pro Ss. martyribus Faustino, & Jovita

Lectio ix.

FAustinus, & Jovita, fratres, nóbiles Brixiani, in multis Itáliæ úrbibus, quò vincti sæviénte Trajáni persecutiône ducebántur, acerbíssima supplícia perpéssi, fortes in christiánæ fidei confessiône perstitérunt. Nam Bríxiæ diu vínculis constrícti, feris étiam objécti, in ignémque conjécti, & à béstiis, & à flamma íntegri & incólumes serváti sunt: inde verò eísdem caténis colligáti Mediolânum venérunt: ubi eôrum fides tentâta exquisitíssimis torméntis, tamquam igne aurum, in cruciátibus magis enítuit. Pósteà Romam missi, ab Evarísto Pontífice confirmáti, ibi quoque crudelíssimè torquéntur. Dénique perdúcti Neápolim, in ea étiam urbe váriè cruciáti, vinctis mánibus pedibúsque in mare demergúntur: unde per ángelos mirabíliter erépti sunt. Quare multos, & constántia in torméntis, & miraculôrum virtûte ad Christi fidem convertérunt. Postrémò redúcti Bríxiam inítio suscépti ab Adriáno impérii, secúri percússi, illústrem martyrii corônam accepérunt.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem., Ss. Faustini, & Jovitæ.

Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timêre, multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. Oratio. Deus, qui nos ánnua, ut suprà.

DIE XVI. FEBRUÁRII.

Quinta die infra Octavam sanctæ Eulaliæ.

In secundo Nocturno.

De Sermône sancti Ambrósii Epíscopi.

De Virginibus, *lib.* 1.

Lectio iv.

DE virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo, consílium autem do. Si Doctor géntium non hábuit, habêre quis pótuit? Et præcéptum quidem non hábuit, sed hábuit exémplum. Non enim imperári potest virgínitas, sed optári: nam quæ supra nos sunt, in voto magis quàm in magistério sunt. Sed volo vos, inquit, sine solicitúdine esse: nam qui sine uxôre est, solícitus est quæ Dómini sunt, quómodò pláceat Deo: & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta & córpore, & spíritu. Nam quæ nupta est, cógitat quæ mun-

Digitized by Google

mundi sunt, quómodò pláceat viro.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

NOn ego quidem dissuádeo matrimónium, sed virginitâtis attéxo benefícium. Qui infirmus est, inquit, ólera mandûcet. Aliud exígo, áliud admíror. Alligâtus es uxóri? noli quærere solutiônem. Solûtus es ab uxóre? ne quæsiéris uxôrem. Hoc præcéptum est copulâtis. De virgínibus autem quid ait? Et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit: & qui non jungit, méliùs facit. Illa non peccat, si nubat: hæc si non nubat, ætérna est. Ibi remédium infirmitâtis, hîc glória castitâtis. Illa non reprehénditur, ista laudâtur.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

COnferâmus, si placet, bona mulíerum cum últimis vírginum. Jactet licet fœcúndo se múlier nóbilis partu: quò plures generáverit, plus labôrat. Númerat solátia filiôrum, sed númeret páriter & moléstias. Nubit, & plorât. Quália sunt vota quæ flentur? Cóncipit, & gravéscit. Priùs útique impediméntum fœcúnditas íncipit afférre quàm fructum. Párturit, & ægrôtat. Quàm dulce pignus, quod à perículo íncipit, & in perículis désinit, priùs dolóri futûrum quàm voluptáti. Perículis émitur, nec pro arbítrio possidêtur. Quid recénseam nutriéndi moléstias, instituéndi, & copulándi? Felícium sunt istæ misériæ. Habet mater hærédes, sed auget dolóres. Nam de advérsis non opórtet dícere, ne sanctissimôrum paréntum ánimi contremíscant.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso, & sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 83. *Quæst. q.* 59.

VIdéntur mihi quinque vírgines significâre quinque partítam continéntiam à carnis illécebris. Continéndus est enim ánimi appetítus à voluptâte oculôrum, à voluptâte áurium, à voluptâte olfaciéndi, gustándi, tan-

Digitized by Google

tangéndi. Sed quia iſta continéntia partim coram Deo fit, ut illi placeâtur in interióri gáudio conſciéntiæ, partim coram homínibus tantùm, ut glória humâna capiâtur; quinque dicúntur sapiéntes, & quinque fátuæ: útræque tamen vírgines, quia útraque continéntia eſt, quamvis divérſo fómite gáudeat. Lámpades autem ſunt, quia mánibus geſtántur ópera, quæ secúndùm iſtam continéntiam fiunt. Dictum eſt autem: Lúceant ópera veſtra coram homínibus.

℟. Hæc eſt virgo ſápiens. 63.

Lectio viij.

OMnes verò accepérunt lámpades ſuas, & venérunt óbviàm ſponſo. Intelligéndum eſt ergo Chriſti nómine censéri, de quibus ágitur. Non enim poſſunt, qui Chriſtiáni non ſunt, ſponſo Chriſto venire óbviam. Sed quinque fátuæ accéptis lampádibus ſuis, non ſumpſérunt óleum ſecum. Multi enim, quamvis de Chriſti bonitâte plúrimum ſperent, gáudium tamen non habent, dum continénter non vivunt, niſi in láudibus hóminum. Non ergo habent óleum ſecum: nam ipſam lætítiam óleo ſignificári árbitror. Proptéreà unxit, inquit, te Deus, Deus tuus, óleo exultatiônis. Qui autem non proptéreà gaudet, quia Deo intrínsecùs placet, non habet óleum ſecum. Prudéntes autem accepérunt ſecum óleum in vaſis ſuis cum lampádibus, id eſt, lætítiam bonôrum óperum in corde, atque conſciéntia poſuérunt; ſicut Apóſtolus monet: Probet autem ſe homo, inquit, & tunc in ſemetípſo habêbit glóriam, & non in áltero.

℟. Média nocte. 64.

Lectio ix.

TArdánte verò ſponſo, dormitavérunt omnes; quia ex utrôque génere continéntium hóminum, ſive eôrum qui coram Deo exúltant, ſive eôrum qui in láudibus hóminum acquiéſcunt, moriúntur hoc intervállo témporis, donec ſub advéntu Dómini fiat reſurréctio mortuôrum. Média autem nocte, id eſt, nullo sciénte, aut ſperánte: quippe cum ipſe Dóminus dicat: De die autem illa & hora nemo ſcit: & Apóſtolus: Dies Dómini tamquam fur in nocte ita véniet. Ex quo ſignificâtur, cum pénitùs latêre, cùm vénerit. Clámor factus eſt, Ecce ſponſus venit, ſúrgite óbviam ei. In ictu óculi, & in noviſſima tuba omnes reſurgê-

gêmus. Ergo ſurrexérunt omnes vírgines illæ, & aptavérunt lámpades suas, id est, ratiónes reddéndas óperum suôrum. Opórtet enim nos exhibéri ante tribûnal Christi, ut illic recípiat unusquísque quòd gessit in córpore, sive bonum, sive malum.

Te Deum laudâmus. 28.

DIE XVII. FEBRUÁRII.

Sexta die infra Octavam sanctæ Eulaliæ.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & mártyris de disciplîna & hábitu vírginum.

Cap. 2. Lectio iv.

NUnc nobis ad vírgines sermo est, quarum quò sublímior glória est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiæ spiritâlis, læta índoles, laudis & honôris opus íntegrum, atque incorrúptum, Dei imâgo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriôsa fœcúnditas: quantóque plus copiôsa virgínitas número suo addit, tantò plus gáudium matris augéscit. Ad has lóquimur, has adhortâmur affectiône pótiùs quàm potestâte: non quòd extrémi, & mínimi, & humilitâtis nostræ ádmodum cónscii áliquid ad censûram licéntiæ vindicêmus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plùs de diáboli infestatiône timeâmus.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

NEque inânis hæc cáutio est, & vana formído, quæ ad salûtis viam cónsulit, quæ Domínica & vitália præcépta custôdit, ut quæ se Christo dicáverint, & à carnâli concupiscéntia recedéntes, tàm carne, quàm mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno præmio destinâtum, nec ornári jam, aut placêre cuíquam, nisi Dómino suo, stúdeant, à quo & mercêdem virginitâtis expéctant, dicénte ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadónes, qui ex útero matris sic nati sunt: & sunt spadónes, qui coácti sunt ab homínibus: & sunt spadónes, qui seípsos castravérunt propter regnum cœlôrum.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

DEnuo quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicâtur: Hi sunt, qui cum muliéribus se non coin-

coinquinavérunt: vírgines enim permansérunt: hi sunt qui sequúntur Agnum quocúmque íerit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromíttit, & fœminas prætерit: sed quóniam fœmina viri pórtio est, & ex eo sumpta atque formâta est, in Scriptúris ferè ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, & in másculo simul significâtur & fœmina. Quòd si Christum continéntia séquitur, & regno Dei virgínitas destinâtur: quid est illis cum terréno cultu, & cum ornaméntis, quibus dum homínibus placêre géstiunt, Deum offéndunt?

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

De Homilia sancti Augustíni Epíscopi. *Ubi supra.*

ET dixérunt stultæ ad sapiéntes: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguúntur. Quorum enim facta aliéna laude fulciúntur, eâdem subtrácta, deficiunt: & de consuetúdine id semper inquírunt, unde gaudêre ánimus solet. Itaque hóminum, qui corda non vident, testimónium volunt habêre apud Deum, qui cordis inspéctor est. Sed quid respondérunt sapiéntes? Ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Unusquísque enim pro se ratiônem reddet, nec aliéno testimónio quisquam adjuvâtur apud Deum, cui secrêta cordis appârent: & vix sibi quisque súfficit ut ei testimónium perhíbeat consciéntia sua. Quis enim gloriábitur mundum se habêre cor? Inde est quòd Apóstolus ait: Mihi autem mínimum est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die: sed neque meípsum júdico. Quaprópter cùm de seípso quisque aut non omníno, aut vix possit veram ferre senténtiam, quómodo potest de álio judicâre, cùm sciat nemo quid agâtur in hómine, nisi spíritus hóminis?

℟. Hæc est virgo sápiens. 63.

Lectio viij.

ITe magis ad vendéntes, & émite vobis. Non consílium dedísse putándæ sunt, sed crimen eárum ex oblíquo

Digitized by Google

quo commemorásse. Vendunt enim óleum adulatóres, qui sive falsa, sive ignoráta laudándo, ánimas in errórem mittunt: & eis vana gáudia tamquam fátuis conciliándo, áliquam de his mercédem, sive cibórum, sive pecúniæ, sive honóris, sive alicújus cómmodi temporális accípiunt; non intelligéntes quòd dictum est: Qui vos felíces dicunt, in errórem vos mittunt. Méliùs est autem objurgári à justo, quàm à peccatóre laudári. Emendábit me, inquit, justus in misericórdia, & árguet me; óleum autem peccatóris non impínguet caput meum. Ite ergo magis ad vendéntes, & émite vobis: id est: Videámus nunc quid vos ádjuvant, qui vobis laudes véndere consuevérunt, & vos in errórem indúcere, ut non coram Deo, sed ab homínibus glóriam quærerétis. ℟. Média nocte. 64.

Lectio ix.

EÚntibus autem illis émere, venit sponsus, id est: Inclinántibus se illis in ea quæ foris sunt, & sólitis gaudére quæréntibus, quia gáudia intérna non nóverant, venit ille qui júdicat. Et quæ parátæ erant, id est, quibus bonum coram Deo testimónium consciéntia perhibébat, intravérunt cum eo ad núptias, id est, ubi munda ánima puro & perfécto sempiternóque Dei verbo fœcundáta, copulátur. Et clausa est jánua, id est, recéptis illis, qui sunt in angélicam vitam immutándi. Omnes enim, inquit, resurgémus, sed non omnes immutábimur: clausus est áditus ad regnum cœlórum. Non enim post judícium patet precum, aut meritórum locus.

Te Deum laudámus. 28.

In Vesperis fit commemoratio sancti Simeonis Episcopi & martyris. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória & honóre. ℟. Et constituísti. 34.

Oratio.

INfirmitátem nostram réspice omnípotens Deus: & quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Simeónis mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

DIE XVII. FEBRUÁRII.

Septima die infra Octavam sanctæ Eulaliæ.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & mártyris de disciplína & hábitu vírginum.

Lectio iv.

COntinéntia verò & pudicitía non in sola carnis integritáte consístit, sed étiam

étiam in cultus & ornátus honôre páriter ac pudôre, ut secúndùm Apóstolum, Quæ innúpta est, sancta sit & córpore & spíritu. Instruit Paulus, & dicit; Cælebs cógitat ea quæ sunt Dómini, quómodò pláceat Deo. Qui autem matrimónium contráxit, cógitat ea quæ sunt mundi hujus, quómodò pláceat uxôri. Sic & virgo, & múlier innúpta, cógitat ea quæ sunt Dómini, ut sit sancta & córpore & spíritu. Virgo non esse tantùm, sed & intélligi debet & credi, ut nemo, cum vírginem videt, dúbitet an virgo sit. Parem se intégritas in ómnibus præstet, nec bonum córporis cultus infámet. Quid ornáta, quid compta procêdit, quasi marítum aut hábeat, aut quærat? Tímeat pótiùs placêre, si virgo est, nec perículum sui áppetat, quæ ad meliôra & divína se servat.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

QUæ virum non habent, cui placêre se símulent, íntegræ & puræ non tantùm córpore, sed étiam spíritu persevérent. Neque enim fas est vírginem ad spéciem formæ suæ comi, aut de carne, & de ejus pulchritúdine gloriári; cùm nulla sit illis magis quàm advérsus carnem colluctátio, & vincéndi córporis ac domándi obstinâta certátio. Paulus forti ac sublími voce proclâmat: Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et virgo in Ecclésia de spécie carnis, ac de córporis pulchritúdine gloriâtur? Addit Paulus, & dicit: Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis & concupiscéntiis: & quæ se concupiscéntiis carnis & vítiis renuntiásse profitêtur, in iísdem quibus renuntiáverat invenítur? Deprehénderis virgo, & detégeris, áliud te esse jactas, & affèctas: máculis te concupiscéntiæ carnâlis aspérgis, cùm integritâtis candidâta sis & pudôris.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

CLama, inquit Isaíæ Dóminus, Omnis caro fœnum, & omnis cláritas ejus ut flos fœni: áruit fœnum, & flos décidit, verbum autem Dómini manet in ætérnum. Néminem christiânum decet, & máximè vírginem non decet, claritâtem ullam computâre carnis, & honôrem;

rem; sed solùm appétere sermônem Dei, bona in ætérnum mansûra compléčti. Aut si in carne sit gloriándum, tunc planè quando in nóminis confessiône cruciátur, quando fórtior fœmina viris torquéntibus invenîtur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel béstias pátitur, ut coronêtur. Illa sunt carnis pretiôsa monília, illa córporis ornaménta meliôra.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Díxit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

De Homilîa sancti Augustíni Epíscopi. *Ubi supra.*

NOvíssimè autem véniunt & réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. Non dictum est quòd émerint óleum, & ídeò intelligéndæ sunt, nullo jam remanénte de aliénis láudibus gáudio, in angústiis & magnis afflictiónibus redîre ad imploratiônem Dei. Sed magna est ejus sevéritas post judícium, cujus ante judícium ineffábilis misericórdia prorogâta est. Itaque respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Ex illa scílicet régula, quam non habet ars Dei, hoc est sapiéntia Dei, ut intrent in gáudium ejus qui non coram Deo, sed ut placérent homínibus, visi sunt áliquid secúndùm præcéptum ejus operári; atque ita conclûdit: Vigilâte ergo, quia nescîtis diem neque horam: non modò illîus últimi témporis, quo ventûrus est sponsus, sed suæ quisque diem dormitiônis & horam nescit. Quisquis autem parâtus est usque ad somnum, id est, usque ad mortem, quæ ómnibus debêtur, parâtus étiam inveniêtur, cùm illa vox média nocte sonúerit, qua omnes evigilatúri sunt.

℟. Hæc est virgo sápiens. 63.

Lectio viij.

QUod verò sponso dixit óbviàm venîre vírgines, sic intelligéndum puto, ut ex ipsis virgínibus constet ea quæ dícitur sponsa; tamquam si ómnibus christiánis in Ecclésiam concurréntibus, filii ad matrem concúrrere dicántur, cùm ex ipsis filiis congregátis constet ea quæ dícitur mater. Nunc enim desponsâta est Ecclésia, & virgo est ad núptias

tias perducénda, id est, cùm se cóntinet à corruptiône seculári. Illo autem témpore nubet, cùm, univérsa mortalitâte in ea pereúnte, immortáli conjunctiône fruêtur. Desponsávi, inquit, vos uni viro vírginem castam exhibêre Christo, Vos, inquit, vírginem, à plurâli ad singulârem conclúdens: ídeò & vírgines dici possunt, & virgo.

℟. Média nocte clamor factus est. 64.

Pro sancto Simeone Episcopo & martyre.

Lectio ix.

Simeon, filius Cléophæ, post Jacôbum próximus Jerosólymis ordinâtus Epíscopus, Trajáno Imperatôre apud Átticum consulârem est accusátus, quòd Christiânus esset, & Christi propínquus. Comprehendebántur enim omnes eo témpore, quicúmque ex génere David orti essent. Quare multis cruciâtus torméntis, eôdem passiônis génere, quod Salvátor noster subíerat, afficitur, mirántibus ómnibus, quòd homo ætâte conféctus (erat enim centum, & vigínti annôrum) acerbíssimos crucis dolóres fórtiter constánterque paterêtur.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commemoratio sancti Simeonis Episcopi. & mart. Aña. Qui odit. ℣. Justus ut palma. Oratio. Infirmitâtem. 78.

DIE XIX. FEBRUÁRII.

Octava sanctæ Eulaliæ. Duplex.

In secundo Nocturno.

Ex libro S. Cypriáni Epíscopi & mart. de disciplína & hábitu vírginum.

Lectio iv.

AUdîte ítaque vírgines ut paréntem: audîte, quæso, vos docéntem páriter ac monéntem: audîte utilitátibus & cómmodis vestris fidéliter consuléntem. Estôte tales, quales vos Deus ártifex fecit: estóte tales, quales vos manus Patris instítuit. Máneat in vobis fácies incorrúpta, cérvix pura, forma sincêra. Non inferántur áuribus vúlnera, nec bráchia inclûdat aut colla de armíllis & monílibus catêna pretiôsa. Sint à compédibus áureis pedes líberi, crines nullo colôre fucáti, óculi conspiciéndo Deo digni. Celebréntur lavácra cum fœmínis, quarum in vos pudíca lavátio est. Nuptiârum festa ímproba & convívia lascíva vitèntur, quorum periculôsa contágio est.

℟. Propter veritâtem. 62.

Digitized by Google

Lectio v.

VInce vestem, quæ virgo es, quæ Deo servis: vince aurum, quæ carnem vincis, & séculum. Non est ejúsdem, non posse à majóribus vinci, & ímparem minóribus inveníri. Arcta & angústa est via, quæ ducit ad vitam: durus & árduus est limes qui tendit ad glóriam. Per hunc vitæ límitem mártyres pergunt, eunt vírgines, justi quique gradiúntur. Lata & spatiósa itínera vitâte; letháles illic illécebræ, & mortíferæ voluptátes illic diábolus blandítur, ut fallat, arrídet, ut nóceat, állicit, ut occídat. Primus enim centenárius mártyrum fructus est: secúndus sexagenárius vester est. Ut apud mártyres non est carnis & séculi cogitátio, nec parva & levis & delicáta congréssio; sic & in vobis, quarum ad glóriam merces secúnda est, sit & virtus ad toleràntiam próxima.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

NOn est ad magna fácilis ascénsus. Quem sudôrem perpétimur, quem labôrem, cùm conâmur ascéndere colles & vértices móntium? Quid ut ascendâmus ad cœlum? Si præmium pollicitatiônis atténdas, minus est quod labôras. Immortálitas perseveránti datur, perpétua vita promíttitur, regnum Dóminus pollicêtur. Servâte, vírgines, servâte quod esse cœpístis, servâte quod éritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtûtis, munus máximum castitâtis.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 4. *Comment. in Matth. ad cap.* 25.

HAnc parábolam, id est, similitúdinem decem vírginum fatuârum atque prudéntium, quidam simplíciter in virgínibus interpretántur: quarum áliæ, juxta Apóstolum, & córpore & mente sunt vírgines: áliæ virginitâtem tantùm córporum reservántes, vel cætera ópera non habent propósito suo simília, vel paréntum custódia reservâtæ, nihilómi-

minùs mente nupsérunt. Sed mihi vidêtur ex superióribus alius sensus esse qui dícitur: & non ad virginália córpora, sed ad omne hóminum genus comparátio pertinêre. Sicut enim duo in agro, & duæ moléntes, duos signíficant pópulos, Christianôrum & Judæôrum, sive sanctôrum & peccatôrum, qui in Ecclésia constitúti, vidéntur quidem & ipsi arâre & mólere, sed cuncta in hypócrisi fáciunt: sic & nunc decem vírgines, omnes hómines compleçtúntur, qui vidéntur Deo crédere, & appláudunt sibi in Scriptúris sanctis, tam Ecclesiásticos, quàm Judæos, atque hæréticos. Qui idcírco omnes vírgines appellántur, quia gloriántur in unius Dei notítia, & mens eôrum idololatríæ tuba non constuprâtur.

℟. Hæc est virgo. 63.

Lectio viij.

OLeum habent vírgines, que juxta fidem, & opéribus adornántur. Non habent óleum, quæ vidéntur símili quidem fide Dóminum confitéri, sed virtûtum ópera négligunt. Póssumus quinque vírgines sapiéntes, & stultas, quinque sensus interpretári: quorum álii féstinant ad cœléstia, & supérna desíderant; álii terrénis fæcibus inhiántes, foménta non habent veritâtis, quibus corda sua illúminent. De visu & audítu & tactu spirituáliter dictum est: Quod vídimus, quod audívimus, quod óculis nostris perspéximus, & manus nostræ palpavêre. De gustu: Gustâte, & vidête, quóniam suâvis est Dóminus. De odorátu: In odôrem unguentôrum tuôrum cúrrimus. Et: Christi bonus odor sumus.

℟. Média nocte. 64.

Lectio ix.

MOram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Non enim parum témporis inter priôrem & secúndum advéntum Dómini prætergréditur. Omnes dormitavérunt, id est, mórtuæ sunt; quia sanctôrum mors somnus appellâtur. Consequénter autem dícitur: Dormiérunt; quia pósteà suscitándæ sunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Súbitò enim, quasi intempésta nocte, & secúris ómnibus, quando gravíssimus sopor est, per Angelôrum clamôrem, & tubas præcedéntium fortitúdinum, Christi resonâbit advéntus.

Te Deum laudâmus. 28.

Digitized by Google

FERIA IV. CINERUM.
ABSOLÚTIO GENERÁLIS.

FESTA MARTII.

DIE VII. MÂRTII.

In Festo sancti Thomæ de Aquino Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris. Dupl. secundæ classis.

Ad Vesperas, Antiphona. Adest dies, cum reliquis de Laudibus. Psalm. D ixit Dóminus, cum reliquis. 13.

Capitulum. *Eccli.* 45.

Elêgit eum Dóminus ex omni carne: & dedit illi coram præcépta, & legem vitæ, & disciplínæ, docêre Jacob testaméntum suum, & judícia sua Israël.

Hymnus.

Exúltet mentis júbilo
Laudans turba fidélium,
Errôrum pulso núbilo
Per novi solis rádium.
Thomas in mundi véspere
Fudit thesáuros grátiæ,
Donis plenus ex æthere
Morum, & sapiéntiæ.
De cujus fonte lúminis
Verbi corúscant fáculæ
Scriptúræ sacræ núminis,
Et veritâtis régulæ.
Fulgens doctrínæ rádiis,
Clarus vitæ mundítia,
Splendens miris prodígiis,
Dat toti mundo gáudia.
Laus Patri sit, ac Génito,
Simúlque sancto Flámini,
Qui sancti Thomæ mérito
Nos cœli jungat ágmini.
Amen.

℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat,

Aña. Felix Thomas doctor Ecclésiæ, lumen mundi, splendor Itáliæ, candens virgo flore mundítiæ, bina gaudet corôna glóriæ.

Oratio.

Deus, quî Ecclésiam tuam, beáti Thomæ Confessôris tui mira eruditiône claríficas, & sancta operatiône fœcúndas: da nobis quæsumus, & quæ dócuit, intelléctu conspícere; & quæ egit imitatiône complêre. Per Dóminum.

Deinde fit commem. Fer. si celebret. in Quadrag.

Ad Matutinum, Invitatorium. Adsunt doctôris cœlici Thomæ festa solémnia: * Devotiône súpplici laudes promat Ecclésia. Psalm. V enîte, exultêmus. 16.

Hymnus.

Thomas insignis génere
Claram ducens orígi-
nem,
Subit ætâtis téneræ
Prædicatôrum Ordinem.
Typum gessit lucíferi,
Splendens in cœtu núbium,
Plusquam doctóres cæteri,
Pur-

Purgans dogma gentílium.
Profúnda scrutans flúminum,
In lucem pandit ábdita;
Dum suprà sensus hóminum
Obscúra facit cógnita.
Fit Paradísi flúvius,
Quadripartítè pérvius:
Fit Gedeônis gládius,
Tuba, lagéna, rádius.
Laus Patri sit, ac Génito,
Simúlque sancto Flámini,
Qui sancti Thomæ mérito
Nos cœli jungat ágmini.
Amen.

In primo Nocturno,

Aña. Doctor Thomas replétus grátia, præmonstrâtus sacris oráculis, mundi, carnis, hostísque vítia fugat, exémplar datum séculis. Psalmus. Beâtus vir, cum reliquis, ut suprà in Officio S. P. N. Petri Nolasci. 17. Aña. Mentis innocéntia, flosque puritâtis extitérunt prævia luci veritâtis. Psalm. Quare fremuérunt. Aña. Ope doctôris cœlici tota gaudet Ecclésia: fulget Ordo Domínici peculiári glória. Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt. ℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 39.

SApiéntiam ómnium antiquôrum exquíret sápiens, & in prophétis vacâbit. Narratiônem virôrum nominatôrum conservâbit, & in versútias parabolârum simul introíbit. Occúlta proverbiôrum exquíret, & in abscónditis parabolârum conversábitur. In médio magnatôrum ministrâbit, & in conspéctu præsidis apparêbit. In terram alienigenârum géntium pertránsiet: bona enim & mala in homínibus tentábit.

℟. Sancti viri verbum prophéticum præmonstrâvit mundo miríficum sanctum Thomam doctôrem cœlicum: * Sectatûrum sanctum Domínicum. ℣. Nam vir sanctus hunc matri grávidæ ducem prompsit doctrínæ lúcidæ. Sectatûrum.

Lectio ij.

COr suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratiône, & pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replêbit illum: & ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, & in oratiône confitébitur Dómino: & ipse díriget consílium ejus, & disciplínam, & in abscónditis suis consiliábitur.

Digitized by Google

℟. Christi pia tractus dulcédine, mundum linquens probâtur túrbine; * Pugil fortis raptus de Ordine, vicit prorsus pulsa libídine. ℣. Orat pressa cruce mirífica, renes cingit manus Angélica. Pugil fortis.

Lectio iij.

IPse palàm fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in séculum non delébitur. Non recêdet memória ejus, & nomen ejus requirêtur à generatiône in generatiônem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiâbit ecclésia.

℟. O ánima sanctíssima, qua contemplánte dúlciter, corpus linquêbat ínfima, * Stans sursum mirabíliter, ℣. Nullo prorsùs fultus subsídio, levabâtur in raptus gáudio. Stans sursum, Glória Patri. Stans sursum.

In secundo Nocturno.

Añа. O munus Dei grátiæ, vincens quodvis miráculum, pestíferæ supérbiæ numquam persénsit stímulum! Psalmus. Cùm invocârem.

Aña. Prece curat sócium febrem patiéntem: & in ora véstium sánguine fluéntem. Psalm. Verba mea áuribus pércipe Dómine. Aña. Stella cadens émicat, stupôrem dans insólitum: quæ instántem índicat beáti Thomæ tránsitum. Psalm. Dómine Dóminus noster. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquêtur judícium.

Lectio iv.

THomas, Landúlpho Cómite Aquinâte, & Theodóra Neapolitána, nobílibus paréntibus natus, quintum annum agens, mónachis sancti Benedícti Cassinátibus custodiéndus tráditur. Inde Neápolim studiôrum causa missus, jam adoléscens, fratrum Prædicatôrum Ordinem suscêpit. Sed matre, ac frátribus id indígnè feréntibus, Lutétiam Parisiôrum míttitur; quem fratres, in itínere per vim raptum, in arcem castri sancti Joánnis perdúcunt: ubi váriè exagitâtus, ut sanctum propósitum mutâret, mulíerem étiam, quæ ad labefactándam ejus constántiam introdúcta fúerat, titiône fugâvit. Mox beátus júvenis flexis génibus ante signum crucis orans, ibíque somno corréptus, per quiêtem sentíre visus est, sibi ab ángelis constríngi lumbos; quo ex témpore omni pósteà libídinis sensu cá-

caruit: soróribus, quæ ut eum à pio consílio removérent, in castrum vénerant, persuâsit, ut contémptis curis seculáribus, ad exercitatiônem cœléstis vitæ se conférrent.

℟. De excélsis fons sapiéntiæ sancto Thomæ infúdit cópiam, tamquam flumen claræ sciéntiæ: qui suscéptam refúdit grátiam: dum fluéntis summæ perítiæ * Rigat totam sanctam Ecclésiam. ℣. Stylus brevis, grata facúndia: celsa, clara, firma senténtia. Rigat totam.

Lectio v.

EMíssus è castro per feneéstram, Neápolim redúcitur: unde Romam, pósteà Parísium à fratre Joánne Theutónico, Ordinis Prædicatôrum Generáli magístro ductus, Albérto magno doctôre philosóphiæ ac theológiæ óperam dedit: vigínti quinque annos natus, magíster est appellâtus; publicéque philósophos ac theólogos summa cum laude est interpretâtus. Numquam se lectióni, aut scriptióni dedit, nisi post oratiônem. In difficultátibus locôrum sacræ Scriptúræ, ad oratiônem jejúnium adhibêbat. Quin étiam sodáli suo fratri Regináldo dícere solêbat, quidquid sciret, non tam stúdio, aut labôre suo peperísse, quàm divínitus tráditum accepísse. Neápoli cum ad imáginem crucifixi vehementius oráret, hanc vocem audívit: Benè scripsísti de me, Thoma, quam ergo mercêdem accípies? Cui ille: Non áliam Dómine, nisi teípsum.

℟. Felix doctor, cujus solátio Angelôrum servit atténtio: Petrus, Paulus favent obséquio: * Dei mater mulcet allóquio. ℣. Elevâtus à terra cérnitur, crucifixus eum allóquitur. Dei mater.

Lectio vj.

NUllum fuit scriptôrum genus, in quibus non esset diligentíssimè versátus. Collatiônes Patrum assíduè pervolutâbat, nec tamen à prædicatiône divíni verbi desistêbat. Quod cùm fáceret per Octâvam Paschæ in basílica sancti Petri, mulíerem, quæ ejus fimbriam tetígerat, à fluxu sánguinis liberâvit. Scripta ejus, & multitúdine, & varietâte, & facilitâte explicándi res difficiles, ádeò excéllunt, ut ob eam causam étiam nomen doctôris Angélici jure sit adéptus. Ab Urbáno Quarto Romam vocâtus, addúci non pótuit, ut honóres accíperet. Archiepiscopâtum Neapolitânum

étiam deferénte Cleménte Quarto Pontífice recusâvit. Missus à Gregório Décimo ad Concílium Lugdunénse, in monastério Fossænóvæ in morbum íncidit, ubi ægrôtus Cántica canticôrum explanâvit. Ibidem óbiit quinquagenárius, anno salûtis millésimo ducentésimo septuagésimo quarto, nonis Mártii. Miráculis & vivus & mórtuus flóruit. A Joánne Vigésimo secúndo in sanctôrum número relâtus est anno millésimo trecentésimo vigésimo tértio: cujus corpus pósteà Urbáno Quinto Summo Pontífice Tolôsam translâtum est.

℟. Sidus missum Thomæ de sûperis, novo signo divíni múneris, * Hunc cœléstem demónstrat cæteris, * Verbo, vita, doctrína, lítteris. ℣. Quàm excélsus, quem cœli prædicant, quàm præclârus, quem stellæ índicant. Hunc cœléstem. Glória Patri. Verbo, vita.

In tertio Nocturno,

Aña Instánte vitæ término, vidit regna cœléstia: & revelánte Dómino, novit parâta præmia. Psalm. Dómine, quis habitâbit. Aña. Seminâvit hîc lárgiter doctor virtuósus; metit illic felíciter victor gloriósus. Psalm. Dómine in virtûte tua. Aña. Sidus de nube tráhitur, de fœno flos elícitur: salque de terra tóllitur, dum Thomas cœlo rédditur. Psalm. Dómini est terra. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabûntur gressus ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliêtur? Et réliqua.

Homilía sancti Thomæ Aquinâtis.

Comment. in Matth. cap. 25.

MOnéntur hîc Apóstoli diligéntiam habêre in executiône sui officii, tùm in forma exequéndi, tùm in modo docéndi: qui ut sal ad condiéndum exémplo vitæ; ut lux ad illumináudum verbo doctrínæ esse débeant. Inter condiménta enim nihil sale utíliùs: inter visibília nihil luce clárius. Id autem præstâre debent, non in absconsiône vitæ, vel persónæ; neque enim potest cívitas abscóndi suprà montem pósita: non in occultatiône doctrínæ, vel grátiæ; nec enim accéndunt lucérnam, & ponunt eam sub módio. Inter

ter præſidia enim nihil civitáte manifeſtius; inter utenſilia nihil lucérna conveniéntius. Ergo debent eſſe ſal in vita, & móribus: lux in doctrinis, & prædicatiónibus: cívitas in præſídiis, & defenſiónibus, lucérnæ in accenſiónibus. Ut ſcílicet ſale cóndiant ánimas ad incorruptiônis ſanitâtem: ut illúminent ad veritâtis intelligéntiam: ut acquiſítos ab hóſtibus deféndant; defénſos ad amôrem Deitâtis accéndant.

℟. Scholas Thomæ Paulus ingréditur: ſacra ſimul fantur myſtéria, dignè tandem per raptum tráhitur * Vir cœléſtis ad cœli præmia. ℣. Clamor fratris trinus emíttitur: doctor noſter à nobis tóllitur. Vir cœléſtis.

Lectio viij.

Dicit ergo: Vos eſtis, id eſt, eſſe debêtis, ſal terræ: deſígnans eôrum non ſolum officium, verum étiam perículum, cùm addit: Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliêtur? Dénique ſupplícium his verbis: Ad níhilum valet ultra, niſi ut mittâtur foras, & conculcêtur ab homínibus. Comparántur autem ſali ratiône virtûtis, ratiône orígínis, & ratiône conſuetúdinis. Ratiône virtûtis: ſal carnes condit. Sermo apoſtólicus mentes inſípidas condiêbat. Sic omnis ſermo veſter in grátia ſemper ſit ſale condítus, hortabâtur Paulus. Sal terram ſtérilem facit, carnes exſiccat, à putrédine ſervat. Apóſtoli deſtrúcto regno peccâti, germen vitiôrum compeſcébant, carnaléſque concupiſcéntias reſtringébant. Non regnet peccâtum in veſtro mortáli córpore, ut obediâtis concupiſcéntiis ejus, idem jubêbat Paulus. Sal vim habet ſanatívam. Unde Eliséus, ſale in vas novum miſſo, ſanávit aquas Jéricho. Sic infûſo ſale ſapiéntiæ cœléſtis in corde Apoſtolôrum, ſanâtæ ſunt aquæ, id eſt, pópuli. Ratiône orígínis: ſal ex aqua maris & calôre ignis, vel ſolis confícitur. Apóſtoli ex aqua tribulatiônis, & calôre dilectiônis facti ſunt. Hinc illud: Tranſívimus per ignem & aquam.

℟. Sertum geſtans cum torque dúplici, cappa gemmis ornâta cérnitur, ex monili fulgôris cœlici, lux emíſſa mundo diffúnditur, * Auguſtînus fratri ſic lóquitur: ℣. Thomas mihi par eſt in glória, virgináli præſtans mundítia. Auguſtînus. Glória Patri, Auguſtînus.

Lectio nona dicitur de Homilia Feriæ occurrentis, ſi ce-

celebretur in Quadrágesima.

Lectio ix.

NOlite putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas; non veni sólvere, sed adimplêre: sive quòd de se per álios prophêta compléverit: sive quòd ea, quæ ante propter infirmitâtem audiéntium rúdia & imperfécta fúerant, sua prædicatiône compléverit: iram tollens, & vicem taliônis exclúdens, & occúltam in mente concupiscéntiam damnans. Donec tránseat cœlum & terra. Promittúntur nobis cœli novi, & terra nova, quæ factûrus est Dóminus Deus. Si ergo nova creánda sunt: consequénter vétera transitûra.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

ADest díes lætítiæ, quo Thomas doctor ínclytus fit civis cœli curiæ bina corôna præditus. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliq. 28. Aña. Aurum sub terra tégîtur, & lucérna sub módio; sed virtus Dei cérnitur miraculôrum rádio. Aña. Alma mater Ecclésia, Christi fundâta sánguine, sceptra conscéndit grándia, novi doctôris lúmine. Aña. Pressus vi dæmónii citò liberátur: raptu mersus flúvii, vitæ restaurâtur. Aña. Tumor gulæ péllitur, leprôsus mundâtur: cæco lumen rédditur, claudo gressus datur.

Capitulum. *Eccli.* 45.

ELégit eum Dóminus ex omni carne: & dedit illi coram præcépta, & legem vitæ, & disciplínæ, docêre Jacob testaméntum suum, & judícia sua Israël.

Hymnus.

LAuda mater Ecclésia
Thomæ felícem éxitum,
Qui pervênit ad gáudia
Per verbi vitæ méritum.
Fossanóva tunc súscipit
Thecam thesáuri grátiæ,
Cùm Christus Thomam éfficit
Hærêdem regni glóriæ.
Manens doctrínæ véritas,
Et fúneris intégritas,
Mira fragrans suávitas,
Ægris collâta sánitas.
Monstrat hunc dignum láudibus,
Et terræ, & ponto, & súperis.
Nos juvet suis précibus,
Deo comméndet méritis.
Laus Patri sit, ac Génito,
Simúlque sancto Flámini,
Qui sancti Thomæ mérito,
Nos cœli jungat ágmini.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et ostén-

téndit illi regnum Dei.

Ad Benedictus,

Aña. Viror carnis flore mundítiæ, vigor vitæ fructu justítiæ, splendor verbi dono sciéntiæ, te decórant stantem in ácie, te corónant in statu glóriæ.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam, beáti Thomæ Confessôris tui mira eruditiône claríficas, & sancta operatiône fœcúndas: da nobis, quæsumus, & quæ dócuit, intelléctu conspícere; & quæ egit, imitatiône complêre. Per Dóminum.

Deinde fit commem. Fer. Postea sanctar. mart. Perpetuæ, & Felicitat. Aña. Istârum est enim regnum cœlôrum, quæ contempsérunt vitam mundi, & pervenérunt ad præmia regni, & lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Glória & honôre coronásti eas Dómine. ℟. Et constituísti eas super ópera mánuum tuârum.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctârum mártyrum tuârum Perpétuæ, & Felicitâtis palmas incessábili devotiône venerári; ut quas digna mente non póssumus celebrâre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam. Aña. Aurum sub terra. Capitulum. E légit, ut supra. ℟. brev. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornâvit. Glória Patri. Amâvit. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et língua ejus loquêtur judícium.

Ad Sextam, Aña. Alma mater.

Capitulum. *Eccli.* 39.

IPse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, & palam fáciet disciplinam doctrínæ ejus. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in séculum non delébitur.

℟. brev. Os justi * Meditábitur sapiéntiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquêtur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Ad Nonam, Aña. Tumor gulæ.

Capitulum. *Sap.* 7. *b*

LÆtâtus sum, quóniam antecedêbat me ista sapiéntia, quam sine fictiône dídici, & sine invídia commúnico: & honestâtem illius non abscóndo.

℟.

℟. brev. Lex Dei ejus * In corde ipsius. Lex. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis. ℣. Justum dedúxit Dóminus.

Ad Magnificat,

Aña. Collaudêtur Christus rex glóriæ, qui per Thomam lumen Ecclésiæ mundum replet doctrína grátiæ. Oratio. Deus, qui Ecclésiam.

Deinde fit Commemorat. sancti Joann. de Deo, ut in Breviario, postea de Feria in Quadragesima.

DIE XIX. MARTII.

In festo sancti Joseph Sponsi beatæ Mariæ virg. Dupl. primæ classis.

Omnia, ut in Breviario Romano.

DIE XXIV. MARTII.

In festo sancti Gabriëlis Archangeli. Duplex.

Ad Vesperas. Aña. Míllia míllium, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis. 13.

Capitulum. *Apoc.* 1.

Significâvit Deus quæ opórtet fieri citò, loquens per Angelum suum servo suo Joánni: qui testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit.

Hymnus.

Méntibus lætis jubilêmus omnes
Plectra tangéntes fidibus canôris,
Ínclytus quando Gábriël ab alto
Fulget Olympo.

Vírginis summæ paranymphus ecce
Huc adest nobis, simul Angelôrum,
Plúrimis Christum vénerans triúmphis,
Cóncio tota.

Príncipis laudes Gabriëlis almi
Cóncinat noster chorus; ipse namque est,
Magna qui mundo réserat secrêta
Omnipoténtis.

Núntia nobis Gábriël, precâmur,
Pacis ætérnæ speciâle munus,
Quo poli tandem teneâmus áulam
Semper ovántes.

Præstet hoc nobis Déitas beâta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣.

℣. Audívi vocem viri, & clamâvit, & ait. ℟. Gábriël, fac intellígere istam visiônem.

Ad Magnificat,

Aña. Adhuc me loquénte in oratiône mea, ecce vir Gábriël, quem víderam in visiône à princípio, citò volans, tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni.

Oratio.

Deus, qui per Archángelum tuum Gabriélem, Salvatôrem mundi sacratíssimæ Vírgini concipiéndum nuntiásti: da, ut quos tanti mystérii partícipes éfficis, eôdem Archángelo intercedénte, ad ætérnæ salûtis gáudia perducâmur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ, si celebretur in Quadragesima.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Archangelôrum Dóminum, * Venite adorêmus.

Hymnus. Méntibus lætis.

In primo Nocturno.

Aña. Ego Dániël audívi vocem viri inter Ulái, & clamâvit, & ait: Gábriël, fac intellígere istam visiônem.

Psalmus. Dómine Dóminus noster. 22.

Aña. Et ait ad me Gábriël ángelus: Intéllige fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur visio.

Psalmus 10.

In Dómino confido: quómodò dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in phâretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus:

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitâtem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellârum, pars cálicis eôrum:

Quóniam justus Dóminus, & justítias diléxit: * æquitâtem vidit vultus ejus.

Aña. Et ait ad me Gábriël ángelus: Intéllige fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur visio. Aña. Et vísio, inquit Gábriël, véspere & manè quæ dicta est, vera est: tu ergo visiônem signa, quia post multos dies erit.

erit. Psalm. Dómine, quis habitâbit in tabernáculo tuo? 24. ℣. Audívi vocem viri, & clamâvit, & ait. ℟. Gábriël, fac intellígere istam visiônem.

De Daniële Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 9.

IN anno primo Darii filii Assuéri, de sémine Medôrum, qui imperâvit super regnum Chaldæôrum: Anno uno regni ejus, ego Dániël intelléxi in libris númerum annôrum, de quo factus est sermo Dómini ad Jeremíam prophétam, ut compleréntur desolatiônis Jerúsalem septuagínta anni. Et pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogâre & deprecári in jejúniis, sacco, & cínere. Et orávi Dóminum Deum meum, & conféssus sum, & dixi: Obsecro Dómine Deus magne & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus te, & custodiéntibus mandâta tua. Peccávimus, iniquitâtem fécimus, ímpiè égimus, & recéssimus, & declinávimus à mandátis tuis, ac judíciis.

℟. Factum est autem, cùm vidêrem ego Dániël visiônem, & quærerem intelligéntiam: ecce stetit in conspéctu meo quasi spécies viri: * Et audívi vocem viri inter Ulái, & clamâvit, & ait: Gábriël, fac intellígere istam visiônem. ℣. Et venit, & stetit juxtà ubi ego stabam; cùmque venísset, pavens córrui in fáciem meam. Et audívi.

Lectio ij.

ADhuc me loquénte in oratiône, ecce vir Gábriël, quem víderam in visiône à princípio, citò volans tétigit me in témpore sacrificii vespertíni. Et dócuit me, & locûtus est mihi, dixítque: Dániël, nunc egréssus sum ut docérem te, & intellígeres. Ab exórdio precum tuârum egréssus est sermo: ego autem veni ut indicârem tibi, quia vir desideriôrum es: tu ergo animadvérte sermônem, & intéllige visiônem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleâtur iníquitas, & adducâtur justítia sempitérna, & impleâtur vísio, & prophetía, & ungâtur Sanctus sanctôrum.

℟. Ab exórdio precum tuârum egréssus est sermo: ego autem veni, ut indicârem tibi, quia vir desideriôrum es:

Digitized by Google

es: * Tu autem animadvérte sermônem, & intéllige visiônem. ℣. Et dócuit me Gábriël ángelus, & locûtus est mihi, dixítque: Dániël, nunc egréssus sum, ut docêrem te, & intellígeres. Tu autem.

Lectio iij.

SCito ergo, & animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterùm ædificêtur Jerúsalem, usque ad Christum ducem; hebdómades septem, & hebdómades sexagínta duæ erunt: & rursum ædificábitur platêa, & muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidêtur Christus: & non erit ejus pópulus, qui eum negatûrus est. Et civitâtem & sanctuárium dissipâbit pópulus cum duce ventúro: & finis ejus vástitas, & post finem belli statûta desolátio. Confirmâbit autem pactum multis hebdómada una; & in dimídio hebdómadis defíciet hóstia & sacrifícium: & erit in templo abominátio desolatiônis: & usque ad consummatiônem & finem perseverâbit desolátio.

℟. Ait ad me Gábriël ángelus: Intéllige fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur visio. * Cùmque loquerêtur ad me, collápsus sum pronus in terra, & tétigit me, & státuit me in gradu meo: ℣. Dixítque mihi: Ego osténdam tibi quæ futûra sunt in novíssimo maledictiônis, quóniam habet tempus finem suum. Cùmque loquerêtur ad me. Glória Patri. Cùmque loquerêtur ad me.

In secundo Nocturno,

Aña. Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriël ángelus, stans à dextris altâris incénsi.

Psalmus 18.

CŒli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eôrum.

In omnem terram exívit sonus eôrum: * & in fines orbis terræ verba eôrum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultâvit ut gigas ad curréndam viam, * à summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calôre ejus.

Lex

Digitized by Google

Lex Dómini immaculâta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidêle, sapiéntiam præstans párvulis.
Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.
Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi : * judícia Dómini vera, justificâta in semetípsa.
Desiderabília super aurum & lápidem pretiôsum multum : * & dulciôra super mel & favum.
Etenim servus tuus custôdit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.
Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * & ab aliénis parce servo tuo.
Si mei non fuérint domináti, tunc immaculâtus ero : * & emundâbor à delícto máximo.
Et erunt ut compláceant elóquia oris mei ; * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.
Dómine adjûtor meus, * & redémptor meus.
Aña. Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriël ángelus, stans à dextris altâris incénsi. Aña. Ait autem ad illum ángelus : Ne tímeas Zacharía, quóniam exaudîta est deprecátio tua.
Psalmus. Dómini est terra, & plenitûdo ejus. 26.
Aña. Et respóndens Ángelus, dixit Zacharíæ : Ego sum Gábriël, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizâre.

Psalmus 33.

BEnedîcam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.
In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, & læténtur.
Magnificâte Dóminum mecum : * & exaltêmus nomen ejus in idípsum.
Exquisîvi Dóminum, & exaudîvit me : * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.
Accédite ad eum, & illumináminí : * & fácies vestræ non confundéntur.
Iste pauper clamâvit, & Dóminus exaudîvit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvâvit eum.
Immíttet Ángelus Dómini in circúitu timéntium eum : * & erípiet eos.
Gustâte, & vidête quóniam suávis est Dóminus : * beâtus vir, qui sperat in eo.
Timête Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.
Dívites eguérunt & esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Digitized by Google

Venite filii, audite me: * timórem Dómini docébo vos.
Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidêre bonos?
Próhibe linguam tuam à malo: * & lábia tua ne loquántur dolum.
Divérte à malo, & fac bonum: * inquire pacem, & perséquere eam.
Oculi Dómini super justos: * & aures ejus in preces eôrum.
Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eôrum.
Clamavérunt justi, & Dóminus exaudivit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eôrum liberâvit eos.
Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde; * & húmiles spíritu salvâbit.
Multæ tribulatiônes justôrum: * & de ómnibus his liberâbit eos Dóminus.
Custôdit Dóminus ómnia ossa eôrum: * unum ex his non conterêtur.
Mors peccatôrum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.
Rédimet Dóminus ánimas servôrum suôrum: * & non delínquent omnes qui sperant in eo.
Aña. Et respóndens Ángelus, dixit Zacharíæ: Ego sum Gábriël, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizáre. ℣. Ego sum Gábriël Ángelus, qui asto ante Deum. ℟. Et missus sum loqui ad te.

Sermo sancti Gregórii Papæ.
Homilia 34. in Evangelia.

Lectio iv.

CŒléstium spiríituum qui mínima núntiant, Ángeli: qui verò summa annúntiant, Archángeli vocántur. Hinc est enim quòd ad Maríam vírginem non quílibet Ángelus, sed Gábriël Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Ángelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcírco étiam privátis nomínibus censéntur, ut signêtur per vocábula, étiam in operatiône quid váleant. Neque enim in illa sancta civitâte, quam de visiône omnipoténtis Dei plena sciéntia pérficit, idcírco própria nómina sortiúntur, ne eôrum persónæ sine nomínibus sciri non possint; sed cùm ad nos áliquid ministratúri véniunt, apud nos étiam nómina à ministériis trahunt.

℟. Descéndit Ángelus Dómini ad Zacharíam, dicens: Áccipe púerum in senectûte tua: * Et vocâbis nomen ejus Joánnem. ℣. Et erit gáudium ti-

tibi, & exultátio: & multi in nativitâte ejus gaudêbunt. Et vocâbis.

Lectio v.

Michaël namque, quis ut Deus? Gábriël autem, fortitûdo Dei; Ráphaël verò dícitur medicîna Dei. Et quóties miræ virtûtis áliquid ágitur, Míchaël mitti perhibêtur: ut ex ipso actu & nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere, quod fácere prævalet Deus. Unde & ille antíquus hostis, qui Deo esse per supérbiam símilis concupîvit, dicens: In cœlum conscéndam, super astra cœli exaltâbo sólium meum: sedêbo in monte testaménti, in latéribus Aquilônis: ascéndam super altitúdinem núbium, símilis ero Altíssimo; dum in fine mundi in sua virtûte relinquêtur extrémo supplício periméndus, cum Michaêle Archángelo præliatûrus esse perhibêtur, sicut per Joánnem dícitur: Factum est prælium cum Michaêle Archángelo: ut qui se ad Dei similitúdinem supérbus extúlerat, per Michaêlem perémptus discat, quia ad Dei similitúdinem per supérbiam nullus exúrgat.

℟. Gábriël Ángelus appáruit Zacharíæ, dicens: Nascêtur tibi filius, nomen ejus Joánnes vocábitur: * Et multi in nativitâte ejus gaudébunt. ℣. Erit enim magnus coram Dómino, vinum & síceram non bibet. Et multi.

Lectio vj.

Ad Maríam quoque Gábriël míttitur, qui Dei fortitûdo nominâtur. Illum quippe nuntiâre veniêbat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparêre dignâtus est, de quo per Psalmístam dícitur: Tóllite portas príncipes vestras, & elevámini portæ æternáles, & introîbit Rex glóriæ. Quis est iste Rex glóriæ? Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio. Et rursum: Dóminus virtûtum ipse est Rex glóriæ. Per Dei ergo fortitúdinem nuntiándus erat, qui virtûtum Dóminus, & potens in prælio, contra potestátes aéreas ad bella veniêbat. Ráphaël quoque interpretâtur, ut díximus, medicîna Dei: quia vidélicet dum Tobíæ óculos quasi per officium curatiônis tétigit, cæcitâtis ejus ténebras tersit. Qui ergo ad curándum míttitur, dignum vidélicet fuit, ut Dei medicîna vocarêtur.

℟. Dixit Zacharías ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim

enim sum senex, & uxor mea procéssit in diêbus suis: & respóndens Ángelus, dixit ei: * Ego sum Gábriël, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizâre. ℣. Ecce eris tacens, & non póteris loqui usque in diem, quo hæc fiant; pro eo quòd non credidísti verbis meis, quæ implebúntur in témpore suo. Ego sum Gábriël. Glória Patri. Ego sum.

In tertio Nocturno.

Aña. Missus est Ángelus Gábriël ad Maríam vírginem desponsâtam Joseph.

Psalmus 95.

CAntâte Dómino cánticum novum: * cantâte Dómino omnis terra.

Cantâte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiâte de die in diem salutâre ejus.

Annuntiâte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritûdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatiône ejus.

Afférte Dómino pátriæ gentium, afférte Dómino glóriam & honôrem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adorâte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveâtur à fácie ejus univérsa terra: * dicite in géntibus quia Dóminus regnâvit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicâbit pópulos in æquitâte.

Læténtur cœli, & exúltet terra, commoveâtur mare, & plenitûdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvârum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicâre terram.

Judicâbit orbem terræ in æquitâte, * & pópulos in veritâte sua.

Aña. Missus est Angelus Gábriël ad Maríam vírginem, desponsâtam Joseph. Aña. Gábriël Angelus locûtus est Maríæ, dicens: Ave grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus.

Psalmus 90.

DOminus regnâvit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu

Digitized by Google

ejus: * justítia & judícium corréctio sedis ejus.
Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammâbit in circúitu inimícos ejus.
Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commôta est terra.
Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.
Annuntiavérunt cœli justítiam ejus, * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.
Confundántur omnes qui adorant sculptília: * & qui gloriántur in simulácris suis.
Adorâte eum omnes Angeli ejus: * audivit, & lætâta est Sion.
Et exultavérunt filiæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.
Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltâtus es super omnes deos.
Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custôdit Dóminus ánimas sanctôrum suôrum, de manu peccatôris liberâbit eos.
Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.
Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ sanctificatiônis ejus.
Aña. Gábriël Angelus locûtus est Maríæ, dicens: Ave grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. Aña. Angelus Dómini nuntiâvit Maríæ, & concêpit de Spíritu sancto.

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino: * & ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus:
Bénedic ánima mea Dómino: * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus:
Qui propitiâtur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.
Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corônat te in misericórdia & miseratiónibus.
Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.
Fáciens misericórdias Dóminus: * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.
Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israël voluntátes suas.
Miserátor, & miséricors Dóminus: * longánimis, & multùm miséricors.
Non in perpétuum irascêtur: * neque in ætérnum comminábitur.
Non secúndùm peccâta nostra fecit nobis; * neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.
Quóniam secúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborâvit misericórdiam suam

Digitized by Google

nam super timéntes se.
Quantum distat ortus ab occidénte: * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.
Quómodo miserêtur pater filiôrum, misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognôvit figméntum nostrum.
Recordâtus est quóniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorêbit.
Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet: * & non cognóscet ámplius locum suum.
Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * & usque in ætérnum super timéntes eum.
Et justítia illíus in filios filiôrum, * his qui servant testaméntum ejus.
Et mémores sunt mandatôrum ipsíus, * ad faciéndum ea.
Dóminus in cœlo parâvit sedem suam: * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.
Benedícite Dóminum omnes ángeli ejus: * poténtes virtûte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermônum ejus.
Benedícite Dómino omnes virtútes ejus: * minístri ejus, qui fácitis voluntâtem ejus.
Benedícite Dómino ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiônis ejus, bénedic ánima mea Dómino.
Aña. Angelus Dómini nuntiâvit Maríæ, & concêpit de Spíritu sancto. ℣. Missus est Angelus Gábriël. ℟. Ad Maríam vírginem, desponsâtam Joseph.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 1. c

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriël à Deo in civitâtem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsâtam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; & nomen vírginis María. Et réliqua.

Homilía S. Bernárdi Abbâtis.

Homil. 1. *super Missus est.*

NOn árbitror hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex causa crebra sóleant ad terras fungi legatiône. Quod ex ejus nómine palàm intélligi datur, quod interpretâtum, fortitúdo Dei dícitur: & quia non ab álio áliquo fortè excellentiôre se, ut ássolet, spíritu, sed ab ipso Deo mitti perhibêtur. Propter hoc ergo pósitum est, A Deo. Vel ídeo dictum est, A Deo, ne cui vel beatôrum spirítuum suum Deus ántequam vírgini revelásse putêtur consílium, excépto dumtáxat Archángelo Gabriêle.

briéle. Qui útique tantæ inter suos inveníri potúerit excel-léntiæ, ut tali hómine dignus haberêtur & núntio.

℟. Missus est Gábriël Ángelus ad Maríam vírginem desponsâtam Joseph, núntians ei verbum: & expavéscit virgo de lúmine. Ne tímeas María, invenísti grátiam apud Dóminum: * Ecce concípies, & páries, & vocábitur Altíssimi Fílius. ℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris ejus, & regnâbit in domo Jacob in ætérnum. Ecce concípies. *Benedictio.* Cujus festum cólimus.

Lectio viij.

NEc discórdat nomen à núntio: Dei quippe virtûtem Christum, quem méliùs nuntiâre decêbat, quàm hunc, quem símile nomen honôrat? Nam quid áliud est fortitûdo, quàm virtus? Non autem dédecens aut incóngrúum videâtur, Dóminum & núntium commúni censéri vocábulo, cùm símilis in utrôque appellatiônis, non sit tamen utriúsque símilis causa. Aliter quippe Christus fortitûdo, vel virtus Dei dícitur, áliter Angelus. Angelus enim tantùm nuncupatívè, Christus autem étiam substantívè. Christus Dei virtus & dícitur, & est, qui forti armâto, qui suum átrium in pace custodíre solêbat, fórtior supervéniens, ipsum suo bráchio debellâvit, & sic ei vasa captivitâtis poténter erípuit.

℟. Gaude María virgo, cunctas hæreses sola interemísti, quæ Gabriêlis Archángeli dictis credidísti: * Dum virgo Deum & hóminem genuísti, & post partum virgo inviolâta permansísti. ℣. Beâta es quæ credidísti: quia perfécta sunt ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. Dum virgo. Glória Patri. Dum virgo.

Lectio nona dicitur de Homilia Feriæ occurrentis.

Quòd si contingat festum hoc transferri post Octavam Paschæ, tunc legatur sequens

Lectio ix.

ANgelus verò fortitûdo Dei appellâtus est: vel quòd hujuscémodi merúerit prærogativam officii, quo ejúsdem nuntiâret advéntum virtûtis: vel quia vírginem natúra pávidam, símplicem, verecúndam, de miráculi novitâte ne expavésceret, confortâre debêret. Quod & fecit: Ne tímeas, inquiens, María, invenísti grátiam apud Deum. Sed & ipsius sponsum, hóminem útique nihilóminus húmilem, ac timo-

mortuum: non irrationabíliter fórsitan idem Angelus confortásse créditur, quamquam tunc ab Evangelísta non nominêtur: Joseph, inquit, fili David, noli timêre accípere Mariam cónjugem tuam. Conveniénter itaque Gábriël ad hoc opus elígitur; imò, quia tale illi negótium injúngitur, rectè tali nómine designâtur.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Míllia míllium ministrábant ei, & décies centêna míllia assistébant ei.

Psalmus. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. In conspéctu Angelôrum psallam tibi, & adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo, Dómine. Aña. Laudêmus Dóminum, quem laudant Angeli, quem Chérubim & Séraphim, Sanctus, sanctus, sanctus, proclámant. Aña. Angeli Dómini Dóminum benedícite in ætérnum. Aña. Angeli, Archángeli, Throni, & Dominatiónes, Principátus & Potestátes, virtútes cœlôrum, laudâte Dóminum de cœlis.

Capitulum. *Apoc.* 1.

Significâvit Deus quæ opórtet fieri citò: loquens per ángelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit.

Hymnus.

Christe, sanctôrum decus Angelôrum,
Gentis humánæ Sator & Redémptor,
Cœlitum nobis tríbuas beátas
Scánderes sedes.

Angelus pacis Míchaël in ædes
Cœlitùs nostras véniat, serénæ
Auctor ut pacis lacrymôsa in orcum
Bella relêget.

Angelus fortis Gábriël, ut hostes
Pellat antíquos, & amíca cœlo,
Quæ triumphâtor stâtuit per orbem,
Templa revísat.

Angelus nostræ médicus salútis
Adsit è cœlo Ráphaël, ut omnes
Sanet ægrótos, dubiósque vitæ
Dírigat actus.

Virgo dux pacis, genitríxque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelôrum
Semper assístat, simul & micántis

Digitized by Google

Régia cœli.
Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. Benedícite Dóminum omnes virtútes ejus. ℟. Minístri ejus, qui fácitis voluntâtem ejus.

Ad Benedictus,

Aña. Respóndens Ángelus ad Zacharíam, dixit: Ego sum Gábriël, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizâre.

Oratio.

DEus, qui per Archángelum tuum Gabriêlem, Salvatôrem mundi sacratíssimæ Vírgini concipiéndum nuntiásti: da, ut quos tanti mystérii partícipes éfficis, eôdem Archángelo intercedénte, ad ætérnæ salûtis gáudia perducâmur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commem. Feriæ, si celebretur in Quadragesima.

Ad Tertiam, Aña. In conspéctu. Capitulum. Significâvit Deus, ut suprà.

℟. brev. Audívi vocem viri, * Et clamâvit, & ait. Audívi. ℣. Gábriël, fac intellígere istam visiônem. Et clamâvit, & ait. Glória Patri. Audívi. ℣. Ego sum Gábriël Ángelus, qui asto ante Deum. ℟. Et missus sum loqui ad te.

Ad Sextam, Aña. Laudêmus Dóminum.

Capitulum. *Apoc.* 1.

GRátia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui ventûrus est: & à septem spirítibus, qui in conspéctu throni ejus sunt: & à Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuôrum, & princeps regum terræ.

℟. brev. Ego sum Gábriël Angelus, * Qui asto ante Deum. Ego sum. ℣. Et missus sum loqui ad te. Qui asto. Glória Patri. Ego sum. ℣. Missus est Ángelus Gábriël. ℟. Ad Maríam vírginem, desponsâtam Joseph.

Ad Nonam, Aña. Ángeli, Archángeli.

Capitulum. *Apoc.* 5. c.

AUdívi vocem Angelôrum multôrum in circúitu throni, & animálium, & seniôrum: & erat númerus eôrum míllia míllium dicéntium voce magna: Salus Deo nostro.

℟. brev. Missus est* Ángelus Gábriël. Missus est. ℣. Ad Maríam vírginem, desponsâtam Joseph. Ángelus. Glória Patri. Missus est. ℣. Benedí-

Digitized by Google

dicite Dóminum omnes virtútes ejus. ℟. Minístri ejus, qui fácitis voluntâtem ejus.

Vesperæ dicuntur de sequenti festo Annuntiationis beatæ Mariæ virginis, cum commemorat. sancti Gabriëlis, & Feriæ.

Si contingat alio die celebrari, in secundis Vesp. omnia ut in primis, sed loco ultimi

Psalmus 137.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelôrum psallam tibi: * adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, & veritâte tua: * quoniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicâbis in ánima mea virtûtem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini;* quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit: * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiônis, vivificâbis me: * & super iram inimicôrum meôrum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine misericórdia tua in séculum: ópera mánuum tuârum ne despícias.

Ad Magnificat,

Aña. Quómodò fiet istud, Angele Dei, quóniam virum non cognósco? Audi Maria virgo: Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrâbit tibi.

Si hoc festum celêbretur tempore Paschali, fit idem Officium, sed in fine Invitatorii, Antiphonarum. ℣℣. & ℟℟. additur Allelúia, & tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub prima Aña.

FERIA V. IN CŒNA Domini.

ABSOLÚTIO GENERÁLIS.

FESTA APRILIS.

DIE XVII. APRÍLIS.

In festo beatæ Mariæ Annæ á Jesu, virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

Oratio.

DÓmine virtûtum, clementíssime Deus, qui beátam Mariam Annam vírginem tuam innúmeris grátiæ tuæ munéribus cumulásti:

ti: ejus nobis précibus concéde; ut quam solémni veneratiône cólimus, étiam actiónibus imitêmur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MAria Anna à Jesu Matríti Hispanôrum regum aula, & exímio Cathólicæ religiônis cultu celebérrima urbe, à piis, honéstisque paréntibus in lucem est édita. À primis usque ætâtis suæ annis satis certa futúræ sanctitâtis dedit indícia. In ipsa enim pueritia divínis, quibus abundâbat charismátibus, cœlo pótiùs, quàm mundo se natam osténdit; rejectísque non sine mirábili ánimi constántia núptiis, atque acerbíssima pugna hanc ipsam ob rem intus, exteriùsque commôta, divínitùs superâta, uni cœlésti sponso se totam libens devôvit: utque promíssis stare facílius posset, mundi illécebris, carnísque oblectaméntis ómnibus núntium remíttens, sacrum institûtum moniálium discalceatârum beátæ Maríæ vírginis de Mercéde, redemptiônis captivôrum, cujus propagatiônem mirífice adjúvit consíliis, orationibúsque suis, solémni ritu proféssa, nihil ómnium rerum omísit, quæ vel sui spíritus perfectióni, vel aliôrum salúti inservírent. Ad quam rem ne sibi umquam vires deficerent, Deíparam ipsam, cujus aspéctu sæpenúmero recreabâtur, peculiârem patrônam, suorúmque óperum, ac consiliôrum ómnium adjutrícem adhíbuit.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

VOluntáriam paupertâtem ad extrêmum usque constantíssimè cóluit; castitâtis verò, atque innocéntiæ laudem tantam adépta est, ut cœléstem vitam in terris ágere, ab omni córporis contagiône sejúncta viderêtur. In loquéndo ádeò parca, ut nullum planè verbum nisi consúltò, & meditátò proférret; ac tale obediéntiæ stúdium contínuò osténdit, ut præsidum non modò vócibus, sed ipsis nútibus obtemperâret. In his autem ánimi dótibus maceratiône carnis, vigíliis, jejuniísque tamquàm vallo muniéndis, curam omnem adhíbuit suam; ac inaudíta, eâque perénni non minus quàm áspera tormentôrum vi corpus in absolûtam spíritus servitûtem redêgit. De se enim ádeò humí-

Digitized by Google

militer, demisséque sentiébat; ut quò majóri cœléstium donôrum cópia perfundebâtur, eò viliôrem sese, ac omni pœna, contemptûque digníssimam existimâret.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

CRedi vix potest qua in Deum charitâte Maria Anna flagrâret: omniáque præ illo máximo habens in spretu, divíni amôris voluptâte ádeò plúrima afficiebâtur, ut quantíslibet pressa curis, ac moléstiis fatigâta, in unius Dei ampléxu, quem vivíssimæ fidei ope præséntem sibi assíduè intuebâtur, per summam delectatiônem acquiésceret; nec áliud jucúndius habuérit, quàm assíduè oratióni, majestatísque divínæ contemplatióni vacâre; cujus cœlésti dulcédine perfundebâtur ità, ut à corpóreis abstrácta sénsibus in frequéntes écstases raperêtur. Ex hoc autem tam incénso in Deum amôre, egrégia non solùm illa oriebâtur volúntas unumquémque consíliis, ópere, monitísque juvándi ad benè, piéque vivéndum; sed firmíssima étiam spes, summúmque desidérium, quo corpóreis vínculis solvi, & esse cum Christo veheménter optâbat. Optáta autem diu, felicíssima tandem ádvenit dies: anno enim millésimo sexcentésimo vigésimo quarto, ætâtis suæ quinquagésimo nono, extrémi morbi dolóribus patientíssimè tolerátis, Sacraméntis ómnibus summa cum pietâte suscéptis, grave suârum virtûtum Matriténsi pópulo univérso desidérium relínquens, meritôrum pleníssima migrâvit ad Sponsum. Quam Pius Sextus Póntifex Máximus multis insígnem miráculis, ac prophetíæ dono illústrem ritu solémni beatârum vírginum número adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregor. Papæ in Evangel. Símile erit regnum cœlôrum, de Communi Virgin. primo loco.

DIE XXIV. APRÍLIS.

In festo sancti Boni Latronis.

Duplex.

Ad Vesperas, Aña. Latro Christum crucifixum, cum reliquis de Laudibus. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis. 13.

Capitulum. *Isaiæ* 59.

ECce non est abbreviâta manus Dómini, ut salvâre néqueat: neque aggravâta est auris ejus, ut non exáudiat.

Hym-

Digitized by Google

Hymnus.

JEsu corôna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne præmium.
Da supplicánti cœtui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissiônem críminis,
Rumpéndo nexum vínculi.
Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmine,
Quo sanctus hic de córpore
Migrâvit inter sídera.
Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gáudium;
A morte dira críminum
Vitæ renâtos líbera.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui à mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sécula.
Amen.

℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

Ad Magnificat,

Aña. Ait latro ad latrônem: Nos quidem digna factis recípimus: hic autem quid fecit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum, allelúia, allelúia.

Oratio.

OMnípotens & miséricors Deus, qui justíficas ímpios, te súpplices exorâmus: ut nos benígno intúitu, quo Unigénitus tuus beâtum traxit Latrônem, ad dignam pœniténtiam próvoces; & illam, quam ei promísit, tríbuas nobis glóriam sempitérnam. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit commemoratio sancti Georgii martyris.

Aña. Sancti & justi in Dómino gaudête, allelúia: vos elégit Deus in hæreditâtem sibi, allelúia. ℣. Pretiôsa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors sanctôrum ejus, allelúia.

Oratio.

DEus, qui nos beâti Geórgii mártyris tui méritis & intercessiône lætíficas: concêde propítius; ut qui tua per eum beneficia póscimus, dono tuæ grátiæ consequâmur. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Christum Regem crucifixum, qui Latróni in cruce paradisum donat, * Venite, adorêmus, allelúia. Psalmus. Venite, exultêmus Dómino. 16.

Hymnus. Jesu corôna célsior, ut supra.

In primo Nocturno,

Aña. Beâtus iste sanctus, qui confisus est in Dómino, & exaudîtus est de monte sancto ejus, allelúia. Psalm. Beâtus vir, qui non ábiit. Quáre fremuérunt gentes. Dómine, quid multiplicâti sunt, cum reliquis, ut supra in Of-

Officio S. P. N. Petri Nolasci. 17.

℣. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

Lectiones dicuntur de Scriptura occurrente.

℟. j. Pósui adjutórium super poténtem: * Manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum, allelúia. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, & filius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim.

℟. ij. Iste cognóvit justítiam, & vidit mirabília, & exorávit Altíssimum. * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúia. ℣. Iste invéntus est in número sanctórum. Ipse intercédat.

℟. iij. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornávit eum. Et ad portas. Glória Patri. Et ad portas paradísi.

In secundo Nocturno.

Aña. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum: Dóminus exaudívit eum, & constítuit eum in pace, allelúia. Psalmus. Cùm invocárem. Verba mea áuribus. Dómine Dóminus noster. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornávit eum, allelúia. ℟. Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúia.

Sermo S. Joánnis Chrysost. *Homilia 2. de Cruce, & Latrone, tom. 3.*

Lectio iv.

SCio & antè me dixísse de Latróne, sed habet diversas intelligéntias Dei sermo. Iste Latro de ligno mercátur salútem: hic Latro furátur cœléste impérium. Vim facit majestáti, non virtúte própria, sed fide vincens. Ipsius Dómini vox est: Regnum cœlórum vim pátitur, & violénti dirípiunt illud. In cruce duo latrónes, imágo Judæórum, & gentílium: Latro qui pœnitet, imáginem óbtinet pópuli ex géntibus congregáti, qui priùs in erróre ambuláverat, & post hoc veritátem agnóvit. Imáginem verò latro ille óbtinet Judæórum, qui usque in finem persevérat latro. Et usque ad tempus quidem crucis viam malignitátis iérunt; crux autem divísit utrúmque.

℟. Velum templi scissum est, * Et omnis terra trémuit: Latro clamábat de cruce, dicens: Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum, allelúia. ℣. Petræ scissæ

sæ sunt, & monuménta apérta sunt, & multa córpora sanctôrum, qui dormíerant, surrexérunt. Et omnis.

Lectio v.

Viam namque cæcitâtis & perditiônis, qui non crédidit, ingréssus est; viam autem salûtis, qui crédidit, ingressus est: viam salûtis, qui crédidit, adéptus est. In cruce dídicit Latro differéntiam viârum, quóniam novit Dóminus viam justôrum; via autem impiôrum perîbit. Et vide Dei justum judícium, ut dicas & tu cum prophêta: Justus es Dómine, & rectum judícium tuum. Propter unum peccâtum damnâtur Adam, & propter unam fidei vocem Latro salvâtur. Unum peccâtum ejécit illum, & una justítia introdúxit istum: & Latro habitâtor factus est paradísi. O admiránda rerum matéries! Nec Abrahæ data est per vocem repromíssio Paradísi. Hæreditâtur quidem per fidem; repromissiônem autem paradísi nemo ante Latrônem accêpit.

℞. Nemo repromissiônem paradísi ante Latrônem accêpit, cui Dóminus in cruce dixit: * Hódiè mecum eris in Paradíso, allelúia, allelúia. ℣. Dómine meménto mei, cùm véneris in regnum tuum. Hódiè mecum.

Lectio vj.

Iste ergo vidit Salvatôrem, non super throno regáli, non adorári in templo, non loquéntem de cœlis, non per ángelos disponéntem; sed in pœna sociátum latróni: videt in torméntis, & tamquam in glória adôrat: videt in cruce, & rogat quási in cœlis sedéntem: videt condemnâtum, & Regem ínvocat, dicens: Dómine meménto mei, cùm véneris in regnum tuum. Crucifixum vides, & Regem prædicas? in ligno pendêre cernis, & cœlôrum regna meditâris? O admiránda Latrônis convérsio!

℞. O admiránda Latrônis convérsio! * Crucifixum videt, & Regem prædicat, allelúia. ℣. In ligno pendêre cernit, & cœlôrum regna meditâtur. Crucifixum. Glória Patri. Crucifixum.

In tertio Nocturno,

Aña. Dómine, iste sanctus habitâbit in tabernáculo tuo, requiéscet in monte sancto tuo, allelúia. Psalm. Dómine, quis habitâbit. Dómine in virtûte tua. Dómini est terra. ℣. Hic accípiet benedictiônem à Dómino, allelúia. ℞. Et misericórdiam à Deo salutári suo, allelúia.

Léc-

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 23. *f*

IN illo témpore: Unus de his, qui pendébant latrónibus, blasphemâbat Dóminum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetípsum, & nos. Et réliqua.

Homilía S. Ambrósii Episc.

Serm. 49. *de S. Latrone.*

QUóniam hódie Evangélii léctio de Latrône fecit mentiônem, videâmus quis iste Latro sit, qui in cruce Dómino constitúto, non solùm peccatôrum suôrum véniam conséquitur, sed étiam paradísi amœnitâte donâtur: ut, qui propter scélera damnâtus fúerat ad pœnam, propter fidem transferrêtur ad glóriam: fuerítque illi crux, quam pértulit, non tam supplícii damnâtio, quàm salûtis occásio. In cruce enim pósitus, in Christum Dóminum nostrum crédidit crucifixum. Et ídeò, qui consórtio passiônis útitur, consórtio paradísi condonâtur. Beâtus enim Latro, dum supplícium pátitur, regnum cœléste conséquitur. Ecce reus dícitur, sicut cui damnári illud tempus expetívit. Non enim perveníret ad glóriam, si non contráditus esset ad pœnam. Videâmus, inquam, cur tantôrum crímimum reus, tam citò à Salvatôre paradísum promerêtur, cùm álii multôrum témporum lácrymis, frequentibúsque jejúniis, vix delictôrum suôrum véniam consequántur.

℟. Iste est beâtus Latro, qui in cruce pósitus, Christum Dóminum nostrum crédidit crucifixum: * Et dum supplícium pátitur, regnum cœléste conséquitur, allelúia. ℣. Quem Judas Iscariótes in hórtulo paradísi distráxerat, iste in patíbulo confitêtur. Et dum.

Lectio viij.

MAgna, fratres, & múltiplex causa est. Primum, quòd iste Latro devotiône fidei tam repéntè mutâtus est, ut præséntem pœnam despíceret, ac de futûra véniam precarêtur: & magis créderet útile sibi esse, de ætérno judício pétere, quàm de temporáli supplício postulâre. Reminíscens enim scélerum suôrum, & pœnitúdinem gerens, plus íncipit dolêre quod sperat, quàm sentíre quod pátitur. Pótuit enim, nisi de futúris ámpliùs cogitásset, qui in Christo semel credíderat, de præsénti magis supplício deprecári. Deinde illud ad grátiam ejus majôris est mériti, quòd in Chris-

Digitized by Google

Christum in cruce pósitum crédidit, & pássio, quæ áliis scándalum fecit, illi ad fidem profécit. Crucis enim pássio multis scándalum fuit, sicut dicit Apóstolus: Nos autem prædicâmus Christum crucifixum, Judæis quidem scándalum, gentibus autem stultítiam. Rectè ergo merêtur paradísum, qui crucem Christi non putâvit esse scándalum, sed virtûtem: dicit enim idem Apóstolus: Ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtûtem, & Dei sapiéntiam.

℟. Iste est, qui Crucem Christi non putâvit esse scándalum sed virtûtem; ideóque paradísum merêtur: * Ipse intercêdat pro peccátis ómnium populôrum, allelúia. ℣. Iste est qui honoríficat patiéntem, quem Judas pródidit osculántem. Ipse intercêdat. Glória Patri. Ipse intercêdat.

Lectio ix.

Rectè planè & Dóminus huic donat paradísum, quia quem Judas Iscariótes in hórtulo Paradísi distráxerat, hic in crucis patíbulo confitêtur. Mira res: confitêtur Latro, quem discípulus abnegâvit. Mira, inquam, res: Latro honoríficat patiéntem, quem Judas pródidit osculántem. Ab hoc pacis blandiménta vendúntur, ab illo crucis vúlnera prædicántur. Ait enim: Meménto mei Dómine, cùm véneris in regno tuo. Hæc est fidei plena devótio, ut cùm de vulnéribus Dómini prófluens sanguis cérnitur, tunc de potestâte ejus vénia postulêtur. Cùm vidêtur ejus humílitas, tunc magis timeâtur ejus divínitas: cùm morti addíctus putâtur, tunc regis illi honorificéntia deferâtur. Iste enim fidêlis Latro non crédidit moritûrum, quem annúntiat regnatûrum: non putat subdéndum ínferis, quem dominatûrum confitêtur in cœlo, non arbitrâtur eum apud tártarum detinéri, à quo se étiam póstulat liberári. Cernat licet ejus hiántia vúlnera, spectet ipsius sánguinem profluéntem: Deum tamen credit, quem reum nescit: justum fatêtur, quem non méminit peccatôrem.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Latro Christum crucifixum vidêbat, & Regem invocâbat, dicens: Dómine, meménto mei, dum véneris in regnum tuum, allelúia. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Qui me

me confessus fúerit coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, allelúia, allelúia. Aña. Cùm conturbâta fúerit ánima mea, Dómine, misericórdiæ memor eris, allelúia, allelúia. Aña. Salvum me fecit Christus Redémptor, quia dixit: Hódiè mecum eris in Paradíso, allelúia, allelúia, allelúia. Aña. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa; ecce qualis à cruce recêdit ex grátia, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. *Isaiæ* 59.

ECce non est abbreviâta manus Dómini, ut salváre néqueat: neque aggravâta est auris ejus, ut non exáudiat.

Hymnus.

JEsu Redémptor ómnium,
Corôna confiténtium,
In hac die cleméntiùs
Indúlgeas precántibus.
Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit:
Hujus celébrat ánnua
Devôta plebs solémnia.
Hujus benígnus ánnue
Confessiônem nos sequi:
Hujus precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.
Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gáudium;
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui à mortuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sécula.
Amen.

℣. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei Dómine, allelúia.
℟. Glóriam, & magnum decôrem imposuísti super eum, allelúia.

Ad Benedictus,

Aña. Ait latro ad latrônem: Nos quidem digna factis recípimus, hic autem quid fécit? Meménto mei Dómine, dum véneris in regnum tuum, allelúia, allelúia.

Oratio.

OMnípotens & miséricors Deus, qui justíficas ímpios; te súpplices exorâmus, ut nos benígno intúitu, quo Unigénitus tuus beâtum traxit Latrônem, ad dignam pœniténtiam próvoces: & illam, quam ei promísit, tríbuas nobis glóriam sempitérnam. Per eúmdem.

Ad Tertiam, Aña. Qui me conféssus. Capitulum. Ecce non est abbreviâta, ut suprà. ℟. brev. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum, * Allelúia, allelúia. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Amâvit. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornâvit eum, allelúia. ℟. Et ad

ad portas Paradiſi coronâvit eum, allelúia.

Ad Sextam, Aña. Cum conturbâta fúerit.

Capitulum. *Isaiæ* 58. *e*

TUnc invocâbis, & Dóminus exáudiet: clamâbis, & dicet: Ecce adsum.

℟. brev. Induit eum Dóminus lorîcam fidei, & ornâvit eum, * Allelúia, allelúia. Induit eum. ℣. Et ad portas Paradíſi coronâvit eum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Induit eum Dóminus. ℣. Hic accípiet benedictiônem à Dómino, allelúia. ℟. Et misericórdiam à Deo salutári suo, allelúia.

Ad Nonam, Aña. Ille qui talis.

Capitulum. *Isaiæ* 38. *d*

TU autem Dómine eruísti ánimam meam, ut non perîret: projecísti post tergum tuum ómnia peccâta mea.

℟. brev. Hic accípiet benedictiônem à Dómino, * Allelúia, allelúia. Hic accípiet. ℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Hic accípiet. ℣. Vitam pétiit à te, & tribuísti ei Dómine, allelúia. ℟. Glóriam, & magnum decôrem imposuísti super eum, allelúia.

Veſperæ de sancto Marco Evangeliſta, cum commem. sancti Boni Latronis.

Quòd si contingat festum sancti Marci alio die celebrari, in secundis Veſperis sancti Boni Latronis omnia dicuntur ut in primis.

Ad Magnificat, Aña. Impíetas ímpii non nocébit ei, in quacúmque die convérsus fúerit ab impietâte sua, allelúia, allelúia.

DOMINICA TERTIA post Paſcha.

Festum Patrocinii sancti Joſeph Confeſſoris. Duplex secundæ claſſis.

Ad Veſperas, Antiph. Jacob autem, cum reliq. de Laudib. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis.

Capitulum. *Gen.* 49. *d*

BEnedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus; donec venîret desidérium cóllium æternôrum. Fiant in cápite Joſeph, & in vértice Nazaræi inter fratres suos.

Hymnus.

TE Joſeph célebrent ágmina cœlitum,
Te cuncti résonent Chriſtíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Caſto fœdere vírgini.
Almo cùm túmidam gérmine cónjugem

Ad-

Admirâni, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus.
Concéptum púerum docet.
Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, & ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.
Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.
Nobis, summa Trias, parce precántibus:
Da Joseph méritis sídera scándere:
Ut tandem líceat, nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ, allelúia. ℟. Et príncipem omnis possessiônis suæ, allelúia.

Ad Magnificat,

Aña. Cùm esset desponsâta mater Jesu Maria Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto, allelúia.

Oratio.

DEus, qui ineffábili providéntia, beátum Joseph sanctísimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es: præsta quæsumus; ut quem protectôrem venerámur in terris, intercessôrem habêre mereámur in cœlis. Qui vivis & regnas.

Et fit comm. Dominicæ. Aña. Módicum, & non vidébitis me, dicit Dóminus: íterùm módicum, & vidébitis me, quia vado ad Patrem, allelúia, allelúia. ℣. Mane nobíscum Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Oratio.

DEus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritâtis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui Christiána professiône censéntur, & illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini, & ea quæ sunt apta, sectári. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Laudêmus Deum nostrum * In veneratiône beáti Joseph protectôris nostri, allelúia. Psal.n. Veníte, exultêmus. 16. Hymnus. Te Joseph célebrent ágmina cœlitum. Sicut in Vesp.

In primo Nocturno.

Aña. Angelus Dómini appáruit

ruit in somnis Joseph, dicens: Surge, & áccipe púerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi, allelúia. Psalmus. Beátus vir. Quare fremuérunt. Dómine, quid, cum reliquis, ut in Officio S. P. N. Petri Nolasci. 171. ℣. Confitêbor nómini tuo, allelúia. ℟. Quóniam adjûtor, & Protéctor factus es mihi, allelúia.

De libro Génesis.

Lectio j. *Cap.* 39.

IGitur Joseph ductus est in Ægyptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitus, vir Ægyptius, de manu Ismaëlitárum, à quibus perdúctus erat. Fuitque Dóminus cum eo, & erat vir in cunctis prósperè agens: habitavítque in domo dómini sui, qui óptimè nóverat Dóminum esse cum eo, & ómnia quæ géreret, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Joseph grátiam coram dómino suo, & ministrâbat ei, à quo præpósitus ómnibus gubernâbat créditam sibi domum, & univérsa, quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, & multiplicâvit tam in ædibus quàm in agris cunctam ejus substántiam: nec quidquam áliud nóverat, nisi panem quo vescebâtur. Erat autem Joseph pulchra fácie, & decôrus aspéctu.

℟. Clamâvit pópulus ad regem, aliménta petens: * Quibus ille respóndit: Ite ad Joseph, allelúia. ℣. Salus nostra in manu tua est; réspice nos tantùm, & læti serviêmus regi. Quibus ille.

Lectio ij. *Genes. cap.* 41. *e*

PLácuit Pharaóni consílium, & cunctis minístris ejus; locutúsque est ad eos: Num inveníre potérimus talem virum, qui spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia quæ locûtus es, numquid sapientiôrem, & consímilem tui inveníre pótero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantùm regni sólio te præcêdam. Dixítque rursus Phárao ad Joseph: Ecce, constítui te super univérsam terram Ægypti. Tulítque ánnulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus; vestivítque eum stola byssína, & collo torquem áuream circumpósuit. Fecítque eum ascéndere super currum suum secúndum, clamánte præcône, ut omnes coram eo genufléc-

flécterent, & præpósitum esse scirent univérsæ terræ Ægypti.

℟. Fecit me Deus quasi patrem regis, & dóminum univérsæ domus ejus: * Exaltávit, me ut salvos fáceret multos pópulos, allelúia. ℣. Veníte ad me, & ego dabo vobis ómnia bona Ægypti, ut comedâtis medúllam terræ. Exaltâvit me.

Lectio iij. *Genes. cap.* 41. *f*

DIxit quoque rex ad Joseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non movêbit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertítque nomen ejus, & vocâvit eum língua Ægyptíaca, Salvatôrem mundi. Dedítque illi uxôrem Aseneth filiam Putíphare sacerdôtis Heliopóleos. Egréssus est ítaque Joseph ad terram Ægypti (trigínta autem annôrum erat, quando stetit in conspéctu regis Pharaônis) & circuívit omnes regiónes Ægypti. Venítque fertílitas septem annôrum, & in manípulos redáctæ ségetes congregátæ sunt in hórrea Ægypti. Omnis étiam frugum abundántia in síngulis úrbibus cóndita est. Tantâque fuit abundántia trítici, ut arénæ maris coæquarêtur, & cópia mensûram excéderet.

℟. Jam lætus móriar, quia vidi fáciem tuam, & supérstitem te relínquo. Non sum fraudâtus aspéctu tuo: * Insuper osténdit mihi Dóminus semen tuum, allelúia. ℣. Qui pascit me ab adolescéntia mea, benedícat púeris istis: & invocêtur super eos nomen meum. Insuper. Glória Patri. Insuper.

In secundo Nocturno.

Aña. Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, & áccipe púerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël; defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam púeri, allelúia. Psalmus. Cùm invocârem. Verba mea. Dómine, Dóminus noster. ℣. Réspice de cœlo, & vide, & vísita víneam istam, allelúia. ℟. Et pérfice eam, allelúia.

Sermo sancti Bernárdini Senénsis.

Serm. 1. *de sancto Joseph.*

Lectio iv.

OMnium singulárium gratiárum, alícui rationábili creatúræ communicatârum, generâlis régula est; quòd quandocúmque divína grátia éligit áliquem ad áliquam grátiam singulârem, seu ad áliquem sublímem statum, ómnia charísmata donat, quæ illi persónæ sic

eléctæ, & ejus officio neceſsária sunt, atque illam copióſè décorant. Quod máximè verificátum est in sancto Joseph, putatívo patre Dómini nostri Jesu Christi, & vero sponso Regínæ mundi, & Dóminæ angelôrum, qui ab ætérno Patre eléctus est fidêlis nutrítius, atque custos principálium thesaurôrum suôrum, scílicet Filii ejus, & Sponsæ suæ; quod officium fideliſsimè proſecûtus est. Cui proptéreà Dóminus aït: Serve bone & fidêlis intra in gáudium Dómini tui.

℟. Dedísti mihi protectiônem salûtis tuæ, & déxtera tua suscêpit me: * Protéctor meus, & cornu salûtis meæ, & suscéptor meus, allelûia. ℣. Ego protéctor tuus sum, & merces tua magna nimis. Protéctor.

Lectio v.

SI cómpares eum ad totam Ecclésiam Christi: nonne iste est homo eléctus, & speciâlis, per quem, & sub quo Christus est ordinátè, & honéstè, introdúctus in mundum? Si ergo vírgini Matri tota Ecclésia sancta débitrix est, quia per eam Christum suscípere digna facta est: sic proféctò, post eam huic debet grátiam, & reveréntiam singulárem. Ipse enim est clavis véteris Testaménti, in qua patriarchâlis, & prophetâlis dígnitas promíſsum conséquitur fructum. Porrò hic est solus, qui corporáliter poſsêdit, quod eis divîna dignátio repromísit. Méritò ígitur figurâtur per illum patriárcham Joseph, qui pópulis fruménta servâvit. Sed & hic illum præcéllit, quia non solùm Ægyptiis panem corporâlis vitæ, sed ómnibus eléctis panem de cœlo, qui cœléstem vitam tríbuit, cum multa solértia enutrîvit.

℟. Státuet filios suos sub tégmine illîus, & sub ramis ejus morábitur; protegêtur sub tégmine illîus à fervôre: * Et in glória ejus requiéscet, allelúia. ℣. Sperâte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra. Et in glória ejus.

Lectio vj.

PRoféctò dubitándum non est, quòd Christus familiaritâtem, reveréntiam, atque sublimíſsimam dignitâtem, quam sibi exhíbuit, dum ágeret in humánis, tamquam filius patri suo; in cœlis útique non negâvit, quin pótius complêvit, & consummâvit. Unde non imméritò in verbo propósito à Dómino subinfértur: Intra in gáudium Dómini tui. Unde licèt gáudium

Digitized by Google

dium æternæ beatitúdinis in cor hóminis intret; máluit tamen Dóminus ei dícere: Intra in gáudium. Ut mysticè innuâtur, quòd gáudium illud non solùm in eo est intrà, sed úndiquè illum circúmdans, & absórbens, & ipsum velut abyssus infiníta submérgens. Meménto ígitur nostri, beâte Joseph, & tuæ oratiônis suffrágio apud tuum putatívum Fílium intercéde: sed & beatíssimam vírginem sponsam tuam nobis propítiam redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre, & Spíritu sancto vivit & regnat per infiníta sécula seculôrum. Amen.

℟. Si consístant advérsum me castra, non timêbit cor meum. * Si exúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperâbo, allelúia. ℣. In te cantátio mea semper, quóniam tu adjûtor fortis. Si exúrgat. Glória Patri. Si exúrgat.

In tertio Nocturno.

Aña. Consúrgens Joseph accépit púerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël; & habitâvit in civitâte, quæ vocâtur Názareth, allelúia. Psalmus. Dómine, quis habitâbit. Dómine, in virtûte tua. Dómini est terra. ℣. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, allelúia. ℟. Ut non derélinquat me in díe tribulatiônis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 3. e*

IN illo témpore: Factum est autem, cùm baptizarêtur omnis pópulus, & Jesu baptizáto, & oránte, apértum est cœlum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. de Consens. Evangel.

MAniféstum est illud, quod ait: Ut putabâtur filius Joseph: propter illos dixísse, qui eum ex Joseph, sicut álii hómines nascúntur, natum arbitrántur. Quos autem movet, quòd álios progenitóres Matthæus enúmerat descéndens à David usque ad Joseph; álios autem Lucas ascéndens à Joseph usque ad David. Fácilè est, ut advértant, duos patres habêre potuísse Joseph; unum à quo génitus, álterum à quo fúerit adoptâtus. Antíqua est enim consuetûdo adoptándi étiam in illo pópulo Dei, ut sibi filios fácerent, quos non ipsi genuíssent. Unde intellígitur Lucas patrem Joseph, non à quo génitus, sed à quo fúerat adoptâtus, suscepísse in Evangélio suo, cujus progé-

Digitized by Google

nitóres sursum versus commémorat, donec exiret ad David.

℟. Joseph fili David, noli timêre accípere Mariam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est; páriet autem Filium: * Et vocâbis nomen ejus Jesum, allelúia. ℣. Ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eôrum. Et vocâbis.

Lectio viij.

CUm enim necésse sit, utróque Evangelísta vera narránte, & Matthæo scílicet & Luca, ut unus eôrum ejus patris oríginem tenêret, qui genúerat; alter ejus, qui adoptáverat Joseph: quem probabílius intellígimus adoptántis oríginem tenuísse, quàm eum, qui vóluit Joseph génitum dícere ab illo, cujus eum filium esse narrâbat? Matthæus autem dicens: Ábraham génuit Ísaac, Ísaac génuit Jacob: atque ita in hoc verbo, quod est, génuit, persevérans, donec in último díceret, Jacob autem génuit Joseph; satis expréssit, ad eum patrem se perduxísse oríginem generántium, à quo Joseph non adoptâtus, sed génitus erat. * Quamquam si étiam Lucas génitum díceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbâre debêret, ut áliud crederêmus, quàm ab uno Evangelísta gignéntem, ab áltero adoptántem patrem fuísse commemorâtum. Neque enim absúrdè quisque dícitur non carne, sed charitâte genuísse, quem filium sibi adoptáverit. At verò étiam nos, quibus dedit Deus potestâtem filios ejus fiéri, de natúra atque substántia sua non nos génuit, sicut únicum Fílium: sed útique dilectiône adoptâvit.

℟. Surge, & áccipe púerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: * Et esto ibi usque dum dicam tibi, allelúia. ℣. Ut adimplerêtur, quod dictum est à Dómino per Prophêtam dicéntem: Ex Ægypto vocávi filium meum. Et esto. Glória Patri. Et esto.

Nona Lectio dicitur de Homilia Dominicæ tertiæ.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio ix. *Cap.* 16. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Módicum, & jam non vidébitis me: & iterùm módicum, & vidébitis me: quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homilia S. Augustíni Epísc. *Tract.* 101. *in Joan. sub finem.*

MÓdicum est, hoc totum spátium, quo præsens pérvolat séculum. Unde di-

dicit idem ipse Evangelíſta in Epíſtola ſua: Noviſſima hora eſt. Ideò namque áddidit: Quia vado ad Patrem; quod ad priôrem ſenténtiam referéndum eſt, ubi ait: Módicum, & jam non vidébitis me: non ad posteriôrem, ubi ait: Et íterùm módicum, & vidébitis me. Eúndo quippe ad Patrem, factûrus erat, ut eum non vidérent. Ac per hoc non ídeò dictum eſt, quia fúerat moritûrus, & donec resúrgeret, ab eôrum aspéctibus receſſûrus: ſed quòd eſſet itûrus ad Patrem, quod fecit poſteâquam reſurréxit, &, cum eis per quadragínta dies converſâtus, aſcéndit in cœlum.

℣. Te Deum laudâmus. 28.

Si hoc festum contingat transferri, octava Lectio dividatur ab illis verbis:

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

JAcob autem génuit Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocâtur Christus, allelúia. Psalmus. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Missus est ángelus Gábriël à Deo in civitâtem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsâtam viro, cui nomen erat Joseph, allelúia. Aña. Ascéndit autem Joseph à Galilæa de civitâte Názareth, in Judæam in civitâtem David, quæ vocâtur Béthlehem, allelúia. Antiphona. Et venérunt festinántes, & invenérunt Mariam & Joseph, & infántem pósitum in præsépio, allelúia, allelúia. Aña. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annôrum trigínta, ut putabâtur fílius Joseph, allelúia.

Capitulum. *Genes*. 41. *d*

BEnedictiónes patris tui confortâtæ sunt benedictiónibus patrum ejus; donec veníret desidérium cóllium æternôrum. Fiant in cápite Joseph, & in vértice Nazaræi inter fratres ſuos.

Hymnus.

CŒlitum Joseph decus, atque nostræ
Certa spes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus benígnus,
Súscipe laudes.
Te Sator rerum státuit pudícæ
Vírginis sponsum, voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit & minístrum
Esse salûtis.
Tu Redemptôrem stábulo jacéntem,
Quem chorus vatum céci-

Digitized by Google

cinit futûrum,
Aspicis gaudens, humilíſque natum
Numen adóras.
Rex Deus regum, & dominâtor orbis,
Cujus ad nutum tremit inferôrum
Turba, cui pronus famulâtur æther,
Se tibi subdit.
Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det * tuis nobis méritis beátæ
Gáudia vitæ. Amen.

℣. Dedísti mihi protectiônem salûtis tuæ, allelúia. ℟. Et déxtera tua suscêpit me, allelúia.

Ad Benedictus,

Aña. Joseph fili David, noli timêre, accípere Maríam cónjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est, allelúia.

Oratio.

Deus, qui ineffábili providéntia beâtum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignâtus es: præsta quæsumus; ut quem protectôrem venerâmur in terris, intercessôrem habêre mereâmur in cœlis. Qui vivis & regnas.

Et fit commem. Dominicæ, Aña. Módicum, & non vidébitis me, dicit Dóminus: íterum módicum, & vidébitis me, quia vado ad Patrem, allelúia, allelúia. ℣. In resurrectiône tua Christe, allelúia. ℟. Cœli, & terra lætént ur, allelúia.

Oratio.

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritâtis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui Christiâna professiône censéntur, & illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini, & ea quæ sunt apta, sectári. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Aña. Missus est. Capitulum. Benedictiónes patris tui, ut supra.

℟. brev. Constítuit eum dóminum domus suæ: * Allelúia, allelúia. Constítuit eum. ℣. Et príncipem omnis possessiônis suæ. Allelúia, allelúia. Glória Patri, & Filio, & Spíritui sancto. Constítuit. ℣. Confitêbor nómini tuo, allelúia. ℟. Quóniam adjûtor & protéctor factus es mihi, allelúia.

Ad Sextam, Aña. Ascéndit autem.

Capitulum, *Gen.* 49. *c*

Deus patris tui érit adjûtor tuus, & omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cœli désuper.

℟.

Digitized by Google

℟. brev. Confitêbor nómini tuo : * Allelúia, allelúia. Confitêbor. ℣. Quóniam adjûtor & protéctor factus es mihi. Allelúia, allelúia. Glória Patri, Confitêbor. ℣. Justus germinâbit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florêbit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Ad Nonam, Aña. Et ipse Jesus.

Capitulum. *Gen.* 49. *c*

Filius accréscens Joseph, filius accréscens, & decôrus aspéctu: filiæ discurrérunt super murum.

℟. brev. Justus germinâbit sicut lílium: * Allelúlia, allelúia. Justus germinâbit. ℣. Et florêbit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Justus germinâbit. ℣. Plantâtus in domo Dómini, allelúia. ℟. In âtriis domus Dei nostri, allelúia.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, exceptis sequentibus.

℣. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, allelúia. ℟. Et fructus ejus dulcis gútturi meo, allelúia.

Ad Magnificat.

Aña. Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego doléntes quærebâmus te, allelúia.

Oratio. Deus, qui ineffábili providéntia, beâtum Joseph, ut supra. 122.

Et fit commem. Dominicæ. Aña. Amen dico vobis: quia plorábitis & flébitis vos: mundus autem gaudêbit, vos verò contristabímini; sed tristítia vestra vertêtur in gáudium, allelúia. ℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quoniam advesperáscit, allelúia. Oratio. Deus, qui errántibus, ut in viam possint redire justítiæ, ut in Laudibus.

DIE XXVII. APRÍLIS.

In festo sancti Petri Armengaudi mart. Ordinis nostri.

Duplex secundæ classis, cum Octava.

Ad Vesperas, Aña. Vitam meam à juventûte, cum reliq. de Laudib. Psalm. Dixit Dominus, cum reliquis. 13.

Capitulum. *Rom.* 11. *d*

O Altitûdo divitiârum sapiéntiæ & sciéntiæ Dei: quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, & investigábiles viæ ejus!

Hymnus.

Plaudant dulcísonis Christíadæ choris,
Altérnis résonent cármina vócibus,
Quæ Petrum célebrent, ágmina cœlitum
Inter cándida sístere.

Etla-

E claris óriens iste paréntibus
Infántis péragit témpora nóbilis;
Sed claram júvenis túrpiter éjicit
Morum dégener índolem.

M ontes aufúgiens fit comes ímprobis:
Immítis lácrymis hórrida pérpetrat,
Nec parcens pópulis, crímina cóngerit
Summi víndicis ímmemor.

O nullis hóminum pérvia sénsibus
Rectôris súperum dógmate mystica
Erràntis pécudis, quam probra sústinet,
Ipsi post ut obédiat!

En celso júbaris flámine pércitus
Deflet, concútiens péctoris íntima,
Supplex assíduis prístina quæstubus,
Cœli ut tela coérceat.

I n portum flúitans cœlitus ádvenit,
Actus turbínibus fortè nigérrimis,
Attóllens óculos sídera témperat
Tensa supplíciter manu.

T u clemens míseris símplicis Unitas
Natúræ súperæ, veráque Trínitas,
Ætérnis vígeas semper honóribus,
Et terra simul & polo.
Amen.

℣. Grátia Dei sum id quod sum, allelúia. ℟. Et grátia ejus in me vácua non fuit, allelúia.

Ad Magnificat,

Aña. Supra modum persequêbar, & expugnâbam, & proficiêbam supra multos coætáneos meos in génere meo: cùm autem plácuit ei, qui me segregâvit, & vocâvit per grátiam suam, contínuò non acquiévi carni, & sánguini, allelúia.

Oratio.

SPíritum nobis, Dómine, charitâtis infúnde: quo beâtus Petrus pro púeris è barbarôrum tyránnide liberándis, gratum se tibi sacrifícium óbtulit alligâtus suspéndio. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Regem regum, qui mirabíliter ad se vocâvit Petrum, * Veníte, adorêmus, allelúia.
Psalm. Veníte, exultêmus Dómino. 16.

Hymnus.

GAudeas catérva matris,
Alma proles vírginis,
Cívibus dilécta cœli,

At-

Atque grata géntibus:
Désuper Petrus vocâtus,
Præpes ad te cónfugit.
Sauciâtus charitâte,
Antè qui nefárius,
Veste cándida Maríæ
Orat, urget, índuit,
Et sacro thorâce fultus
Miles alter énitet.
Acre nec certámen horret
Membra torquens pérpetim,
Non flagris se vulnerâre,
Non dolôre cónfici,
Intimis sic fœnerâtur
Flétibus prætérita.
Alta jugi cogitándi
Assuétus pábulo,
Térreum nihil requírit,
Sed divína clámitat:
Regis hæc fulget supérni
Déxteræ mutátio.
Te Pater, concórsque Fili,
Teque sancte Spíritus,
Corda qui terréna mutas,
Turba cuncta cœlitum
Omnibus dignè célebrent
Séculis concéntibus.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Tamquam lignum plantâtum secus decúrsus aquârum, beâtus Petrus fructum suum dedit in témpore suo, allelúia. Psalm. Beâtus vir, qui non ábiit in consílio. Quare fremuérunt gentes. Dómine, quid multiplicáti sunt. 17. ℣. Delícta juventûtis meæ, allelúia. ℟. Et ignorántias meas ne memíneris, allelúia.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio j. *Cap. 9. c*

QUis enim hóminum póterit scire consílium Dei? aut quis póterit cogitâre, quid velit Deus? Cogitatiónes enim mortálium tímidæ, & incértæ providéntiæ nostræ. Corpus enim, quod corrúmpitur, ággravat ánimam: & terréna inhabitátio déprimit sensum multa cogitántem. Et difficilè æstimâmus, quæ in terra sunt: & quæ in prospéctu sunt, invenímus cum labôre. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigâbit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis: & sic corréctæ sint sémitæ eórum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didícerint hómines? Nam per sapiéntiam sanáti sunt, quicúmque placuérunt tibi Dómine à princípio.

℟. Veritâtem dico in Christo, non méntior: * Testimónium mihi perhibénte consciéntia mea, allelúia. ℣. Tristítia mihi magna est, & contínuus dolor cordi meo. Testimónium mihi perhibénte consciéntia mea.

Lec-

Digitized by Google

Lectio ij. *Cap.* 12.

O Quàm bonus, & suavis est, Dómine, spíritus tuus in ómnibus! Ideòque eos, qui exérrant, pártibus córripis: & de quibus peccant, ádmones, & allóqueris: ut relícta malítia, credant in te, Dómine. Illos enim antíquos inhabitatóres terræ sanctæ tuæ, quos exhorruísti, quóniam odibília ópera tibi faciébant per medicámina, & sacrifícia injústa, & filiórum suórum necatóres sine misericórdia, & comestóres víscerum hóminum, & devoratóres sánguinis à médio sacraménto tuo, & auctóres paréntes animárum inauxiliatárum, pérdere voluísti per manus paréntum nostrórum, ut dignam percíperent peregrinatiônem puerórum Dei, quæ tibi ómnium chárior est terra. Sed & his tamquam homínibus pepercísti, & misísti antecessóres exércitus tui vespas, ut illos paulátim exterminárent. Non quia ímpotens eras in bello subjícere ímpios justis, aut béstiis sævis, aut verbo duro simul exterminâre: sed pártibus júdicans dabas locum pœniténtiæ, non ignórans, quóniam nequam est nátio eórum, & naturális malítia ipsórum, & quóniam non póterat mutári cogitátio illórum in perpétuum.

℟. Cùm essem párvulus, loquêbar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitâbam ut párvulus: quando autem factus sum vir, * Evacuávi, quæ erant párvuli, allelúia. ℣. Non ego autem, sed grátia Dei mecum. Evacuávi, quæ erant párvuli.

Lectio iij.

V Irtus enim tua justítiæ inítium est: & ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis. Virtûtem enim osténdis tu, qui non créderis esse in virtûte consummâtus, & horum, qui te nésciunt, audáciam tradúcis. Tu autem dominâtor virtûtis cum tranquillitâte júdicas, & cum magna reveréntia dispónis nos: subest enim tibi, cùm volúeris, posse. Docuísti autem pópulum tuum per tália ópera, quóniam opórtet, justum esse, & humánum, & bonæ spei fecísti filios tuos: quóniam júdicans das locum in peccátis pœniténtiæ. Si enim inimícos servôrum tuórum, & débitos morti, cum tanta cruciásti attentiône, dans tempus & locum, per quæ possent mutári à malítia; cum quanta diligéntia judicásti filios tuos, quorum pa-

paréntibus juraménta & conventiónes dedísti bonârum promissiônum? Cum ergo das nobis disciplínam, inimícos nostros multiplíciter flagéllas, ut bonitâtem tuam cogitêmus judicántes: & cùm de nobis judicâtur, sperêmus misericórdiam tuam.

℟. Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere; * Quorum primus ego sum, allelúia. ℣. Ideo misericórdiam consecûtus sum, ut in me osténderet Christus omnem patiéntiam ad informatiônem eôrum, qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam. Quorum primus. Glória Patri. Quorum.

In secundo Nocturno,

Aña. Mirificâvit Dóminus sanctum Petrum, & exaudívit illum, cùm clamâvit ad eum, allelúia. Psalm. Cùm invocârem. Verba mea. Dómine Dóminus noster. 21. ℣. Confitêbor tibi Dómine, quóniam irâtus es mihi, allelúia. ℟. Convérsus est furor tuus, & consolâtus es me, allelúia.

Lectio iv.

PEtrus Armengáudus Catalânus in óppido Guárdiæ pratôrum nuncupáto Diœcésis Tarraconénsis, è família cómitum Urgellénsium, nobílibus paréntibus natus, post juventûtem pérditè in século exáctam, Ordinem beátæ Maríæ de Mercêde redemptiônis captivôrum, non sine cœlésti admónitu ampléxus est: cujus institúti observantíssimus, oratiône, jejúniis, cæteríſque austeritátibus, anteáctam vitam mirabíliter compensâvit, ac virtûtum fulgôre, præsértim charitâte in Deum, & próximum, planè enítuit. Quámobrem suscéptum captivôrum redemptiônis munus expletûrus, non semel ad Saracenôrum plagas perréxit, & quàm plúribus Christi fidélibus è duríssimæ servitûtis vínculo exsolútis ubérrimum animârum fructum ex divíni verbi sémine, & suôrum morum sanctimónia relâtum, in hórrea Dómini invéxit.

℟. Collabôro Evangélio secúndùm virtûtem Dei: * Qui me liberâvit, & vocâvit vocatiône sua sancta, allelúia. ℣. Non secúndùm ópera mea, sed secúndùm propósitum suum, & grátiam, quæ data est mihi in Christo Jesu. Qui me.

Lectio v.

AFricam mox répetens, & multis inde in Hispániam remíssis captívis, dolens non potuísse, deficiénte pe-

pecúnia, quosdam púeros in fidei nutántes liberáre, se in pignus pro eôrum redemptiône constítuit. Ipse ínterim compédibus deténtus, cùm ad statûtam diem pacta pro redemptiône merces non fuisset allâta, & Mahométicæ superstitiônis haberêtur contémptor, collo ad lignum suspénditur. Ex Hispánia ejus sócius Guillélmus cum redemptiônis prétio in Africam intéreà revértitur, & gráviter beáti viri amissiônem deflens, ad locum, ubi suspénsus manêbat, accéssit, quem vivéntem réperit, sibíque dicéntem audîvit: Charíssime frater, ne fléveris, ecce enim sanctíssimæ Vírginis mánibus sustentâtus vivo, quæ mihi his diêbus hiláriter ádfuit. Inenarrábili ítaque gáudio illum è suspéndio depósuit, & cunctis demirántibus, ac bárbaris non credéntibus, unà cum áliis libertáte donátis, læti in pátriam revérsi sunt.

℟. Ad destinâtum pérsequor ad bravíum supérnæ vocatiônis Dei in Christo Jesu: * Pro quo legatiône fungor in catêna, allelúia. ℣. Sequor autem, si quómodò comprehéndam, in quo, & comprehénsus sum in Christo Jesu. Pro quo.

Lectio vj.

EX illó autem témpore beâtus Petrus collum è supplício obtórtum; & vultum squallôre márcidum, quoad vixit, retínuit. Et solitúdinis cúpidus, convéntum sanctæ Maríæ pratôrum sibi delêgit, ubi assíduis oratiónibus, solo pane & aqua conténtus, se afflictâbat; plúribus ad eum sanctitâtis fama percélebrem confluéntibus, quibus hiláriter succurrêbat, eosque curâbat. Frequénter alienâtus à sénsibus in áërem sublâtus, suavíssima verba proférre audítus est, quibus, ut adstántibus videbâtur, beatíssimæ Vírgini interrogánti respondêbat: suíque martyrii memor, hæc frátribus dícere erat sólitus: Ego, crédite mihi, nullos réputo me vixísse dies, præter felicíssimos illos paucos, quibus ligno suspénsus mundo putâbar jam mórtuus. Tandem gravi morbo corréptus, & sacra synáxi munítus, anno à Christo nato millésimo trecentésimo quarto, die vigésima séptima Aprílis à se prædícta, spíritum Deo réddidit in illis verbis: Placêbo Dómino in regiône vivôrum. & miráculis clarus máxima Christi fidélium veneratiône cólitur.

Digitized by Google

℟. Si quod solátium charitátis, si qua socíetas spíritus, si qua víscera miseratiônis: * Implête gáudium meum, ut idem sapiâtis, eámdem charitâtem habéntes, allelúia. ℣. Propter opus Christi usque ad mortem accéssi tradens ánimam meam. Implête gáudium meum. Glória Patri. Implête.

In tertio Nocturno.

Aña. In Dómino confido, quómodo dícitis ánimæ meæ, tránsmigra in montem sicut passer? allelúia. Psalm. In Dómino confido. 93. Dómine quis habitâbit. Dómine in virtûte. 24. ℣. Tribulatiônem, & dolôrem invéni, allelúia. ℟. Et nomen Dómini invocávi, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 16. *d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequâtur me. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

56. *in cap.* 16. *Matth.*

ET tollat crucem suam. Nam, ne quis putet ad verba usque tantúmmodò, ac contumélias, & oppróbria abnegatiônem hanc sui fieri oportêre, id subjúnxit, ut vídeas, abnegándos nos esse usque ad mortem, & mortem turpíssimam: quam desígnans, non dixit, ábneget se ipsum usque ad mortem; sed tollat crucem suam, mortem ignominiôsam signíficans: & non semel, nec bis; sed contínuè per totam vitam hanc tecum mortem circúmferas, & contínuò ad necem paratíssimus sis. Multi quidem pecúnias contempsêre, multi delícias vitæ, & glóriam conculcavérunt, mortem autem despícere non potuérunt; sed perícula & dolóres formidárunt. Ego vero ad effusiônem usque sánguinis volo, certatóres meos luctári, & ad necem usque pugnam continuâre. Quare si mortem subíre opórteat, & eam turpíssimam, & æstimatiôni hóminum péssimam, ferénda ómnia sunt æquo, imo pótius læto ánimo.

℟. Ego enim jam delíbor, & tempus resolutiônis meæ instat: * Bonum certâmen certávi, cursum consummávi, fidem servávi, allelúia. ℣. In réliquo repósita est mihi corôna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus justus Judex. Bonum certâmen certávi, cursum consummávi.

Digitized by Google

Lectio viij.

Ex ead. homil. litt. E. & F.

ET sequâtur me, inquit: posset enim âliquis tália pati, Christum tamen non sequi, si nihil vidélicet propter ipsum paterêtur. Quippe latrónes sepulchrôrum violatóres, dæmonum invocatóres, multa plerúmque tália patiúntur. Ne ígitur credas, ipsíus passiônis natûram per se sufficere, causam ejus subjêcit. Quam ipsam? Ut quæ dicta sunt, univérsa fáciens, atque pátiens, ipsum sequâris: ut scílicet propter ipsum ómnia sustíneas, utque omnem virtûtis número hábeas. Is enim Christum séquitur, qui non in perículis, modò fortitúdinem adhíbeat, sed modéstiam, sed humilitâtem, & omne sublimiôris philosóphiæ genus compléctitur. Id enim est, rectè Dóminum sequi, & ut opórtet, si propter ipsum cuncta súfferas, & álias virtútes non négligas.

℟. O tua circa párvulos, beâte Petre, mira charitâtis diléctio, * Ut ipsos redímeres, & fidéles servâres, te patíbulo tradidísti, Redemptôrem sequéndo Dóminum Jesum Christum, allelúia. ℣. Ego, crédite mihi, nullos réputo me vixísse dies, præter felicíssimos illos, quibus ligno suspénsus, mundo putâbar jam mórtuus. Ut ipsos redímeres. Glória Patri. Ut ipsos redímeres.

Lectio ix.

Ex eadem homil. litt. F.

MUlti diábolum sequéntes, multa patiúntur, & vitam propter ipsum perdunt, quam nos propter Christum, imo verò propter nos ipsos perdâmus; illi hoc fáciunt, & tam hîc, quàm in futûra vita sibi obsunt. Nos autem ut utráque vita potiâmur, faciâmus óbsecro. Summa enim ignávia est, non tantam saltem solértiæ magnitúdinem ánimæ nos adhibêre, qui fulgéntibus corônis fruêmur, quantam pérditi hómines osténtant, præsértim cum nobis Christus adsit, atque opitulêtur, illis verò nemo patrocínium præbeat. Verum hoc præcéptum étiam tunc dixit, quando mittêbat eos dicens: In viam géntium ne abiéritis. Mitto enim vos, inquit, sicut oves in médio lupôrum, & ad príncipes & reges ducémini. Nunc autem idípsum multo inténsiùs atque acriùs expréssit. Mortis enim tunc solúmmodo, nunc autem mentiônem fecit & crucis ingéntis atque perpétuæ.

Te

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

VItam meam à juventûte, quæ ab inítio fuit in gente mea, novérunt omnes, multi in carcéribus inclúsi, & persequêbar usque in éxteras civitátes, allelúia. Psal. D óminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus, allelúia. Aña. Optâbam enim ego ipse anáthema esse à Christo pro frátribus meis, qui sunt cognáti mei secúndùm carnem, allelúia. Aña. Et nunc ecce alligâtus ego spíritu vado in Africam, quæ in ea eventûra sunt mihi ignórans, allellúia. Aña. Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiôrem quàm me, dúmmodò consúmmem cursum meum, & ministérium, quod accépi à Dómino, allelúia.

Capitulum. *Rom.* 11. *d*

O Altitûdo divitiârum sapiéntiæ, & sciéntiæ Dei: quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, & investigábiles viæ ejus!

Hymnus.

AMôris actus ígnibus,
Minas nec horret ásperas,
Nec sæva Petrus vúlnera:
Cùm gentis ultor ímpiæ,
Fidúsque vindex páuperum,
Mortem timêre nésciat.
Jam plúrimos exólverat,
Totûmque jam deflúxerat
Æs, solvat ut discrímine
Fide labántes párvulos,
Ardôre fervens cœlico
Cruénta suffert víncula.
Præscríptus jam decúrrerat
Dies, furêbat æstuans
Máurus, ténaci spíritu
Promíssa solvi póstulans,
Aut pignorâto núntiat,
Ut morte nummos éluat.
Festína paret cháritas
Sui cruôris pródiga:
Hinc inde bárbarus parat
Ligâre membra cárnifex,
Petríque collum vínciens,
Ad ligna córpus strángulat.
Stipâta jam jam cœlitum
En virgo Mater ágmine,
Cruci propínquat sérvuli,
Quem (verba miscens dúlcia,
Mors, ut ruat suspéndio)
Manu benígna sústinet.
O ter, quatérque próspera
Optâta Petri víctima!
Tibi, ô redémptrix cóncio,
Hæc una déerat glória,
Mater quod alma númini
Sacrâret hoc piáculum.
Tibi Patri cum Fílio,
Et Spíritu Paráclito,
Qui mira solus éfficis,

Ac robur es certántibus,
Et cœlites, & ádvenæ
Perénne demus cánticum.
Amen.

℣. Custódiens párvulos Dóminus, allelúia. ℟. Humiliâtus sum, & liberâvit me, allelúia.

Ad Benedictus,

Aña. Scire autem vos volo, fratres, quia, quæ circa me sunt, magis ad profectum venérunt: ita ut víncula mea manifésta fierent in Christo, & plures è frátribus in Dómino confidéntes, in vínculis meis abundántiùs créderent, sine timôre verbum Dei loqui, allelúia.

Oratio.

Spíritum nobis, Dómine, charitâtis infúnde, quo beâtus Petrus pro púeris è barbarôrum tyránnide liberándis, gratum se tibi sacrifícium óbtulit alligâtus suspéndio. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Tertiam, Aña. Vivo autem. Capitulum. O altitûdo, ut suprà.

℟. brev. Tu Dómine eruísti ánimam meam, * Allelúia, allelúia. Tu Dómine. ℣. Ut non perîret. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Tu Dómine. ℣. Projecísti post tergum tuum, allelúia. ℟. Omnia peccâta mea, allelúia.

Ad Sextam, Aña. Optâbam enim.

Capitulum. 1. *Tim. cap.* 1. c

Grátias ago ei, qui me confortâvit in Christo Jesu Dómino nostro, quia fidêlem me existimâvit ponens in ministério: qui priùs & persecútor, & contumeliôsus; sed ídeo misericórdiam Dei consecûtus sum: ut in me osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiônem eôrum, qui creditûri sunt illi in vitam ætérnam.

℟. brev. Projecísti post tergum tuum, * Allelúia, allelúia. Projecísti. ℣. Omnia peccâta mea. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Projecísti.
℣. Convértere ánima mea in réquiem tuam, allelúia.
℟. Quia Dóminus benefêcit tibi, allelúia.

Ad Nonam, Aña. Nihil véreor.

Capitulum. *Philipp. c.* 1. c

Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum. Quòd si vívere in carne, hic mihi fructus óperis est, & quid éligam ignôro: Coárctor autem è duobus, desidérium habens dissólvi, & esse cum Christo méliùs; permanêre autem in carne, necessárium propter vos.

℟. brev. Convértere ánima mea,

mea in réquiem tuam, * Allelúia, allelúia. Convértere. ℣. Quia Dóminus benefécit tibi. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Convértere. ℣. Placébo Dómino, allelúia. ℟. In regióne vivórum, allelúia.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis; sed loco ultimi

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.
Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.
Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam: * & nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.
O Dómine, quia ego servus tuus, * ego servus tuus, & filius ancíllæ tuæ.
D irupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.
Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.
℣. Magnificábitur Christus in córpore meo, allelúia. ℟. Sive per vitam, sive per mortem, allelúia.

Ad Magnificat,

Aña. Beátus Petrus dixit: Pensáte, cœlórum regni quanta sint gáudia: si tormentórum pro Christo tantæ sunt delíciæ; & si mors ipsa pro Christo tam dulcis est, & tam jucúnda ignomínia: qualis erit cum ipso ætérna vita? allelúia. Oratio. S píritum nobis, ut supra.

Deinde fit commemorat. sancti Vitalis martyris, Aña. Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, & ætérnitas témporum, allelúia. ℣. Sancti, & justi in Dómino gaudéte, allelúia. ℟. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Vitális mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

In Hispania, in Vesperis commem. S. Thuribii Episc. & Confessoris, & S. Vitalis martyris, ut supra.

DIE XXVIII. APRÍLIS.

Secunda die fit de Octava, ut in die, præter Lectiones primi Nocturni, quæ dicuntur de Scriptura occurrente, & secundi, & tertii Nocturni, quæ dicuntur ut infra.

Digitized by Google

In secundo Nocturno.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Serm. 22. Lectio iv.

DIgnum & cóngruum est, fratres, ut post lætítiam Paschæ, quam in Ecclésia celebrávimus, gáudia nostra cum sanctis martyribus conferâmus, & iis annuntiêmus Domínicæ resurrectiônis glóriam, qui consórtes sunt Domínicæ passiônis. Qui enim sócii sunt contuméliæ, debent & partícipes esse lætítiæ. Ita enim dicit beâtus Apóstolus: Sicut sócii passiônum estis, & resurrectiônis éritis: si tolerábimus, inquit, & conregnábimus. Qui ergo toleravérunt mala propter Christum, debent & glóriam habêre cum Christo.

℟. Collabôro Evangélio. 127.

Lectio v.

ANnuntiêmus, inquam, sanctis martyribus Domínicæ Paschæ grátiam: ut dum sepultúræ illíus prædicâmus reserâta claustra, & horum sepúlchra reseréntur: dum corpus illíus mórtuum dícimus tepéntibus venis súbitò viguísse, horum quoque membra jam frígida immortalitâtis calôre foveántur. Eadem enim rátio mártyres súscitat, quæ & Dóminum suscitâvit. Nam sicut viam passiônis ejus expérti sunt, ita experiéntur & vitæ. Scriptum est enim in Psalmo: Notas mihi fecísti vias vitæ. Hoc útique in resurrectiône ex persóna dícitur Salvatôris: ut qui, dum post mortem ab ínferis redit ad súperos, incípiat notam habêre viam vitæ, quæ ante habebâtur ignôta.

℟. Ad destinâtum. 128.

Lectio vj.

IGnôta enim erat ante Christi advéntum via vitæ, quæ nullíus adhuc resurgéntis fúerat temerâta vestígio. At ubi Dóminus resurréxit, nota facta, solo attríta est plurimôrum. De quibus sanctus Evangelísta ait: Multôrum córpora sanctôrum surrexérunt cum eo, & introiérunt in sanctam civitâtem. Unde cùm Dóminus in resurrectiône sua díxerit: Notas mihi fecísti vias vitæ: póssumus & nos jam dícere Dómino: Notas fecísti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis sémitam manifestâvit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cùm me dócuit fidem, misericórdiam, justítiam, castitâtem. His enim pervenítur itinéribus ad salûtem.

℟. Si quod solátium charitâtis. 129.

In

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 16. *d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequâtur me. Et réliqua.

Homilia S. Hilárii Epíscopi. *Canon.* 16. 17.

O Beâtum damnum, & jactûra felix! Ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ & córporis vóluit, & esse sui símiles hortâtur: quia ipse in figûra Dei constitûtus usque ad mortem húmilis, & obédiens factus, principâtum potestâtis totius, quæ in Deo est, accêpit. Sequéndus igitur est cruce assúmpta, & passiônis suæ, si non sorte, áttamen voluntâte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, & toto terrénæ potestâtis dominâtu, ópibus séculi incubâre, si perdénda ánima, & suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Ego enim jam delibor. 129.

Lectio viij.

QUæ autem commutátio pro ánima, cùm fúerit amíssa, quærêtur? Cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis, ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam? Præparâtos, credo, terrenárum opum futûris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitâtum, famæque títulos, aut véteres delegátæ nobilitâtis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundêmus: & contémptu universôrum Christus sequéndus est, & ætérnitas spirituálium, terrenôrum est damno comparánda.

℟. O tua circa párvulos. 130.

Pro sancto Vitale martyre.

Lectio ix.

VItâlis miles, sanctôrum Gervásii, & Protásii pater, unà cum Paulino júdice Ravénnam ingréssus, cùm vidísset Ursicínum médicum ob Christiánæ fidei confessiônem ductum ad supplícium, páululùm in torméntis titubâre, exclamâvit: Ursicíne médice, qui álios curâre sólitus es, cave ne te mortis ætérnæ jáculo confícias. Qua voce confirmâtus Ursicínus, martyrium fórtiter subívit. Quare Paulínus incénsus, Vitâlem comprehéndi jubet, & equúleo tortum, atque in profúndam fóveam demérsum, lapídibus óbrui. Quo facto quidam Apollínis sacérdos, qui Paulínum in Vitâlem incitârat, oppréssus à dæmone, cla-

mâre cœpit: Tu me nímium, Vitâlis Christi martyr, incéndis: & illo æstu jactâtus, se præcipitâvit in flumen.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem. sancti Vitalis. Aña. Fíliæ Jerúsalem, veníte, & vidéte mártyres cum corónis, quibus coronâvit eos Dóminus in die solemnitâtis & lætítiæ, allelúia, allelúia. ℣. Pretiôsa in conspéctu Dómini, allelúia. ℟. Mors sanctôrum ejus, allelúia. Oratio. Præsta, quæsumus. 133.

Vesper. de S. Petro martyre cum commemor. Octav. S. Petri Armengaudi.

In Hispania fit de S. Thuribio Episc. & Conf. semidupl. ut in proprio Ss. Hispaniæ die xxvij. hujus, cum commem. Octavæ, & S. Vitalis, & dicitur nona ejus Lectio ad Matut.

Vesperæ S. Petri martyris, cum commem. S. Thuribii, & Octavæ.

DIE XXIX. APRÍLIS.

Ab hac die usque ad diem tertiam Maii, fit de festis occurrentibus in Breviar. cum commem. Octavæ, exceptis festis Ss. Apost. Philippi, & Jacobi, & Inventionis sanctæ Crucis, in quibus nihil fit de Octava.

Die vero tértia Maii, in secundis Vesperis Inventionis S. Crucis fit commemor. de die octavo S. Petri Armengaudi, ut in primis Vesperis festi. 123.

FESTA MAII.

DIE IV. MAII.

Octava S. Petri Armengaudi.
Duplex.

Omnia dicuntur sicut in die, exceptis iis, quæ hic apponuntur.

In primo Nocturno legunt. Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

De Sermône sancti Ambrósii Epíscopi.

Lectio IV.

ET licet nos in resolutiône córporis, mortis umbra circúmdet, tamen gressus suos vita non déserit, sed inter ipsas médias inférni leges incunctánter Christi virtútibus ambulâmus. Unde ait sanctus prophêta: Nam & si ambulâvero in médio umbræ mortis, non timêbo mala, quóniam tu mecum es. Quod maniféstiùs Dóminus ait de fidéli, dicens: qui autem credit in me, non moriêtur, & licèt moriâtur, vivet.

℟. Collabôro Evangélio. 127.

Lectio V.

ERgo, fratres, cum sanctis martyribus Paschæ Dómini glóriam conferâmus, confe-

ferámus inquam: & licet mélius nóverint ómnia, tamen nos illis prædicémus, quemádmodum de sepúlchri grémio resurréxit ad súperos. Illi nobis revélent, quo pacto de inférni profúndo remeáverit ad sepúlchrum. Notum, inquam, nobis fáciant, quemádmodum in exánime jam corpus & frígidum sese calor insinuáverit, spíritus ingrésserit, sanguis infúderit, & gelátas humôre venas prístini vigôris pulsus agitáverit.

℟. Ad destinátum pérsequor bravium supérnæ vocatiônis Dei in Christo Jesu: * Pro quo legatiône fungor in catêna, allelúia. ℣. Sequor autem si quómodò comprehéndam, in quo, & comprehénsus sum in Christo Jesu. Pro quo.

Lectio vj.

NOtum, inquam, nobis fáciant, quemádmodum órganum córporis dissipâtum, in priôrem statum nervôrum rursus coaptáverit resolûta compágo, & harmoniam víscerum jam siléntem in véterem concéntum spíritus vivíficans animáverit. Sacerdótes ergo prædicent, quæ Salvâtor post resurrectiônem mirabília gessit ad súperos; mártyres revélent, quanta in ipsa morte refrigéria operâtus sit in defúnctos.

℟. Si quod solátium. 129.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 16. *d*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, ábneget semetípsum, & tollat crucem suam, & sequâtur me. Et réliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *in Matth. cap.* 16.

QUi depônit véterem hóminem cum opéribus suis, denégat semetípsum dicens: Vivo autem, non ego, vivit verò in me Christus: tollit crucem suam, & mundo crucifigitur. Cui autem mundus crucifixus est, séquitur Dóminum crucifixum. Aut quam dabit homo commutatiônem pro ánima sua? Pro Israël datur commutátio Ægyptus, & Æthiópia, & Syéne: pro ánima humána illa sola est retribútio, quam Psalmísta canit: Quid retríbuam Dómino pro ómnibus, quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo.

℟. Ego enim jam delibor. 129.

Lec-

Digitized by Google

Lectio viij.

FIlius enim hóminis ventûrus est in glória Patris sui cum ángelis suis. Petrus, ad prædicatiônem Domínicæ mortis scandalizâtus, senténtia Dómini fúerat increpâtus, provocáti sunt discípuli, ut abnegárent se, & tóllerent crucem suam, & moriéntium ánimo sequeréntur Magístrum. Grandis terror audiéntium, & qui possit, príncipe Apostolôrum pertérrito, étiam áliis metum injícere: idcircò tristibus læta succédunt, & dicit: Fílius hóminis ventûrus est in glória Patris sui cum ángelis suis. Times mortem, audi glóriam triumphántis: verêris crucem, auscúlta angelôrum ministéria.

℞. O tua circa párvulos. 130.

Lectio ix

TErrôrem Apostolôrum spe medicári volúerat promissôrum, dicens: Fílius hóminis ventûrus est in glória Patris sui cum ángelis suis: ínsuper auctoritâte júdicis áddita, reddet unicuíque secúndùm ópera sua. Póterat Apostolôrum tácita cogitâtio istíusmodi scándalum sustinêre: Occisiônem, & mortem nunc dicis esse ventûram; quod autem promíttis, te affutûrum in glória Patris cum angelôrum ministériis, & júdicis potestâte, hoc in dies erit, & in témpora longa differêtur. Prævidens ergo occultôrum cógnitor, quid possent objícere, præséntem timôrem præsénti compénsat præmio. Quid enim dicit? Sunt quidam de hîc stántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium hóminis veniéntem in regno suo. Te Deum laudâmus. 28.

Vesperæ de Corona Domini, cum commem. S. Petri Armengaudi.

DIE V. MAII.

In festo Coronæ Domini nostri Jesu Christi. Duplex majus.

Ad Vesperas, Aña. Mílites præsidis, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis. 13.

Capitulum. *Cant.* 3. *d*

EGredímini, & vidête fíliæ Sion regem Salomônem in diadémate, quo coronâvit illum mater sua, in die desponsatiônis illius, & in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

LAuda fidêlis cóncio
Spinæ trophæum ínclytum,
Per quam perit perdítio,
Vitæque datur méritum.
Nos à punctúris líberat
Ætérni Patris Fílius,

Dum

Dum spinis pungi tólerat
Spinârum culpæ néscius.
Cùm spinârum acúleum
Christus pro nobis pértulit:
Per diadêma spíneum
Vitæ corônam cóntulit.
Plaudat turba fidélium,
Quòd per spinæ ludíbrium
Purgat Creâtor ómnium
Spinêti nostri vítium.
Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gáudium;
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui à mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sécula.
Amen.

℣. Tuam Corônam adorámus Dómine, allelúia. ℟. Tuum gloriôsum recólimus triúmphum, allelúia.

Ad Magnificat.

Aña. Apprehéndit Pilâtus Jesum, & flagellâvit: & mílites plecténtes Corônam de spinis, imposuérunt cápiti ejus, & veste purpúrea circumdedérunt eum, allelúia, allelúia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui in memóriam passiônis Dómini nostri Jesu Christi, Corônam ejus spíneam venerâmur in terris, ab ipso glória & honôre coronâri mereâmur in cœlis. Qui tecum vivit.

Deinde pro commem. Octav. sancti Petri Armengaudi Aña. Beâtus Petrus dixit. ℣. Magnificábitur. Oratio. Spíritum nobis. 132.

Ad Matutinum. Invitatorium. Christum Regem pro nobis spinis coronâtum * Veníte, adorêmus, allelúia. Psal. Veníte, exultêmus. 16. Hymnus. Láuda fidêlis cóncio, ut supr.

In primo Nocturno.

Aña. Maledícta terra in ópere tuo: spinas & tríbulos germinâbit tibi, allelúia. Psalm. Beátus vir, qui non ábiit. Quare fremuérunt gentes. Dómine quid multiplicáti sunt. 17. ℣. Tuam Corônam adorâmus Dómine, allelúia. ℟. Tuum gloriôsum recólimus triúmphum, allelúia.

De Isaía prophéta.

Lectio j. *Cap.* 53.

QUis crédidit audítui nostro? & bráchium Dómini cui revelâtum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, & sicut radix de terra sitiénti: non est spécies ei, neque decor: & vídimus eum, & non erat aspéctus, & desiderávimus eum: despéctum, & novíssimum virôrum, virum dolôrum, & sciéntem infirmitâtem; & quasi abscónditus vultus ejus, & despéctus, unde nec

Digitized by Google

nec reputávimus eum.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decôrem, aspéctus ejus in eo non est; hic peccâta nostra portâvit, & pro nobis dolet; ipse autem vulnerâtus est propter iniquitátes nostras: * Cujus livôre sanáti sumus, allelúia. ℣. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portâvit. Cujus livôre.

Lectio ij.

VErè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portâvit: & nos putávimus eum quasi leprôsum, & percússum à Deo, & humiliâtum. Ipse autem vulnerâtus est propter iniquitátes nostras, attrîtus est propter scélera nostra: disciplîna pacis nostræ super eum, & livôre ejus sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinâvit: & pósuit Dóminus in eo iniquitâtem ómnium nostrûm.

℟. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuârum?* Et dicet: His plagâtus sum in domo eôrum, qui diligébant me, allelúia. ℣. Frámea suscitâre super pastôrem meum, & super virum cohæréntem mihi. Et dicet.

De Zacharía prophéta.

Lectio iij. *Cap.* 12. & 13.

ET erit in die illa: quæram contérere omnes gentes, quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem, spíritum grâtiæ, & precum: & aspícient ad me, quem confixérunt: & plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem. Et dicêtur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio manuum tuârum? Et dicet: His plagâtus sum in domo eôrum, qui diligébant me. Frámea suscitâre super pastôrem meum, & super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastôrem, & dispergéntur oves, & convértam manum meam ad párvulos.

℟. Tuam Corônam spíneam venerâmur Dómine, tuam gloriôsam recólimus passiônem; * Miserêre nobis qui passus es pro nobis, allelúia. ℣. Salva præséntem catérvam in tuis hódie láudibus congregâtam. Miserêre. Glória Patri. Miserêre.

In secundo Nocturno.

Aña. Pro fruménto ortus est mihi tríbulus, & pro hór-

hórdeo ſpina, allelúia.
Pſalm. Cum invocârem. Verba mea. Dómine Dóminus noſter. 21. ℣. Glória & honôre coronáſti eum Dómine, allelúia. ℟. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuârum, alleluia.

Ex tractâtu ſancti Athanáſii de paſſiône Dómini.

Lectio iv.

CUm exuerêtur Dóminus, eo ipſo inviſibíliter erigebâtur de diábolo trophæum, & quo illum maniféſtum fieret, narrâtur à Joánne indûtum fuiſſe púrpura: à Matthæo vero, & Marco chlámyde coccínea, Coronámque illi ex ſpinis ſuper caput eſſe pósitam, & cálamum in manus datum; & ita cùm eum produxíſſent, génibus flexis adoráſſe. Miráculum novum, & incredíbile, & magnæ ſine dúbio victóriæ inſigne! quem enim ut hóminem condemnáverant, eum mórtuum deínde ut Deum adoravérunt: & quem aſpernabántur ut vilem & contemptíbilem, eum confitebántur Regem: cui túnicam, & veſtem detráxerant, eum púrpura circumdedérunt: & quem ignorántes contuméliis afficiébant, eum prophêtam étiam noléntes appellavérunt: & quem per ludíbrium, ſubſannatiónémque pulſábant, ei triumphália addidérunt ornaménta, coccíneam chlámydem, & Corônam ſpíneam, & cálamum. Nam tamétſi ea quaſi per contuméliam agébant, efficiebâtur tamen inde, ut ab eo laténter ſpoliaréntur.
℟. Corôna áurea ſuper caput ejus, * Expréſſa ſigno ſanctitâtis, glória, honôris, & opus fortitúdinis, allelúia. ℣. Quóniam prævеníſti eum in benedictiónibus dulcédinis, poſuíſti in cápite ejus corônam de lápide pretióſo. Expréſſa.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſc. *Ser. 73. qui eſt 19. de S. Cypr.*

Lectio v.

VIdeâmus diligénter, ne ex pálmite óperis noſtri non naſcâtur dulcédinis uva, ſed fellis; ne dicâtur nobis, quòd Judæis dictum eſt per prophêtam: Suſtínui, ut fáceret uvam, fecit autem ſpinas; & non juſtítiam, ſed clamôrem. Quàm dura condítio, ut poſſéſſio, quæ Dómino ſuo ſuavitâtis fructus afférre débuit, ſpinârum illum aſperitâte compúnxerit: hoc eſt, cùm Judæi Salvatôrem debúerint tota fidei devotiône ſuſcípere, ſpinârum eum coronavérunt paſſiône. Quæ Corôna quidem, quantum in Judæis eſt, erat injuria-

riâ-

riârum contumélia: quantum in Dómino, erat Corôna virtûtum. Compúngunt ergo Judæi Dóminum, dum corónant: compúngunt, dum crucifigunt. Unde ait Scriptûra sancta; Vidébunt in quem compunxérunt.

℟. Omnes amíci mei dereliquérunt me: & prævalúerunt insidiántes mihi: trádidit me quem diligêbam, * Et terribílibus óculis plaga crudéli percutiéntes, subsannábant mihi, allelúia. ℣. Inter iníquos projecérunt me, & non pepercérunt ánimæ meæ. Et.

Lectio vj.

IGitur, fratres, vidête, ne & nobis dicâtur: Sustínui, ut fáceret uvam, fecit autem spinas: hoc est, ne spinas, quas Dómino Judæi cruéntis imposuérunt mánibus, nos iníquis sénsibus apponâmus, & compungâmus eum non asperitâte séntium, sed óperum pravitâte. Sunt enim spinæ cordis, quæ verbum Dei étiam vulnerâre consuevérunt; de quibus méminit in Evangélio Salvâtor, dicens: Seminántis semen cecidísse inter spinas, & crevísse eas, ac suffocásse quod satum est. Ergo, fratres, vidête, ne vínea vestra non uvas, sed spinas fáciat, ne vindémia vestra non vinum áfferat, sed acêtum. Quisquis enim vindémiam legit, & paupéribus non largîtur, ille acêtum cólligit, non vinum. Quisquis messes recóndit, & indigéntibus non minístrat, iste non alimóniæ fructus repósuit, sed tríbulos avarítiæ congregâvit. Nam proptérea ait Scriptûra de terra nostra: Spinas & tríbulos germinâbit tibi.

℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi; * Quómodo convérsa es in amaritúdinem, ut me spinis coronâres? allelúia. ℣. Sepívi te, & lápides elégi ex te, & ædificávi turrim. Quómodo. Glória. Quómodo.

In tertio Nocturno.

Aña. Gravâta est super me manus tua: convérsus sum in ærúmna mea dum configitur spina, allelúia. Psalm. Cantâte Dómino. j. Dóminus regnâvit exultet terra. Cantâte Dómino. ij. ut infra in tertio Nocturno Officii beatæ virginis Mariæ de Mercede.

℣. Eris corôna glóriæ in manu Dómini, allelúia. ℟. Et diadêma regni in manu Dei tui, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19.

IN illo témpore: Apprehéndit Pilâtus Jesum, & flagellâvit. Et mílites plectén-

téntes corônam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Epísc. *Tract. 116. in Joannem.*

HOc Pilâtus non ob áliud fecísse credéndus est, nisi ut ejus injúriis Judæi satiáti, sufficere sibi existimárent, & usque ad ejus mortem sævíre desísterent. Ad hoc pértinet, quòd idem præses cohórtem suam étiam permísit fácere quæ sequúntur, aut fortássis & jussit, quamvis hoc Evangélista tacúerit: dixit enim quid deínde fécerint mílites, Pilâtum tamen id jussísse non dixit. ℟. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus: * Qui peccâtum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus, allelúia. ℣. Qui cùm maledicerêtur, non maledicêbat; cùm paterêtur, non comminabâtur. Qui peccâtum. Benedictio. Divînum auxílium.

Lectio viij.

ET mílites, inquit, plecténtes corônam de spinis imposuérunt cápiti ejus, & veste purpúrea circumdedérunt eum, & veniébant ad eum, & dicébant: Ave Rex Judæôrum, & dabant ei álapas. Sic implebántur quæ de se prædíxerat Christus: sic mártyres informabántur ad ómnia, quæ persecutóri libuísset fácere, perferénda; sic paulísper, occultâta treménda poténtia, commendabâtur prius imitánda patiéntia; sic regnum, quod de hoc mundo non erat, supérbum mundum non atrocitâte pugnándi, sed patiéndi humilitâte vincêbat: sic illud granum multiplicándum seminabâtur horríbili contumélia, ut mirábili pullulâret in glória.

℟. Mílites præsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtem; & exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei: * Et plecténtes corônam de spinis, posuérunt super caput ejus, allelúia. ℣. Genufléxo ante eum, illudébant ei, dicéntes: Ave Rex Judæôrum. Et plecténtes. Glória Patri. Et plecténtes.

Lectio ix.

EXiit ergo Jesus portans Corônam spíneam, & purpúreum vestiméntum: & dicit eis Pilâtus: Ecce homo. Hic appâret, non ignoránte Piláto hæc à milítibus facta, sive jússerit ea, sive permíserit, illa scílicet causa, quam suprà díximus, ut hæc ejus

Digitized by Google

ejus ludíbria inimíci libentíssimè bibérent, & ultérius sánguinem non sitírent. Egréditur ad eos Jesus portans spíneam corônam, & purpúreum vestiméntum, non clarus império, sed plenus oppróbrio, & dicit eis: Ecce homo. Si Regi invidêtis, jam párcite, quia dejéctum vidêtis. Flagellâtus est, spinis corônâtus, ludibriôsa veste amíctus est, amáris convíciis illûsus est, álapis cæsus est; fervet ignomínia, frigéscat invídia; sed non frigéscit, inardéscit pótius, & incréscit. Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Mílites præsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtem, allelúia. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Et exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei, allelúia. Aña. Et plecténtes corônam de spinis, posuérunt super caput ejus, & arúndinem in déxtera ejus, allelúia. Aña. Et genufléxo ante eum, illudébant ei, dicéntes: Ave Rex Judæôrum, allelúia. Aña. Et expuéntes in eum, accepérunt arúndinem, & percutiébant caput ejus, allelúia.

Capitulum. *Cant*. 3. *d*

Egredímini, & vidête fíliæ Sion regem Salomônem in diadémate, quo corônâvit illum mater sua, in die desponsatiônis illíus, & in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

Ætérno Regi glóriæ
Devôta laudum cántica
Fidêles solvant hódiè
Pro Corôna Domínica.

Corônat Regem ómnium
Corôna contuméliæ:
Cujus nobis oppróbrium
Corônam confert glóriæ.

De Spinârum acúleis
Christo Corôna pléctitur:
Qua minístris tartáreis
Mundi potéstas tóllitur.

Corôna Christi cápitis
Sacro perfûsa sánguine,
Pœnis solútis débitis,
Reos purgat à crímine.

Ut sis perénne méntibus
Paschâle Jesu gáudium;
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui à mórtuis
Surréxit, ac Paráclito
In sempitérna sécula.
Amen.

℣. Dóminus regnâvit decôrem índuit, allelúia. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se virtûte, allelúia.

Ad

Digitized by Google

Ad Benedictus,

Aña. Milites induunt Jesum púrpura, & impónunt ei plecténtes spíneam corônam, & cœpérunt salutâre eum: Ave Rex Judæôrum, allelúia.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus: ut qui in memóriam passiônis Dómini nostri Jesu Christi, Corônam ejus spíneam venerâmur in terris, ab ipso glória, & honôre coronári mereâmur in cœlis. Qui tecum vivit.

Ad Tertiam. Aña. Et exuéntes eum. Capitulum. Egredímini, ut suprà.

℟. brev. Tuam Corônam adorâmus Dómine, * Allelúia, allelúia. Tuam Corônam. ℣. Tuum gloriôsum recólimus triúmphum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Tuam Corônam. ℣. Glória & honôre coronásti eum Dómine, allelúia. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuârum, allelúia.

Ad Sextam, Aña. Et plecténtes Corônam.

Capitulum. *Apoc.* 6.

VEni, & vide; & ecce equus albus, & qui sedêbat super illum habêbat arcum, & data est ei corôna, & exivit vincens, ut vinceret.

℟. brev. Glória & honôre coronásti eum Dómine, * Allelúia, allelúia. Glória & honôre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuârum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Glória & honôre. ℣. Eris corôna glóriæ in manu Dómini, allelúia. ℟. Et diadêma regni in manu Dei tui, allelúia.

Ad Nonam, Aña. Et expuéntes in eum.

Capitulum. *Isaiæ* 28. *b*

IN die illa erit Dóminus exercítuum corôna glóriæ, & sertum exultatiônis resíduo pópuli sui.

℟. brev. Eris corôna glóriæ in manu Dómini, * Allelúia, allelúia. Eris Corôna. ℣. Et diadêma regni in manu Dei tui. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Eris Corôna. ℣. Dóminus regnâvit, decôrem índuit, alleluia. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se virtûte, allelúia.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

Ad Magnificat,

Aña. O Corônæ mirándā dígnitas! mortis pœnas débitas repéllis: tu spes lapsis, firmitas infirmis, tu restáuras corônas pérditas, allelúia, allelúia.

Deinde fit commem. sancti Joannis ante Portam Latinam.

Aña. In fervéntis ólei dólium missus beátus Joánnes Apóstolus, divína se protegénte grátia illæsus exîvit, allelúia. ℣. Sancti & justi in Dómino gaudête, allelúia ℟. Vos elêgit Deus in hæreditâtem sibi, allelúia.

Oratio.

DEus, qui cónspicis, quia nos úndique mala nostra pertúrbant: præsta quæsumus; ut beáti Joánnis Apóstoli tui & Evangelístæ intercéssio gloriôsa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

Si hoc festum celebretur extra Tempus Paschale, fit idem Officium; sed in Hymnis omissis duobus ultimis ℣℣. dicitur: Præsta Pater piíssime, &c. in fine Invitatorii, Antiphonarum, ℣℣. & ℟℟. omittitur Allelúia, & ad Matutinum dicuntur sequentes Añæ.

In primo Nocturno.

Maledícta terra in ópere tuo: spinas, & tríbulos germinábit tibi. Psalm. Beátus vir, qui non ábiit. Aña. Tuam Corônam spíneam venerâmur, Dómine, tuam gloriôsam recólimus passiônem. Psalm. Quare fremuérunt gentes. Aña. Erit Dóminus exercítuum corôna glóriæ, & sertum exultatiônis resíduo pópuli sui. Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt. ℣. Tuam Corônam adorâmus Dómine. ℟. Tuum gloriôsum recólimus triúmphum.

In secúndo Nocturno.

Aña. Pro fruménto ortus est mihi tríbulus, & pro hórdeo spina. Psalm. Cùm invocárem. Aña. Eris corôna glóriæ in manu Dómini, & diadêma regni in manu Dei tui. Psalm. Verba mea. Aña. Quómodò vínea mea convérsa es in amaritúdinem, ut me spinis coronâres? Psalm. Dómine Dóminus noster. ℣. Glória, & honôre coronásti eum Dómine ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuârum.

In tertio Nocturno.

Aña. Gravâta est super me manus tua: convérsus sum in ærúmna mea, dum configitur spina. Psalm. Cantâte Dómino. j. Aña. Corôna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glóriæ, & honôris. Psalm. Dóminus regnâvit, exultet terra. Aña. Per spíneum diadêma cóntulit nobis Christus corônam vitæ. Psalm. Cantâte Dómino. ij. ℣. Eris corôna glóriæ in manu Dómini. ℟. Et diadêma regni in manu Dei tui.

DIE XXI. MAII.

In festo sanctæ Mariæ de Subsidio virginis, Ordinis nos-

nostri. Duplex secundæ classis cum Octava.

Omnia ut in festo sanctæ Eulaliæ. 58. præter ea quæ hìc sequuntur.

Ad Magnificat,

Aña. Flagéllis, & caténa María corpus domâbat: siléntio, & abstinéntia ánimum custodiêbat: oratiónibus incessánter instâbat: docens Christi sponsas vas corruptíbile in sanctificatiône & honôre possidêre, allelúia.

Oratio.

DEus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos, pro nostra fragilitâte non posse subsístere: concêde propítius; ut intercedénte beâta María fámula tua de præséntis vitæ flúctibus edúcti, ad ætérnæ salûtis portum pervenîre valeâmus. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Hymnus.

VÍrginis Proles, Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, pepe-rítque virgo;
Vírginis festum cánimus beátæ,
Accipe votum.

Hujus orâtu Deus alme nobis
Débitas pœnas scélerum remítte;
Ut tibi puro resonêmus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In primo Nocturno, Lectiones: De virgínibus. 59.

℟. Veni elécta mea, & ponam in te thronum meum: * Qui concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua, & pulchritúdine tua, inténde, próspere procêde, & regna. Quia.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MAría nóbili família de Cervelliône, Barchinónæ in Hispánia nata, & à paréntibus in Dei timôre primis ab annis enutríta, virginitâtem suam, cùm decem & octo esset annôrum, illi devôvit. Ejus vivéndi rátio erat, in públicum ráriùs prodíre, ægrotántibus doméstícis sédulò adésse, & in nosocómio ter in hebdómada paupéribus ministrâre. Annum trigésimum agens, defúncto patre, hábitum Ordinis sanctæ Maríæ de Mercêde, prima ex fœminis suscípiens, sanctimoniálibus ejúsdem Ordinis ducem, magístram, & exémplar se præbuit: ac distribúto patrimó-

nio in redemptiônem captivôrum, professiônem in eôdem Ordine, unà cum voto de laborándo pro rediméndis captívis emisit.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

MAtre è vivis subláta, cum áliquot honéstis fœminis ejúsdem institúti piam sanctámque vitam perêgit: sólita quotídiè mulíerum à suis frátribus redemptârum, ac Barcinônem adveniéntium pedes in hospitáli domo lavâre; quínquies in hebdómada sacra Eucharístia réfici; terque jejunâre solo pane & aqua conténta: quotidiánis flagéllis ínsuper, & férrea caténa corpus suum affligens. Siléntium, quod mira observántia colêbat, inánibus, verbis numquam infrêgit; ac párciùs indúlgens somno, expetêbat ab ejúsmodi necessitâte liberári, ut illo solo fruerêtur incessánter, quo jucundántur cœli, & ángeli lætántur. Quod diúrni témporis supérerat ab oratiône, & pietâtis exercítiis, in páuperes juvándos impendêbat; nullum officii genus prætermíttens, quo afflíctos consolarêtur, oppréssos liberâret, & vinctos edúceret de carcéribus.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

FUtúras maris tempestátes prænuntiâbat, illásque sæpè suis oratiónibus sedâvit: visa aliquóties super undas incédere, quo fratres captivôrum redemptóres, aliósque in mari periclitántes servâret incólumes; unde ei Maríæ de subsídio, vulgò de Socós, nomen est inditum. Dénique post multa virtûtum insígnia, Barcinónæ migrávit ad Dóminum décimo tértio Kaléndas Octóbris, anno salûtis millésimo ducéntesimo nonagésimo. Ejus corpus, ex quo suavíssimus odor manâbat sepúltum est in ecclésia fratrum Ordinis sui, quod nonagésimo post anno, Epíscopo Barcinonénsi, Petro Aragóniæ rege, cæterísque aulæ, & civitâtis primátibus adstántibus, solémni pompa elevâtum, incorrúptum repértum fuit, ac decentióri loco, ubi religiósè cólitur, asservâtum.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papæ in Evangelium. Símile erit regnum cœlôrum decem virginibus. 63.

Ad Benedictus,

Aña. Adducéntur in lætítia, & exultatiône Regi Dómino vírgines post Maríam, ut in sanc-

Digitized by Google

sanctitáte & justítia sérviant illi, & quocúmque ierit, ipsum Agnum sequántur, allelúia.

In secundis Vesperis ad Magnificat, Aña. Mare & venti Maríæ obédiunt, angélici candôris virtûte pollénti: aquæ multæ cessérunt ardóri charitâtis ejus, allelúia. Oratio. Deus, qui nos cónspicis, ut suprà in primis Vesper.

Infra Octavam omnia dicuntur, sicut in die festo, præter Lectiones, quæ in primo Nocturno leguntur de Scriptura occurrente: in aliis Nocturnis prout infra assignantur, tam pro tota Octava, quàm pro Officio semiduplici, per annum semel in mense recitando.

DIE XXII. MAII.

Secunda die infra Octavam sanctæ Mariæ de Subsidio, virginis.

Pro ménsibus Januárii, & Februárii.

In secundo, & tertio Nocturno, ut in secunda die infra Octav. sanctæ Eulaliæ virg. & martyr. 66.

In Hispania, Vesperæ de Apparitione sancti Jacobi Apost. cum comm. Octav.

DIE XXIII. MAII.

Tertia die infra Octav. sanctæ Mariæ de Subsidio.

Pro ménsibus Mártii, & Aprílis.

In secundo, & tertio Nocturno, ut in tertia die infra Octav. sanctæ Eulaliæ. 68.

In Hispania fit de Apparitione sancti Jacobi Apost. Duplex, ut in proprio Ss. Hispaniæ, cum commemorat. Octavæ in Laudibus.

In secundis Vesper. fit commemor. Octavæ.

DIE XXIV. MAII.

Quarta die infra Octavam sanctæ Mariæ de Subsidio.

Pro ménsibus Maii, & Júnii.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

In Natali sanctæ Agnetis.

Lectio iv.

CUm in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, & sceptrígeram pudôris aulam immaculáto consérvet afféctu; eoúsque intégritas perseverâvit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitâtis arríperet, & per vestígia matris vírginis ad cœléstem thálamum pervenîret. O quàm imitábile virgínibus, virgo María de subsídio, tui amôris tradidísti exémplum! O quàm sanctum pectóribus dandum virgíneis tribuísti respónsum, contemnéndo mundi divítias, execrándo car-

carnis concupiscéntias, & solam Christi pulchritúdinem adamándo! Accédite ad puéllam puéllæ, & díscite, quales in péctore suo circa amôrem Christi flammas accéndit. Díscite vírgines Christi amôrem in ea fervéntem, & omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

IDeò enim sanctôrum per lítteras tradúntur exémpla, ût unusquísque pro qualitâte sexus, modum sui propósiti téneat; & sicut per vírginem vírgines, ita per cónjugem cónjuges víncere séculum pro Christi amôre stúdeant; ac repugnatiône ánimi, mundi dúlcia recusántes austêra, ad delectatiónes perpétuas, & ad gáudia ætérna pertíngant. Hæc dicéntes, non vituperâmus cónjugum casta commércia, sed vírginum perseverántiam adornâmus. Non enim virgínitas malis rebus superponénda est, sed est rebus óptimis præferénda. Quæ enim mundis múndior, & sanctis est sanctior, non índiget malárum rerum vituperatiône laudári.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lectio vj.

VEni jam virgo ad thálamum, quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculâta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corônam in cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia Maríæ prosequénti participátio ætérnæ remunerationis appáruit; ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, ò spléndida Christo Dei Fílio, & ómnibus ángelis atque Archángelis grata, ut nostri meminísse dignêris, quibus póssumus précibus exorâmus: ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuôrum ómnium labôrum trádidit palmam.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

Ho-

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 79. in Matth. post initium.

QUam ob causam in persóna vírginum hanc parábolam profert, nec qualemcúmque persônam sine discrímine súbjicit? Magna quædam de virginitâte disserúerat, dicens: Sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cœlôrum; &, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorâbat, de virginitâte magnam esse vulgò existimatiônem, quippe cùm sit ea res natûra sublímis: quod inde patet, quia neque in véteri testaménto à priscis illis sanctísque viris culta fuit, & in novo nulla legis necessitâte jubêtur: non enim id imperâvit, sed fidélium voluntáti permísit. Unde & Paulus ait: De vírginibus autem præcéptum Dómini non hábeo: & laudo quidem eum, qui hoc sectâtur institûtum; noléntem autem non cogo, neque eam rem præcéptum fácio.

℟. Hæc est virgo sápiens. 63.

Lectio viij.

QUóniam ígitur & magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimátio; ne quis ea perfécta, se totum perfecísse putâret, ac cætera negligeret, hanc parábolam pósuit, ut osténderet, virginitâtem, quamvis cætera hábeat, si misericórdiæ bonis carúerit, cum fornicatóribus éjici. Ac méritò quidem inhumânum, ac misericórdia caréntem cum illis cóllocat. Fornicâtor enim córporum, istæ verò pecuniârum cupiditâte vincúntur. Non est autem córporum & pecúniæ par cupíditas: sed ácrior multò atque veheméntior illa córporum est. Quantò ígitur cum imbecilliôre luctántur, tantò minùs vénia dignæ sunt, si vincántur. Idcírco étiam fátuas appellâvit, quóniam majóri certámine superáto, in faciliôre totum perdidérunt.

℟. Média nocte. 64.

Lectio ix.

LÁmpades autem hoc loco illud ipsum virginitâtis donum appéllat, & sanctimóniæ puritâtem; óleum vero benignitâtem, eleëmosynam, impénsum indigéntibus auxílium. Tardánte autem sponso, dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Non parvum témporis rursum spátium interjéctum osténdit, ut discípulos regnum ipsius mox futûrum expectántes, ab ea opiniône dedúceret; id enim illi sperábant: quaprópter cre-

Digitized by Google

crebro ab hujúsmodi eos spe révocat. Ad hoc illud quoque índicat, somnum quemdam esse mortem. Dormiérunt, inquit; média autem nocte clamor factus est, vel, ut in eádem parábola persístat: vel rursùs osténdit, nocte futûram esse resurrectiônem. Clamôrem étiam Paulus comménorat, dicens: In jussu, in voce Archángeli, in novíssima tuba descéndet de cœlo.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem. Octavæ.

In Hispania fit de S. Joanne Francisco Regis sub die xvj. Junii infra 155. ut in die propr. perpet. assignata à Benedicto PP. XIV. Licet in aliq. Brev. rep. xxiv. Maii.

Vesperæ de S. Gregorio Septimo Papa, & Confessor. cum commemor. Octavæ, & S. Urbani Papæ, & martyris.

DIE XXV. MAII.

Quinta die infra Octav. sanctæ Mariæ de Subsidio.

Pro ménsib. Július, & Augústi.

In secundo, & tertio Nocturno, ut in quinta die infra Octav. S. Eulaliæ. 73.

Fit de S. Gregorio Septimo Papa, & Conf. cum comm. Octavæ, & S. Urbani Pap. & mart. in Laud. & de eo legitur ad Matut. nona Lectio.

In secundis Vesper. à Capitulo fit de sancto Philippo Nerio, cum commem. sancti Gregorii, & Octav. ac sancti Eleutherii Papæ, & mart.

DIE XXVI. MAII.

Sexta die infra Octav. sanctæ Mariæ de Subsidio.

Pro ménsibus Septémbris, & Octóbris.

In secundo, & tertio Nocturno, ut in sexta die infra Octavam S. Eulaliæ. 76.

Fit de S. Philippo Nerio Confes. cum commem. Octavæ, & S. Eleuther. in Laudibus, & ad Matutin. dicitur de eo nona Lectio.

In secundis Vesp. fit commem. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Octavæ, ac S. Joannis Papæ & martyr.

DIE XXVII. MAII.

Septima die infra Octavam S. Mariæ de Subsidio.

Pro ménsibus Novémbris, & Decémbris.

In secundo, & tertio Nocturno, ut in septima die infra Octavam S. Eulaliæ. 78.

Fit de S. Maria Magdalena de Pazzis virg. Semidup. & in Laudib. fit commem. Octavæ, cum ℣. Spécie tua, & S. Joannis Papæ, & martyr. & de eo legitur ad Matutin. nona Lect. quæ fit ex duabus.

Vesperæ de Octava S. Mariæ de Subsidio, ut in primis Ves-

Vesper. festi, cum commemorat. S. Mariæ Magdal. de Pazzis.

DIE XXVIII. MAII.

In Octava sanctæ Mariæ de Subsidio. Duplex.

Omnia dicuntur sicut in die, præter Lectiones primi Nocturni, quæ leguntur de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Epístola sancti Hierónymi Presbyteri ad Eustóchium.

De Custod. virginit. tom. 1. *cap.* 8. *circa med.*

Lectio iv.

DE virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia & ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntâtis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxôrem habuísse confingunt, cùm de continéntia dísserens, & suádens perpétuam castitâtem, intúlerit: volo autem omnes esse sicut meípsum. Et infra: Dico autem innúptis, & víduis: bonum est illis, si sic permáneant, sicut & ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitâte præcéptum? quia majôris est mercêdis, quod non cógitur, & offértur: quia si fuísset virgínitas imperâta, núptiæ videbántur ablátæ: & duríssimum erat contra natûram cógere, angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Propter veritâtem. 62.

Lectio v.

ALia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus qui habet semen in Sion, & domésticos in Jerúsalem: &, Maledícta stérilis quæ non pariêbat: &, Fílii tui sicut novéllæ olivârum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, & ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberôrum. Proptéreà & Abraham jam senex Cetúræ copulâtur, & Jacob mandrágoris redímitur, & conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulâtim verò increscénte ségete, messor immíssus est. Vírgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii Prophetârum. Jeremíæ dícitur; Et tu ne accípias uxôrem. Sanctificâtus in útero, captivitâte propínqua, uxôrem prohibêtur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse, propter instántem necessitâtem. Quæ est ista necéssitas, quæ aufert gáudia nuptiârum? Tempus breviâtum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti justítiam. 62.

Lec-

Lectio vj.

INveniebâtur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, & in dolóribus júgiter Heva parturiêbat. Postquam verò virgo concêpit in útero, & péperit nobis púerum, cujus principâtus in húmeros ejus, Deum, fortem, patrem futûri séculi; solûta maledíctio est. Mors per Evam, vita per Maríam. Ideôque, & cítius virginitâtis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina. Statim ut filius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit; ut, qui ab ángelis adorabâtur in cœlo, habêret ángelos & in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputâvit; tunc Aman, qui interpretâtur iníquitas, suo combústus est igne. Tunc primùm audîtum est: Quæ non est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore & spíritu.

℟. Afferéntur Regi. 63.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, & sponsæ. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi. *Unde sup. c.* 8.

INténdat ítaque cháritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitâte, de interiôre glória, de íntima charitâte. Ardébant tamen & illârum fatuârum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hóminum. Pósteà verò quàm surrexérunt, id est, in resurrectiône à mórtuis, cœpérunt aptâre lámpades suas, id est, parâre Deo óperum suôrum réddere ratiônem. Et quia tunc nemo est, qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Hæc est virgo sápiens. 63.

Lectio viij.

CLáusum est óstium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est, non novi vos? Ímprobo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum, & nescit vítia, & júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes.

Digitized by Google

tes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, & quando nescimus véniet. Sic clausit Evangélium : Vigiláte, quia nescítis diem, neque horam.

℟. Média nocte. 64.

Lectio ix.

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, charitáte vígila, opéribus vígila : & quando córpore dormíeris, véniet tempus, ut surgas. Cùm autem surréxeris, præpara lámpades. Tunc non extinguántur, tunc in interióre consciéntiæ óleo vegeténtur : tunc sponsus ille incorpóreis néxibus amplectátur, tunc te introdúcat in domum, ubi numquam dórmies, ubi numquam possit tua lampas extíngui. Hódie verò laborámus, & lámpades nostræ inter ventos séculi hujus, tentationésque flúctuant : sed árdeat in rubóre flamma nostra, ut ventus tentatiónis áugeat ignem pótiùs, quàm extínguat.

Te Deum laudámus 28.

FESTA JUNII.

DIE XVI. JÚNII.

In festo S. Joannis Francisci Regis Confess. Semidupl.

Omnia ut in Códice Ss. Hisp.

DIE XXII. JÚNII.

In festo sancti Paulini Episc. & Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pontificis. Oratio. Da, quæsumus omnípotens Deus, ut in Breviario.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno duæ Lectiones propriæ, ut in Breviar. Lectio sexta, Sermo sancti Maximi Episcopi : Beáti Paulíni mérita, de eodem Communi, secundo loco.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium : Nolite timére, de Communi Confessoris non Pontificis.

FESTA JULII.

DIE II. JÚLII.

In festo Visitationis B. M. V. Duplex secundæ classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario; sed in primis Vesperis fit tantum commemor. Octavæ S. Joannis Baptistæ.

In Laudibus fit commem. tantum Ss. Processi & Martiniani martyrum, de quibus etiam nona Lectio ad Matut.

In secundis Vesperis commemor. Octavæ Ss. Apostolorum Petri, & Pauli.

DIE III. JÚLII.

Ab hac die usque ad diem sextam inclusive fit de Octa-

va

va Ss. Apostolorum Petri, & Pauli, ut in Breviario, cum comm. Oct. Visitationis B. M.

Die vero sexta post Vesp. diei dicuntur Vesper. Defunctorum pro Anniversario sequenti. Duplex: & in Precibus dicitur Psalm. Lauda anima mea Dominum.

In Hispania in Vesperis à Capitulo fit de S. Firmino Episcopo, & martyre, cum commem. Octavæ Apostolorum, & Visitationis. Anniversarium transfert. ad diem nonam, & decimam sequent.

DIE VII. JULII.

Sexta die infra Octavam Visitationis beatæ Mariæ.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Homilia contra Nestorium.

Lectio iv.

Hilarem vídeo cœtum sanctórum ómnium, qui convenérunt promptis ánimis à sancta & Dei matre María semper vírgine convocáti. Laus & glória sit tibi sancta Trínitas, quæ omnes nos ad hanc celebritátem convocásti. Sit étiam tibi sancta Dei mater laus. Tu enim es pretiósa margaríta orbis terrárum: tu lampas inextinguíbilis, coróna virginitátis, sceptrum orthodóxæ fidei, templum indissolúbile, cóntinens eum, qui nusquam continéri potest; mater & virgo, per quam benedíctus qui venit in nómine Dómini, in sanctis Evangéliis nominátur.

℟. Ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: * Símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. ℣. Exultávit ut gigas ad curréndam viam, à summo cœlo egréssio ejus. Símilis est.

Lectio v.

Per te Trínitas sanctificátur, per te crux pretiósa celebrátur, & adorátur in toto orbe terrárum. Per te exúltat cœlum, lætántur ángeli & Archángeli, fugántur dæmones, & homo ipse ad cœlum revocátur. Per te omnis creatúra idolórum erróre detenta, convérsa est ad agnitiónem veritátis, & fidéles hómines ad sanctum baptísma pervenérunt, atque in toto orbe terrárum constrúctæ sunt ecclésiæ.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula, plácui Altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum & hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes; quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et de meis.

Lec-

Digitized by Google

Lectio vj.

TE adjutrice gentes véniunt ad pœniténtiam. Quid plura? Per te Unigénitus Dei Filius, vera illa lux effúlsit sedéntibus in ténebris & umbra mortis. Per te prophétæ prænuntiárunt, per te Apóstoli salûtem géntibus prædicárunt. Quisnam póterit tuârum laudum præcónia explicâre, Maria mater & virgo? Hanc, fratres dilectíssimi, celebrêmus, ejus Filium Ecclésiæ sponsum immaculâtum adorántes: cui honor & glória in sécula seculôrum. Amen.

℟. Beâta quæ credidísti, quóniam perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi à Dómino: Et ait Maria: * Magníficat ánima mea Dóminum. ℣. Venite & audite, & narrâbo quanta fecit Deus ánimæ meæ. Magníficat. Glória Patri. Magníficat.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 1. *d*

IN illo témpore: Exúrgens Maria, ábiit in montâna cum festinatiône in civitâtem Juda: Et intrâvit in domum Zacharíæ, & salutâvit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Ex Comment. in Luc. l. 1. *c.* 3.

NOtándum, quanta Elísabeth ánimum grátia, Maria intránte ditâvit, quem simul de prætérito, præsénti, atque futúro, per prophetíæ spíritum illustrâvit. Dicens enim, Beâta quæ credidísti; apértè índicat, quia verba ángeli, quæ dicta ad Mariam fúerant, per spíritum agnôvit. Atque subjúngens: Perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino; quæ étiam eam in futúro sequeréntur, prævidit. Matrem verò Dómini sui nóminans, quia redemptôrem humáni géneris in útero portâret, intelléxit.

℟. Beâtam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Benedictio. Cujus festum cólimus, ipsa virgo vírginum.

Ex Homilia ejusdem.

Lectio viij.

ET quia per temeritâtem sedúctæ mulíeris mors in mundum introíërat, cóngruum fúerat ut in indícium vitæ reverténtis mulíeres se devótæ humilitâtis ínvicem ac pietâtis prævenírent obséquiis.

Digitized by Google

quiis. Prior ergo nobis beáta Dei génitrix ad sublimitátem pátriæ cœléstis iter osténdit humilitátis, non minus religiônis, quàm castitâtis exémplo venerábilis. Síquidem glória virgínei & intemeráti córporis qualis sit, vita supérnæ civitâtis, ad quam suspirâmus, insínuat. Quis enim nésciat, vírginem Deo consecrâtam, mulíere Deo dédita gradum habêre potiôrem? Quis dúbitet, matrem Regis ætérni juri matri mílitis præferéndam?

℟. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam Visitatiônem. Quia. Glória Patri. Christus.

Lectio ix.

INtrat ergo domum Zacharíæ, atque Elísabeth: quam servum ac præcursôrem Dómini paritûram nóverat, salûtat: non quasi dúbia de oráculo, quod accéperat, sed ut congratulatûra de dono, quod consérvam accepísse didícerat: non ut verbum ángeli mulíeris attestatiône probâret, sed ut mulíeri provéctæ ætâtis virgo juvéncula ministérium sédula impénderet. Aperiénte os ad salutándum beâta María, replêta est mox Spíritu sancto Elísabeth, replêtus est & Joánnes. Aderat namque tempus, quo implerêtur ángeli sermo, quem díxerat: Quia Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ.

Te Deum laudâmus. 28.

Post Laudes dicitur Officium Defunctorum, Duplex, pro Anniversario Sepultorum in nostris Ecclesiis, cum Psal. De profúndis, ad Laudes.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de S. Elisabeth Regina Portugalliæ, cum commemor. Octavæ.

In Hispania fit de S. Firmino Episc. & mart. ut in proprio Ss. Hispaniæ cum commemor. Octavæ.

Vesperæ de S. Elisabeth Regina Portugalliæ, cum commemor. S. Firmini, tantum.

DIE VIII. JÚLII.

Septima die infra Octavam Visitationis beatæ Mariæ, fit de S. Elisabeth Regina Portugalliæ, Semid. ut in Brev. cum commemor. Octavæ.

Vesperæ de die Octava Visitationis beatæ Mariæ, ut in primis Vesperis festi, cum commemor. S. Elisabeth.

In

Digitized by Google

In Hispania fit de S. Elisabeth, Duplex secundæ classis cum Octava, ut in Breviar. sine commem. Octavæ in Laudibus.

In secundis Vesperis fit commemor. de die Octava Visitationis beatæ Mariæ, ut in primis Vesper. festi.

In regnis vero Aragoniæ, & Portugalliæ, ubi S. Elisabeth celebratur die iv. Julii, fit hodie de septima die infra Octavam Visitationis beatæ Mariæ virginis.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Lectiones: De Epistola sancti Ambrosii Episcopi ad Siricium Papam. **De via perversitátis**, ut infra, die septima infra Octavam Apparitionis B. Mariæ virgin. de Mercede.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 1. *d*

IN illo témpore: Exúrgens María, ábiit in montâna cum festinatiône in civitâtem Juda: Et intrâvit in domum Zacharíæ, & salutâvit Elísabeth. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

VErum audiâmus verba, quæ Virgo dixit, si forte ex his valeâmus aliquántulum dignóscere, quid intus habúerit. Audíta ergo responsiône Elísabeth, quæ eam beâtam inter mulíeres prædicâvit, matrem Dómini sui cognominâvit, fide fortem laudâvit, ad cujus ingréssum seípsam cum filio Spíritu sancto replêtam esse signâvit; non ámplius tacêre pótuit dona, quæ percéperat, sed quæ semper ánimo gerêbat, ubi aptum tempus invénit, étiam devôta oris professiône patefécit.

℟. Beâtam me dicent. 157.

Lectio viij.

NAmque, ut virginâlem decébat pudôrem, accéptum divínitùs oráculum aliquámdiu siléntio tegêbat, arcânum mystérii cœléstis in sui péctoris ábdito venerabâtur occúltum, expectâbat reverénter, donec ipse donôrum distribûtor, quid sibi doni speciâlis tribuísset, quid secréti revelásset, quandocúmque vellet osténdere. At postquam éadem, quæ sibi erant charísmata præstita per álios spíritu reveIánte esse patefácta cernêbat, mox ipsa étiam thesáurum cœli, quem in corde servâbat, apéruit. Ait ergo: Magníficat ánima mea Dóminum. Et exultâvit spíritus meus in Deo salutári meo.

℟.

Digitized by Google

℟. Felix namque. 158.

Lectio ix.

QUibus proféсto verbis primò dona sibi speciáliter concéssa confitêtur; deínde generália Dei beneficia, quibus géneri humáno in ætérnum consúlere non desístit, enúmerat; quæ cùm ómnibus perféctis verba rectè convéniant, máximè tamen ea beâtam Dei genitrícem proférre decêbat, quæ mériti privilégio singuláris spirituáli ipsíus dilectióne flagrâbat, cujus corporáli conceptióne gaudêbat. Quæ sequéntibus quoque verbis, quàm vília de se ipsa sénserit, docet; & quod omne, quidquid boni mériti hábuit, hoc supérna grátia largiénte percéperit, dicens: Quia respéxit humilitâtem ancíllæ suæ.

Te Deum laudâmus. 28.

Vesperæ de die octavo, ut in primis Vesperis festi. Duplex.

DIE IX. JÚLII.

Octava Visitationis B. Mariæ virginis. Duplex.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Lectiones de Expositione sancti Gregorii Papæ in libros Regum. Fuit vir unus, ut in die Octava Purificationis beatæ Mariæ virginis. 54.

Responsoria, ut supra. 156.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 1. *d.*

IN illo témpore: Exúrgens María, ábiit in montâna cum festinatiône, in civitâtem Juda: Et intrâvit in domum Zacharíæ, & salutâvit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbâtis.

De Verb. Apoc. cap. 12. *circa finem.*

MIrabâtur Elísabeth persônam veniéntis, dicens: Unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Commendâbat & vocem salutántis, adjíciens: Ut facta est vox salutatiônis tuæ in áuribus meis, exultâvit in gáudio infans in útero meo. Et beatificâbat fidem credéntis: Beâta, ínquiens, quæ credidísti. Magna quidem præcónia, sed & devôta humílitas nihil sibi passa retinêre, in eum magis univérsa refûdit, cujus in se beneficia laudabántur.

℟. Beâtam me dicent. 157.

Lectio viij.

TU, inquit, magníficas matrem Dómini: sed magníficat ánima mea Dóminum. In voce mea filium pérhibes exultásse in gáudio, sed

sed exultâvit spíritus meus in Deo salutári meo, & ipse quoque tamquam amícus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beâtam esse dicis, quæ crédidi: sed credulitâtis & beatitúdinis causa, respéctus est supérnæ pietâtis; ut ex hoc magis beâtam me dicant omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem & exíguam respéxit Deus.

℟. Felix namque. 158.

Lectio ix.

VErúmtamen numquid putâmus, fratres, Elísabeth sanctam in eo, quod per spíritum útique loquebâtur, errásse? Absit. Beâta planè quam respéxit Deus, & beâta quæ crédidit. Hic enim magnus divínæ respectiônis éxtitit fructus. Ineffábili síquidem artificio Spíritus supervéniens, tantæ humilitâti magnanímitas tanta in secretário virgínei cordis accéssit, ut quòd vidélicet nec humílitas tanta mínuit magnanimitâtem, nec magnanímitas tanta humilitâtem. Sed cùm in sua æstimatiône tam húmilis esset, nihilóminus & in promissiônis credulitâte magnánimis: ut, quæ nihil áliud quàm exíguam sese reputâret ancíllam, ad inscrutábile sacraméntum nullátenùs se dubitâret eléctam, & veram Dei & hóminis genitrícem créderet mox futûram. Te Deum laudâmus. 28.

In secundis Vesperis, ut in Breviario; cum commemor. Ss. Septem Fratrum, ac Rufinæ, & Secundæ martyrum.

DIE XVI. JÚLII.

In festo Triumphi S. Crucis. Duplex majus, in Ord. nostro.

Omnia, ut in Breviario in proprio Ss. Hispaniæ.

DIE XVIII. JÚLII.

In festo sanctæ Marinæ virg. & mart. Duplex.

Omnia de Communi Virg. Oratio. Indulgéntiam.

In primis Vesperis comm. S. Alexii Confess. & Ss. Symphorosæ, & filiorum martyr.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Sermo sancti Ambrosii Episcopi, Quóniam hódiè natâlis est vírginis.

In tertio Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evangel. Símile erit regnum cœlôrum decem virgínibus, de eodem Communi.

Nona Lectio ex duabus Ss. martyrum, & de eis commemor. in Laudibus.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de S. Vincentio à Paulo Conf. cum commem. S. Marinæ.

Digitized by Google

In Hispania, à Capitulo fit de Ss. Justa, & Rufina virginib. & martyrib. cum commemor. S. Marinæ.

DIE XXIV. JULII.

In Vigilia S. Jacobi Apostoli, Hispaniarum Patroni.

Omnia ut in proprio Ss. Hispaniæ.

DIE XXV. JULII.

In festo S. Jacobi Apostoli, Hispaniarum Patroni.

Duplex primæ classis, cum Octava in Ordine nostro.

Omnia, ut in proprio Ss. Hispaniæ.

FESTA AUGUSTI.

DOMINICA PROXIMIORI Kalend. Augusti.

In festo sanctissimi Domini nostri Jesu Christi Redemptoris, & commemoratione Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede.

Duplex secundæ classis.

Ad Vesperas, Antiphona.

V Irgam virtûtis tuæ emíttet Dóminus ex Sion, & regnâvit in séculum séculi. Psalm. D **ixit Dóminus. 13.** Aña. **Redemptiônem misit Dóminus pópulo suo: mandâvit in ætérnum testaméntum suum.** Psal. C **onfitêbor. 13.** Aña. **Misericórdia mea, & refúgium meum Dóminus: suscéptor meus, & liberâtor meus.** Psalm. C **rédidi propter. 133.** Aña. **Apud Dóminum misericórdia; & copiôsa apud eum redémptio.** Psalm. D **e profúndis.** Aña. **In quacúmque die invocávero tè, exáudies me: multiplicâbis in ánima mea virtûtem.** Psalm. C **onfitêbor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti. 105.**

Capitulum. *Tobiæ* 3. *c*

B Enedíctum nomen tuum Deus patrum nostrôrum; qui cum irâtus fúeris, misericórdiam fácies, & in témpore tribulatiônis peccâta dimíttis his, qui ínvocant te.

Hymnus.

C Reâtor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Jesu Redémptor ómnium
Inténde votis súpplicum.

Q ui dæmonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amôris actus, lánguidi
Mundi medêla factus es.

C ommûne, qui mundi nefas,
Ut expiáres ad crucem
E vírginis sacrário
Intácta prodis víctima.

C ujus potéstas glóriæ,
Noménque cùm primùm sonat,
Et cœlites, & ínferi
Treménte curvántur genu.

T e deprecâmur últimæ
Magnum diéi Júdicem,
Armis supérnæ grátiæ

De-

Digitized by Google

Defénde nos ab hóstibus.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sécula.
Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.

℣. Redemísti nos Dómine in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnificat.

Aña. Salus autem mea in sempitérnum erit, & justítia mea in generatiónes generatiônum, allelúia.

Oratio.

DEus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptôrem constituísti, & per eum devícta morte nos misericórditer ad vitam reparásti: concêde, ut hæc beneficia recoléntes, tibi perpétua charitâte adhærêre, & ejúsdem redemptiônis fructum percípere mereâmur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro commemoratione Apparitionis beatissimæ virginis, Aña. Laudâte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se: & in me ancílla sua adimplêvit misericórdiam, quam promísit dómui Israël, allelúia. ℣. A Dómino factum est istud. ℟. Et est mirábile in óculis nostris.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui per tuam gloriosíssimam matrem ad exímiam charitâtis tuæ imitatiônem nos vocâre dignâtus es; ádjuva nos auxíliis grátiæ tuæ, ut magnam institutrícem nostram præséntis vitæ actiónibus prædicántes, quod te operánte, voluntâte promísimus, ópere compleâmus. Qui vivis, & regnas.

Deinde fit commemoratio Dominicæ primæ Augusti. Aña. Sapiéntia ædificâvit sibi domum, excídit colúmnas septem, súbdidit sibi gentes superbôrum, & sublímium colla própria virtûte calcâvit. ℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Oratio Dominicæ occurr.

Ad Matutinum, Invitatorium. Redemptôrem seculôrum, ipsum Regem Angelôrum: * Adorêmus Dóminum. Psalm. Venite, exultêmus. 16.

Hymnus.

RErum Creâtor óptime,
Rectórque noster, áspice:
Nos à quiête nóxia
Mersos sopôre líbera.
Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus;
Ad confiténdum súrgimus,

Digitized by Google

Moráſque noctis rúmpimus.
Mentes, manúſque tóllimus
prophêta ſicut nóctibus
Nobis geréndum præcipit,
Paulúſque geſtis cénſuit.
Vides malum, quod fécimus:
Occúlta noſtra pándimus:
Preces geméntes fúndimus,
Dimítte quod peccávimus.
Jeſu, tibi ſit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſécula.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Voce mea ad Dóminum clamávi, & exaudívit me de monte ſancto ſuo. Pſalm. Dómine, quid multiplicáti, 19. Aña. Dómine Dóminus noſter, quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra! Pſalmus verò Dómine Dóminus noſter incipitur à ſecundo Verſu, Quóniam eleváta eſt. 22. Aña Dóminus in templo ſancto ſuo: Dóminus in cœlo ſedes ejus. Pſalmus. In Dómino confido. 93. ℣. Rédime me Dómine & miserére mei. ℟. In eccléſiis benedícam te Dómine.

De Iſaía prophéta.

Lectio j. *Cap.* 51.

AUdíte me qui ſequímini quod juſtum eſt, & quæritis Dóminum: atténdite ad petram unde excíſi eſtis, & ad cavérnam laci, de qua præcíſi eſtis. Conſolábitur ergo Dóminus Sion, & conſolábitur omnes ruínas ejus: & ponet deſértum ejus quaſi delícias, & ſolitúdinem ejus quaſi hortum Dómini. Gáudium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, & vox laudis. Atténdite ad me pópule meus, & tribus mea me audíte: quia lex à me éxiet, & judícium meum in lucem populórum requiéſcet. Propè eſt juſtus meus, egréſſus eſt Salvátor meus: & bráchia mea pópulos judicábunt: me ínſulæ expectábunt, & bráchium meum ſuſtinébunt.

℟. Vidi Dóminum ſedéntem ſuper ſólium excélſum, & elevátum: & plena erat omnis terra majeſtáte ejus; * Et ea quæ ſub ipſo erant, replébant templum. ℣. Séraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ álteri. Et ea quæ ſub ipſo erant.

Lectio ij.

LEváte in cœlum óculos veſtros, & vidéte ſub terra deórſum; quia cœli ſicut fumus liquéſcent, & terra ſicut veſtiméntum atterétur; & habitatóres ejus ſicut hæc interíbunt; ſalus autem mea in ſempitérnum erit, & juſtítia mea non deficiet. Audíte me qui ſcitis juſtum, pópulus

Digitized by Google

lus meus lex mea in corde eôrum: nolíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eôrum ne metuâtis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis; & sicut lanam, sic devorâbit eos tínea: salus autem mea in sempitérnum erit, & justítia mea in generatiónes generatiônum.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, & cógita de nobis: inclína Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi óculos tuos, & vide tribulatiônem nostram. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedûcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini: consúrge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus seculôrum. Numquid non tu percussísti supérbum, vulnerásti dracônem? Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi veheméntis: qui posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberáti? Et nunc qui redémpti sunt à Dómino, reverténtur, & vénient in Sion laudântes, & lætítia sempitérna super cápita eôrum, gáudium, & lætítiam tenébunt, fúgiet dolor, & gémitus. Ego, ego ipse consolâbor vos: quis tu, ut timéres ab hómine mortáli, & à filio hóminis, qui quasi fœnum ita aréscet? Et oblítus es Dómini factôris tui, qui teténdit cœlos, & fundâvit terram, & formidásti júgiter tota die à fácie furôris ejus, qui te tribulâbat, & paráverat ad perdéndum: ubi nunc est furor tribulántis? Citò véniet grádiens ad aperiéndum, & non interficiet usque ad interneciônem, nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dóminus Deus tuus.

℟. Deus, qui sedes super thronum, & júdicas æquitâtem, esto refúgium páuperum in tribulatiône: * Quia tu solus labôrem, & dolôrem consíderas. ℣. Tibi enim derelíctus est pauper, pupíllo tu eris adjûtor. Quia. Glória Patri. Quia tu.

In secundo Nocturno.

Aña. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Psalmus 10.

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiônis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * & de Sion tueâtur te.

Memor sit omnis sacrificii tui, * & holocáustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secúndùm cor tuum:

Digitized by Google

tuum: * & omne conſilium tuum confirmet.

Lætábimur in ſalutári tuo: * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt: * nos autem ſurréximus, & eréčti ſumus.

Dómine ſalvum fac regem: * & exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Aña. Suſcépimus Deus miſericórdiam tuam in médio templi tui.

Aña. Tu es ipſe Rex meus, qui mandas ſalútes in Jacob. Pſalm. Dómini eſt terra. 26.

Aña. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altíſſimo vota tua. Pſalm. Deus noſter refúgium, ut infra xxiv. Septemb. in ſecundo Nocturno. ℣. Meménto noſtri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Víſita nos in ſalutári tuo.

Sermo ſancti Leônis Papæ.

Sermone 1. *de Jejunio decimi menſis, & collectis.*

Lectio iv.

SI fidéliter, dilectíſſimi, atque ſapiénter creatiônis noſtræ intelligâmus exôrdium, inveniêmus hóminem ídeò ad imáginem Dei cónditum, ut imitâtor ſui eſſet Auctôris; & hanc eſſe naturâlem noſtri géneris dignitâtem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpéculo, divínæ benignitâtis forma reſpléndeat. Ad quam quotídie nos útique réparat grátia Salvatôris, dum quod cécidit in Adam primo, erígitur in ſecúndo. Cauſa autem reparatiônis noſtræ non eſt, niſi miſericôrdia Dei: quem non diligerêmus, niſi priùs nos ipſe diligeret, & ténebras ignorántiæ noſtræ, ſuæ veritâtis luce diſcúteret.

℟. A dextris eſt mihi Dóminus ne commóvear: * Propter hoc dilatâtum eſt cor meum, & exultâvit lingua mea. ℣. Dóminus pars hæreditâtis meæ, & cálicis mei. Propter.

Lectio v.

DIligéndo ítaque nos Deus, ad imáginem ſuam nos réparat: & ut in nobis formam ſuæ bonitâtis invéniat, dat unde ipſi quoque

que quod operátur, operémur; accéndens scílicet méntium nostrárum lucérnas, & igne nos suæ charitâtis inflámmans, ut non solùm ipsum, sed étiam quidquid díligit, diligâmus. Nam si inter hómines ea demum firma amicítia est, quam morum similitûdo sociâret; cùm tamen parílitas voluntâtum sæpè in réprobos tendat afféctus: quantum nobis optándum, atque niténdum est, ut in nullo ab iis, quæ Deo sunt plácita, discrepêmus? De quo dicit prophêta: Quóniam ira in indignatiône ejus; & vita in voluntâte ejus: quia non áliter nobis erit dígnitas divínæ Majestâtis, nisi imitátio fúerit voluntâtis.

℟. Intuêre Dómine quia facta est desolâta cívitas plena divítiis: sedet in tristítia dómina géntium: * Non est, qui consolêtur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorâvit in nocte, & lácrymæ in maxíllis ejus. Non est.

Lectio vj.

DIcénte ítaque Dómino: díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua; & díliges próximum tuum, sicut te ipsum, suscípiat fidêlis ánima Auctôris sui, atque Rectôris immarcescíbilem charitâtem, totámque se étiam ejus subjíciat voluntâti, in cujus opéribus, atque judíciis nihil vacat à veritâte justítiæ, nihil à miseratiône cleméntiæ. Quóniam etsi magnis quis labóribus, & multis fatigêtur incómmodis, bona est illi causa tolerándi, qui se advérsis vel córrigi intélligit, vel probári.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, & dedicavérunt altâre Dómino: * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis, & confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta est. Glória Patri. Et facta est.

In tertio Nocturno.

Aña. Ego autem ad Deum clamávi, & Dóminus salvâbit me.

Psalmus 60.

EXáudi Deus deprecatiônem meam: * inténde oratiôni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarêtur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitâbo in tabernáculo tuo in sécula: * prótegar in velaménto alârum tuârum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiônem meam: * dedísti hæreditâtem timénti-

tibus nomen tuum.
Dies super dies regis adjícies: * annos ejus usque in diem generatiônis & generatiônis.
Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam & veritâtem ejus quis requíret?
Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi: * ut reddam vota mea de die in diem.
Aña. Ego autem ad Deum clamávi, & Dóminus salvâbit me.
Aña. Deus meus Salvâtor meus, salutâre meum, & spes mea in ætérnum.

Psalmus 74.

Confitébimur tibi Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.
Narrábimus mirabília tua: * cùm accépero tempus, ego justítias judicâbo.
Liquefácta est terra, & omnes, qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.
Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere: * & delinquéntibus: Nolíte exaltâre cornu.
Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitâtem.
Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.
Hunc humíliat, & hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini, vini meri plenus mixto.
Et inclinâvit ex hoc in hoc verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.
Ego autem annuntiâbo in séculum: * cantâbo Deo Jacob.
Et ómnia córnua peccatôrum confríngam: * & exaltabúntur córnua justi.
Aña. Deus meus Salvâtor meus, salutâre meum, & spes mea in ætérnum.
Aña. Protéctor noster áspice Deus, & réspice in fáciem Christi tui.

Psalmus 83.

Quam dilécta tabernácula tua Dómine virtûtum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.
Etenim passer invênit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.
Altária tua Dómine virtûtum: * Rex meus, & Deus meus.
Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine: * in sécula seculôrum laudábunt te.

Bea-

Digitized by Google

Beatus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymârum, in loco quem pósuit.
Etenim benedictiônem dabit legislâtor, ibunt de virtûte in virtûtem: * vidébitur Deus deôrum in Sion.
Dómine Deus virtûtum exáudi oratiônem meam: * áuribus pércipe Deus Jacob.
Protéctor noster áspice Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.
Quia mélior est dies una in âtriis tuis * super míllia
Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitâre in tabernáculis peccatôrum.
Quia misericórdiam, & veritâtem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.
Non privâbit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtûtum, beâtus homo, qui sperat in te.
Aña. Protéctor noster áspice Deus, & réspice in fáciem Christi tui.
℣. Notam fecísti in géntibus virtûtem tuam. ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.
Lectio vij. *Cap.* 3. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus Nicodêmo: Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.
Ex tract. in cap. 3. Joann.

NEmo ascéndit in cœlum, nisi qui de cœlo descéndit. Descéndit enim, & mórtuus est, & ipsa morte liberâvit nos à morte. Morte occísus mortem occídit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diábcli invídiam intrâvit in mundum. Deus mortem non fecit, scriptûra lóquitur. Nec lætâtur, inquit, in perditiône vivôrum, creâvit enim, ut essent ómnia. Sed quid ibi ait? Invídia autem diáboli mors intrâvit in orbem terrârum. Ad mortem à diábolo propinâtam non veníret homo vi adáctus; non enim cogéndi poténtiam diábolus habêbat, sed persuadéndi versútiam. Si non consentíres, nihil invéxerat diábolus; consénsio tua, ò homo, te perdûxit ad mortem. A mortáli mortáles nati, & ex mortálibus mortáles facti. Ab Adam ómnes hómines mortáles. Jesus autem Fílius Dei, Verbum Dei,

Dei, per quòd facta sunt ómnia, únicus, æquâlis Patri, mortâlis factus est, quia Verbum caro factum est, & habitâbit in nobis. Si ergo mórtem suscêpit, & mortem suspéndit in cruce, de ipsa morte liberántur mortáles. Quod in figûra factum est apud antíquos, commemorâvit illud Dóminus.

℟. Laudábilis pópulus; * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meârum tu es, hæréditas mea Israël. ℣. Beâta gens, cujus est Dóminus Deus: pópulus eléctus in hæreditâtem. Quem. Benedict. Divînum auxílium.

Lectio viij.

ET sicut, inquit, Móyses exaltâvit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis: Quis est serpens exaltâtus? Mors Dómini in cruce. Quia enim à serpénte mors, per serpéntis effigiem figurâta est mors. Morsus serpéntum lethâlis, mors Dómini vitâlis. Atténditur serpens, ut nihil váleat serpens. Quid est hoc? Atténditur mors, ut nihil váleat mors. Sed cujus mors? Mors vitæ: nonne vita Christus? Et tamen mórtuus est Christus. Interim modò, fratres, ut à peccâto sanêmur, Christum crucifixum intueâmur: quia sicut Móyses, inquit, exaltâvit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis: ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Quómodo qui intuebántur illum serpéntem, non peribant mórsibus serpéntum: sic qui intuéntur fide mortem Christi, sanántur à mórsibus peccatôrum. Sed illi sanabántur à morte ad vitam temporâlem; hîc autem ait, ut hábeant vitam ætérnam. Hoc enim intérest inter figurâtam imáginem, & rem ipsam: figûra præstâbat vitam temporâlem: res ipsa, cujus illa figûra erat, præstat vitam ætérnam.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus Sábaoth; * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt, qui testimónium dant in cœlo; Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Lectio nona legitur de Homilia Dominicæ occurrentis.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

CAntâte Dómino, quóniam magníficè fecit: annuntiâte hoc in univérsa ter-

terra. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliq. 28. Aña. Ecce Deus Salvâtor meus, fiduciáliter agam: quia factus est mihi in salûtem, allelúia. Aña. Hauriêtis aquas in gáudio de fóntibus Salvatôris, & dicêtis: Confitémini Dómino, & invocâte nomen ejus. Aña. Facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potéstas Christi ejus. Aña. Exúlta, & lauda habitátio Sion: quia magnus in médio tui sanctus Israël.

Capitulum. *Tobiæ* 3. *d.*

BEnedíctum nomen tuum Deus patrum nostrôrum; qui cùm irâtus fúeris, misericórdiam fácies, & in témpore tribulatiônis peccâta dimíttis his, qui invocant te.

Hymnus.

SAlûtis humánæ Sator,
Jesu volúptas córdium,
Orbis redémpti Cónditor,
Et casta lux amántium.
Qua victus es cleméntia,
Ut nostra ferres crímina?
Mortem subíres innocens,
A morte nos ut tólleres?
Perrúmpis inférnum chaos;
Vinctis caténas détrahis;
Victor triúmpho nóbili
Ad déxteram Patris sedes.
Te cogat indulgéntia,
Ut damna nostra sárcias,
Tuique vultus cómpotes
Dites beáto lúmine.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempitérna sécula.
Amen.

℣. Dómine refúgium factus es nobis. ℟. A generatiône, & progénie.

Ad Benedictus,

Aña. Ecce Deus noster iste, expectávimus eum, & salvâbit nos: sustinúimus eum, exultábimus, & lætábimur in salutári ejus, allelúia.

Oratio.

DEus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptôrem constituísti, & per eum devícta morte nos misericórditer ad vitam reparásti: concêde, ut hæc benefícia recoléntes, tibi perpétua charitâte adhærêre, & ejúsdem redemptiônis fructum percípere mereâmur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Pro Commemoratione Apparitionis beatissimæ virginis Mariæ, Aña. Salutâte Maríam, quæ multum laborâvit in vobis: & dícite: Ave cleméntiæ mater, consolátrix afflictôrum, redémptrix captivôrum: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúia. ℣. Magnificâvit Dóminus fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes. Oratio.

Dó-

Digitized by Google

Dómine Jeſu Chriſte, ut ſupr. 163.

Deinde fit commemor. Dominicæ occurrentis.

Ad Primam ℟. brev. Chriſte Fili. ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tertiam, Aña. Ecce Deus. Capitulum. Benedíctum nomen.

℟. brev. Rédime me Dómine: * Et miserêre mei. Rédime. ℣. In ecclésiis benedícam te Dómine. Et miserêre mei. Glória Patri. Rédime. ℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Ad Sextam, Aña. Hauriêtis aquas.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. *d.*

EX ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia, & sanctificátio, & rédemptio.

℟. brev. Meménto nostri Dómine, * In beneplácito pópuli tui. Meménto. ℣. Vísita nos in salutári tuo. In beneplácito. Glória Patri. Meménto. ℣. Redemísti nos Dómine in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Nonam, Aña. Exúlta, & lauda.

Capitulum. *Apocal.* 4. *d*

DIgnus est Dómine Deus noster accípere glóriam, & honôrem & virtûtem: quóniam occísus est, & redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natiône, & fecísti nos Deo nostro regnum.

℟. brev. Notam fecísti in pópulis, * Virtûtem tuam. Notam. ℣. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Virtûtem tuam. Glória Patri. Notam. ℣. Dómine refúgium factus es nobis. ℟. A generatiône, & progénie.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis.

Ad Magnificat,

Aña. Regnum tuum, regnum ómnium seculôrum, & dominátio tua in omni generatiône, & generatiônem, allelúia.

Oratio. Deus, qui Unigénitum tuum, ut supra. 171.

Pro commemorat. Apparitionis beatæ virginis Mariæ, Aña. O Virgo vírginum, quàm pulchra es & décora in delíciis! Tu fons pietâtis, humános miserâta questus, te conspiciéndam dedísti, ut edúceres vinctos de ténebris, & umbra mortis, & víncula eôrum disrúmperes, allelúia. ℣. Réspice de cœlo, & vide,

&

& viſita vineam iſtam. ℟ Et pérfice eam, quam plantâvit déxtera tua.

Oratio. Dómine JesuChriste. 163.

Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

Si hoc festum venerit die quarta Augusti, in secundis Vesperis non fit commemorat. de sequenti festo sanctæ Mariæ ad Nives.

DIE X. AUGÚSTI.

In festo sancti Laurentii martyris. Duplex secundæ classis, cum Octava, ut in Breviario.

ABSOLÚTIO GENERÁLIS.

Dominica infra Octav. Assumptionis beatæ Mariæ virginis.

In festo S. Joachim Patris ejusdem beatæ Mariæ virginis. Dupl. majus in Ord. nostr.

Omnia ut in Breviar. Romano.

DIE XXVIII. AUGÚSTI.

In festo sancti Augustini, Episcopi, & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris. Duplex secundæ classis, cum Octava.

Ad Vesperas, Antiphona.

LÆtâre mater nostra Jerúsalem, quia Rex tuus díspensatôrem strénuum, & civem fidelíssimum de servitûte Babylônis tibi redêmit Augustînum. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis. 13.

Aña. Augustíni mater devotíssima, quem carne priùs pepérerat mundo, charitâtis viscéribus póstmodùm multo sémine lacrymârum génuit Christo. Aña. Dístulit tamen diu Baptísmi grátiam, quia tumens ináni philosóphia, volêbat humána ratiône comprehéndere, quod pia mens vivacitâte fidei nítitur apprehéndere. Aña. Surgens autem post multos circúitus errôrum, circuîbat civitâtem, per vicos & platéas quæréndo verum ánimæ virum, pro quo ne morerêtur, dignum judicâret mori, ut ejus semper inhærêret amóri. Aña. Invéntus ígitur à custódibus civitâtis, & pállio vetustâtis exûtus, diligéntèr pertractáta cum illis veritâte, quem desiderâbat invênit, & castis ejus ampléxibus, ardénter inhæsit.

Capitulum. *Eccli.* 50.

ECce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, & in diêbus suis corroborâvit templum. Templi étiam altitûdo ab ipso fundáta est: duplex ædificátio, & excélsi paríetes templi.

Hymnus.

MAgne pater Augustîne,
Preces nostras súscipe,
Et per eas Conditóri

Nos

Digitized by Google

Nos uníri sátage,
Atque rege gregem tuum
Summum decus præsulum.
Amatôrem paupertâtis
Te colláudant páuperes:
Assertôrem veritâtis
Amant veri júdices;
Frangis nobis favos mellis,
De Scriptúris dísserens.
Quæ obscûra priùs erant,
Nobis plana fáciens,
Tu de verbis Salvatôris
Dulcem panem cónficis,
Et propînas potum vitæ
De Psalmôrum néctare.
Tu de vita monachôrum
Sanctam scribis régulam,
Quam qui amant, & sequúntur,
Viam tenent régiam,
Atque tuo sancto ductu,
Rédeunt ad pátriam.
Regi regum salus, vita,
Decus, & impérium,
Trinitáti laus & honor
Sit per omne séculum,
Qui concíves nos adscríbat,
Supernôrum cívium. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte pater Augustîne. ℟. Ut digni efficiâmur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat,

Aña. Adest nobis dies célebris, quo solûtus nexu carnis sanctus præsul Augustînus, assúmptus est cum ángelis; ubi gaudet cum prophétis, lætâtur cum Apóstolis, quorum plenus spíritu, quæ prædixérunt mystica, fecit nobis pérvia, post quos secúnda dispensándi verbi Dei primus refúlsit grátia.

Oratio.

Deus, qui abditiôra sapiéntiæ tuæ arcána beáto patri Augustíno revelándo, & divínæ charitátis flammas in ejus corde excitándo, miráculum colúmnæ nubis & ignis in Ecclésia tua renovásti: concéde, ut ejus ductu mundi vórtices felíciter transeâmus, & ad ætérnam promissiônis pátriam pervenire mereâmur. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Magnus Dóminus, & laudábilis valde: * Qui de ténebris géntium lumen Ecclésiæ suæ vocâvit Augustînum.

Psalm. Veníte, exultêmus. 16.

Hymn. Magne pater, ut supr.

In primo Nocturno.

Aña. Apéruit Augustînus códicem Apostólicum, & conjéctis óculis ad primum capítulum legit: Induímini Dóminum Jesum Christum. Et statim quasi infúsa luce securitâtis, ab eo omnes dubietâtis ténebræ diffugérunt.

Psalm. Beâtus vir qui non âbiit, cum reliquis, ut supra in Officio S. P. N. Petri Nolasci, 17. Aña. Insinuâvi-

er-

ergo per litteras sancto viro Ambrósio præsens votum suum : & ut monêret , quid sibi de libris sanctis legéndum esset , quo percipiéndæ Christiánæ grátiæ áptior fieret , atque parátior. Psalm. Quare fremuérunt gentes. Aña. At ille jussit Isaíam prophêtam : quod præ cæteris Evangélii , vocationísque géntium sit prænuntiâtor apértior. Psalmus. Dómine, quid multiplicáti. ℣. Amâvit eum Dóminus , & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 50.

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum , & in diêbus suis corroborâvit templum. Templi étiam altitûdo ab ipso fundáta est , duplex ædificátio & excélsi paríetes templi. In diêbus ipsíus emanavérunt pútei aquârum , & quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curâvit gentem suam , & liberâvit eam à perditiône. Qui præváluit amplificâre civitâtem , qui adéptus est glóriam in conversatiône gentis: & ingréssum domus & átrii amplificâvit.

℟. Invênit se Augustínus longè esse à Deo in regiône dissimilitúdinis , tamquam audíret vocem Dei de excélso: Cibus sum grándium:* Cresce, & manducâbis me. ℣. Nec tu me mutâbis in te , sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutâberis in me. Cresce, & manducâbis me.

Lectio ij.

Quasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi luna plena in diêbus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, & quasi flos rosârum in diêbus vernis, & quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, & quasi thus rédolens in diêbus æstâtis. Quasi ignis effúlgens, & thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum , ornâtum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, & cypréssus in altitúdinem se extóllens.

℟. Sensit ígitur, & expértus est, non esse mirum, quòd pálato non sano pœna est panis, qui sano est suâvis: * Et óculis ægris odiôsa est lux, quæ puris est amábilis. ℣. Propter iniquitâtem corripuísti hóminem, & tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus. Et óculis ægris.

Lectio iij.

In accipiéndo ipsum stolam glóriæ, & vestíri eum in consummatiône virtútis.

In

In ascénsu altâris sancti, glóriam dedit, sanctitâtis amíctum. In accipiéndo autem partes de manu sacerdôtum, & ipse stans juxta aram. Et circa illum corôna fratrum: quasi plantâtio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in glória sua.

℟. Tunc verò invisibília Dei per ea quæ facta sunt, intelLécta conspéxit; sed áciem figere non vâluit, quia non secum ferébat, nisi amántem memóriam: * Et quasi olfacta desiderántem, quæ comédere nondum posset. ℣. Quid autem sacraménti habêret, Verbum caro factum est, nec suspicâri quidem póterat. Et quasi. Glória Patri. Et quasi.

In secundo Nocturno.

Aña. Verúmtamen primam hujus lectiônem non intélligens, totúmque talem árbitrans, dístulit repetẽndum exercitátior in domínico elóquio. Psalm. Cùm invocârem. Aña. Inde ubi tempus advênit, quo nomen eum dare oportêbat: relícto rure, Mediolânum rémeans, baptizâtus est à beáto Ambrósio, fugítque ab eo solicitûdo vitæ prætéritæ. Psalm. Verba mea âuribus. Aña. Nec satiabâtur illis diêbus dulcédine mirábili, considerâre altitúdinem consílii divíni, super salûtem géneris humâni. Psalm. Dómine Dóminus noster. ℣. Elêgit eum Dóminus sacerdôtem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Lectio iv.

AUgustînus pater ac pastor noster ínclytus, Tagáste in Africa honéstis paréntibus natus, ac puer docilitâte ingénii æquales longè súperans, brevì ómnibus doctrína antecélluit. Adoléscens aliênus à Christiâna religiône, Romam, deinde Mediolânum se cóntulit: ubi cùm frequens Ambrósii Mediolanénsis Epíscopi esset audítor, ejus ópera incénsus stúdio cathólicæ fidei, annos natus trigínta tres ab ipso baptizâtur. Revérsus in Africam, cum religiône vitæ sanctimóniam conjúngens, à Valério notæ sanctitâtis Epíscopo Hipponénsi, Présbyter factus est. Quo témpore famíliam instítuit religiosôrum: quibúscum victu commúni, eodémque cultu utens, eos ad Apostólicæ vitæ, doctrinæque disciplînam diligentíssimè erudiêbat. Sed cùm vigêret Manichæôrum hæresis, in qua étiam ipse aliquámdiu fúerat, vehementius

tiùs in illam ínvehi cœpit: fortunatúmque hæresiárcham confutávit.

℟. Itaque avidíssimè légere cœpit præ cæteris Apóstolum Paulum: *Et periérunt illæ quæstiónes, in quibus aliquándo visus est ei adversári testimóniis Legis & Prophetárum textus sermónum ejus. ℣. Et appáruit una fácies eloquiórum castórum, & exultáre cum tremóre dídicit. Et periérunt.

Lectio v.

HAc Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit Episcopális officii. Nihil illo fuit humílius, nihil continéntius. Lectus ac vestítus moderátus, vulgáris mensa, quam semper sacra vel lectióne, vel disputatióne condiébat. Tanta benignitáte fuit in páuperes, ut cùm non esset ália facúltas, sacra vasa frángeret, ad eórum inópiam sustentándam. Fœminárum, & in eis soróris & fratris filiæ, contubérnium familiaritatémque vitávit: quippe qui díceret: Etsi propínquæ mulíeres suspéctæ non essent, tamen quæ ad eas ventitárent, posse suspiciónem efficere. Nullum finem fecit prædicándi Dei verbum, nisi gravi morbo oppréssus. Hæréticos perpétuò insectátus, & coràm, & scriptis, ac nullo loco passus consístere: Africam à Manichæórum, Donatistárum, Pelagianórum, aliorúmque prætéreà hæreticórum erróre liberávit.

℟. Immísit ergo Dóminus in mentem ejus, visúmque est ei bonum in conspéctu ejus pérgere ad Simpliciánum: *Qui ei bonus apparébat servus Dei: & lucébat in eo grátia divína. ℣. Audíerat enim quòd à juventúte sua devotíssimè Deo víveret, & verè sic erat. Qui ei bonus.

Lectio vj.

TAm multa piè, subtíliter & copiósè scripsit, ut Christiánam doctrínam máximè illustrárit. Quem in primis secúti sunt, qui pósteà theológicam disciplínam via & ratióne tradidérunt. Wándalis Africam bello vastántibus, & Hippónem tértium jam mensem obsidéntibus, in febrim íncidit. Itaque cùm discéssum è vita sibi instáre intellígeret, Psalmos David, qui ad pœniténtiam pértinent, in conspéctu pósitos profúsis lácrymis legébat. Solébat autem dícere, néminem, etsi nullíus scéleris sibi cónscius esset, commíttere debére, ut sine pœni-

niténtia migráret è vita. Ergo sénsibus íntegris in oratiône defixus, astántibus frátribus suis eremítis, quos ad charitâtem, pietâtem, virtutésque omnes erat adhortâtus, migrâvit in cœlum. Vixit annos septuagínta sex, in Episcopátu ad trigínta sex. Cujus corpus primùm in Sardíniam delâtum, deínde à Luitprándo Longobardôrum rege magno prétio redémptum. Ticínum translâtum est, ibíque honorífícè cónditum.

℟. Volêbat enim conferénti æstus suos, ut proférret, quis aptus esset modus vivéndi sic affécto, ut ipse erat, ad ambulándum in via Dei: * In qua álius sic, álius sic ibât. ℣. Displicêbat enim ei, quidquid agébat in século præ dulcédine Dei, & decôre domus ejus, quam diléxit. In qua álius. Glória Patri. In qua.

In tertio Nocturno.

Aña. Flebat autem ubérrimè in hymnis, & cánticis, suavè sonántis Ecclésiæ vócibus veheménter afféctus. Psalm. Dómine, quis habitâbit. Aña. Voces ígitur illæ influébant áuribus ejus, & eliquabâtur véritas in cor ejus, & fluébant lácrymæ, & benè illi erat cum illis. Psalm. Dómine, in virtûte. Aña. Adjúnctus inde Alípio & Evódio, remeâbat ad Africam, quærens quis eos ad benè vivéndum locus habêret utílius: sed cùm esset apud Ostia Tiberína, pia mater ejus defúncta est. Psal. Dómini est terra, & plenitúdo ejus. ℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndùm órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliêtur? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 1. *de Serm. Domini in Monte*, *cap.* 6.

OStendit Dóminus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonôrum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auférri. Itaque si sal infatuâtum fúerit, in quo saliêtur? id est: si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiônum temporálium amiséritis regna cœlôrum: qui erunt hómines, per quos à vobis error auferâtur, cùm vos éli-ge-

gerit Deus, per quos errórem áuferat cæterôrum?

℟. Vulneráverat cháritas Christi cor ejus, & gestâbat verba ejus in viscéribus, quasi sagíttas acútas: * Et exémpla servôrum Dei, quos de mórtuis vivos fécerat, tamquam carbónes vastatóres. ℣. Ascendénti à conválle ploratiônis, & cantánti cánticum gráduum, déderat sagíttas acútas. Et exémpla.

Lectio viij.

ERgo ad níhilum valet sal infatuâtum, nisi ut mittâtur foras, & calcêtur ab homínibus. Non ítaque calcâtur ab homínibus, qui pátitur persecutiônem: sed qui persecutiônem timéndo infatuâtur. Calcári enim non potest, nisi inférior; sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

℟. Accépta Baptísmi grátia, pósitus apud Ostia Tiberína cum matre sua, colloquebántur soli valdè dúlciter, & inhiábant ore cordis páriter in supérna fluénta fontis vitæ; * Vilescebâtque mundus iste inter verba, cum delectatiónibus suis. ℣. Tunc ait illa filio: Nulla re jam deléctor in hac vita, cùm te contémpta felicitâte terréna vídeam servum Dei. Vilescebátque. Glória Patri. Vilescebátque.

Lectio ix.

VOs estis lumen mundi. Quómodò dixit supériùs sal terræ, sic nunc dicit, lumen mundi? Nam neque supériùs ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcâmus: sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis, & extinguéndis putóribus, Apostólicum salem Dóminus misit. Et hîc mundum non cœlum, & terram, sed hómines, qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illumináandis Apóstoli missi sunt. Non potest cívitas abscóndi super montem pósita: id est, fundâta super insígnem, magnámque justítiam, quam signíficat étiam ipse mons, in quo dísputát Dóminus.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

POst mortem matris revérsus est Augustínus ad agros próprios, ubi cum amícis, jejúniis, & oratiónibus vacans, scribêbat libros, & docêbat indóctos. Psal. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Compérta autem

ejus fama, beátus Valérius Hipponénsis Epíscopus, eum à pópulo apprehénsum, ac sibi præsentâtum, licèt invítum, Presbyterum ordinâvit. Aña. Factus ergo Présbyter, monastérium monachôrum mox instítuit, & cœpit vívere secúndùm régulam sub sanctis Apóstolis constitûtam. Aña. Sanctus autem Valérius ordinâtor ejus exultâbat ubériùs, hóminem sibi talem datum divínitùs, qui in doctrína sana ædificâre Ecclésiam esset idóneus. Aña. Eôdem témpore Fortunâtus Présbyter, Manichæôrum versútia plúrimos seducêbat, quem sanctus Augustînus in convéntu ómnium dísputans públice superâvit.

Capitulum. *Eccli.* 50.

ECce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, & in diêbus suis corroborâvit templum. Templi étiam altitûdo ab ipso fundâta est; duplex ædificátio, & excélsi paríetes templi.

Hymnus.

MAgíster orbis máxime,
Qui mente clara cœlitus
Scrutâris inscrutábile
Trini Dei mystérium.

Ecclésiæ sol spléndide,
Ardôre cujus ígneo
Solvúntur imbres críminum,
Nubes fugántur hærésum.

Scriptis refútas Arii,
Manêtis orta dógmata,
Donáti & atra schísmata
Verbo poténte díssipas.

Per te subáctis hóstibus
Christi triúmphat Grátia,
Et veritátis fúlmine
Anguem Británnum cónteris.

Quæcúmque monstra prótulit
Orcus, quot inde próferet,
Libris représsa cóncident,
Quibus Fides innítitur.

Te jure solitúdines
Exuberántes mónachis:
Et restitúti prædicant
Normæ prióri Clérici.

Fove precántes Trínitas,
Ex Patre Verbum, Cháritas:
Quos Patris ardor édidit,
Amôris auge frúctibus.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte pater Augustîne. ℟. Ut digni efficiâmur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus,

Aña. In diêbus ejus obséssa est cívitas Hipponénsis ab exércitu barbarôrum, inter quæ mala fuérunt Augustîno lácrymæ suæ panes die ac nocte: atque sub hoc evéntu ad extrêmam horam véniens, obdormîvit in pace.

Ora-

Oratio.

DEus, qui abditiôra sapiéntiæ tuæ arcâna beáto patri Augustíno revelándo, & divínæ charitâtis flammas in ejus corde excitándo, miráculum colúmnæ nubis & ignis in Ecclésia tua renovásti: concêde, ut ejus ductu mundi vórtices felíciter transeâmus, & ad ætérnam promissiônis pátriam pervenîre mereâmur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commem. S. Hermetis martyr. hoc loco tantum. Aña. Qui odit ánimam suam. ℣. Justus ut palma. 70.

Oratio.

DEus, qui beâtum Hermêtem mártyrem tuum virtûte constántiæ in passiône roborásti: ex ejus nobis imitatiône tríbue pro amôre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus advérsa formidâre. Per Dóminum.

Ad Tertiam,

Aña. Compérta autem. Capitulum. Ecce sacérdos magnus, ut supra.

℟. brev. Amâvit eum Dóminus, * Et ornâvit eum. Amâvit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornâvit. Glória Patri. Amâvit. ℣. Elêgit eum Dóminus sacerdôtem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Sextam, Aña. Factus ergo Presbyter.

Capitulum. *Eccli.* 50.

IN diêbus ipsius emanavérunt pútei aquârum, & quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curâvit gentem suam, & liberâvit eam à perditiône.

℟. brev. Elêgit eum Dóminus * Sacerdôtem sibi. Elêgit. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdôtem sibi. Glória Patri. Elêgit.
℣. Tu es Sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndùm órdinem Melchísedech.

Ad Nonam, Aña. Eôdem témpore.

Capitulum. *Eccli.* 50.

QUási stella matutína in médio nébulæ, & quasi luna plena in diêbus suis lucet, & quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei.

℟. brev. Tu es sacérdos * In ætérnum. Tu es. ℣. Secúndùm órdinem Melchísedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu es sacérdos.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

In secundis Vesperis, Aña. Post mortem matris, cum reliquis de Laudib. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliq. 13. & loco ultimi.

Psalmus 131.

MEménto Dómine David, * & omnis manſuetúdinis ejus.
Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob.
Si introíero in tabernáculum domus meæ: * si ascéndero in lectum strati mei.
Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiônem.
Et réquiem tempóribus meis: donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.
Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis sylvæ.
Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.
Surge Dómine in réquiem tuam: * tu & arca sanctificatiônis tuæ.
Sacerdótes tui induántur justítiam: * & sancti tui exúltent.
Propter David servum tuum; * non avértas fáciem Christi tui.
Jurâvit Dóminus David veritâtem, & non frustrábitur eam; * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.
Si custodíerint filii tui testaméntum meum, * & testimónia mea hæc, quæ docêbo eos.
Et filii eôrum usque in séculum, * sedêbunt super sedem tuam.
Quóniam elêgit Dóminus Sion: * elêgit eam in habitiônem sibi.
Hæc réquies mea in séculum séculi; * hic habitâbo, quóniam elégi eam.
Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturâbo pánibus.
Sacerdótes ejus índuam salutâri; * & sancti ejus exultatiône exultábunt.
Illuc prodûcam cornu David, * parâvi lucérnam Christo meo.
Inimícos ejus índuam confusiône: * super ipsum autem efflorêbit sanctificátio mea.

Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat,

Aña Hódie gloriôsus pater Augustínus, dissolúta hujus habitatiônis domo, domum non manufáctam accêpit in cœlis, quam sibi cooperánte Dei grátia, manu, língua, fabrefêcit in terris: ubi quod jam sitívit intérnum, gustat ætérnum, decorâtus una stola, securúsque de réliqua.

Deinde fit commemoratio Decollationis sancti Joannis Baptistæ.

Aña. Misso Heródes spiculatôre, præcêpit amputâri caput

put Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, & tulérunt corpus ejus, & posuérunt illud in monuménto. ℣. Glória & honôre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuârum.

Oratio.

SAncti Joánnis Baptístæ Præcursôris & mártyris tui, quæsumus Dómine, venerânda festívitas, salutâris auxílii nobis præstet effêctum. Per Dóminum.

Posteà S. Sabinæ martyr. Aña. Símile est regnum cœlôrum. ℣. Spécie tua. 51.

Oratio.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concêde propítius; ut qui beátæ Sabínæ mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiâmur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XXIX. AUGÚSTI.

Secunda die infra Octavam fit de festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, Dupl. maj. ut in Breviario cum nona Lectione S. Sabinæ martyris.

In Laudibus fit commemoratio Octavæ, & S. Sabinæ martyris.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de sequenti festo, cum commemoratione Decollationis, & Octavæ, & Ss. Felicis, & Adaucti martyrum.

DIE XXX. AUGÚSTI.

Tertia die infra Octavam fit de festo S. Rosæ virginis Limanæ, Duplex, ut in Breviario, cum commemoratione Octavæ in Laudibus, & Ss. martyrum Felicis, & Adaucti, de quibus legitur nona Lectio in Matutino.

Vesperæ de sancto Raimundo Nonnato Cardinali, & Confessore cum commemoratione præcedentis festi tantum.

Digitized by Google

DIE XXXI. AUGUSTI.

IN FESTO

S. RAIMUNDI NONNATI

CONFESSORIS, ORDINIS NOSTRI, S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS.

Duplex secundæ classis cum Octava.

Ad Vesperas, Antiphona. Ego libentíssimè impéndam, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis. cum reliquis. 13.

Capitulum. *Isaiæ* 44.

AUdi Jacob serve meus, & Israël quem elégi: Hæc dicit Dóminus fáciens, & formans te ab útero auxiliátor tuus: noli timére serve meus Jacob, & rectíssime, quem elégi.

Hymnus.

DIve, qui matris látere ex apérto
Raptus extínctæ sólita abfuísti
Lege nascéndi, insólitæ datûrus
Lúmina vitæ.

Jure Nonnâtus pópulo vocâris,
Namque cœléstes habitâre visus
Móribus sedes, méritò negâris
Incola terræ.

Sed Raimúndi tulit ille nomen;
Quippe virtûtum rádios per orbem
Sparsit, & mundus fuit, atque sanctis
Móribus insons.

Qualis in vitæ stádio futûrus,
Edidit primis puer usque ab annis:
Semper indúlgens précibus, sacrásque
Fusus ad aras.

Ut sibi Virgo génitrix, magístra,
Callis, exémplar, clypeus, & patrôna
Esse dignêtur, gémitu perénni
Sídera pulsat.

Hæc

Hæc redemptôrum jubet aggregári
Cœtui, nuper cui Virgo mirum,
Semper humános miserâta questus,
Præbuit ortum.
Semper ætérno sit honor Parénti,
Fílio ætérnum decus, ex utrôque
Quique procêdit celebrêtur omni
Spíritus ævo. Amen.

℣. Tu possedísti renes meos. ℟. Suscepísti me de útero matris meæ.

Ad Magnificat,

Aña. De ventre matris meæ tu es protéctor meus: in te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis, & tu adjûtor fortis.

Oratio.

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiôrum captivitâte, beâtum Raimúndum Confessôrem tuum mirábilem effecísti: ejus nobis intercessiône concêde; ut à peccatôrum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exequâmur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Deinde fit commemoratio sanctæ Rosæ virginis.

Aña. Veni sponsa Christi. ℣. Diffûsa est grátia. 65.

Oratio.

Bonôrum ómnium largítor omnípotens Deus, qui beâtam Rosam cœléstis grátiæ rore prævéntam, virginitâtis & patiéntiæ decôre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odôrem suavitâtis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereâmur. Qui tecum vivit.

Ad Matutinum, Invitatorium. Laudêmus Deum nostrum *In charitâte sancti Raimúndi. Psalmus. Veníte, exultêmus Dómino. 16.

Hymnus.

Pennis amôris éxcitus,
Quas nulla frænant æquôra,
Ad barbarôrum líttora
Servus Maríæ návigat.
Captiva solvit ágmina,
Quæ pressa vinclis íngemunt:
Dum déficit pecúnia,
Se líbere dat pígnori.
Ut éximat discrímine
Salûtis almæ próximos,
Sui libénter pródigus,
Fit charitâtis víctima.
Legis nefándæ plúrimos
A servitûte líberat,
Pendéntis è ligno crucis
Divinitâtem prædicans.
Torménta ridet hórrida,
Longâque morte júbilat,
Dum lábia claudit ímpium
Seræ ligâmen férreæ.

Glis-

Digitized by Google

Gliscénte fama Póntifex
Virtûte tam clara virum
Inter duces Ecclésiæ
Ostro niténtes ággregat.
Uni supérno glória,
Trinòque persónis Deo,
Qui per Raimúndi preces
Nos à reâtu líberet.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. In lege Dómini meditabâtur die ac nocte, ut fructum suum daret in témpore suo. Psalm. Beâtus vir qui non âbiit in consílio impiôrum, cum reliquis, ut supra in Officio S. P. N. Petri Nolasci. 17. Aña. Da mihi sédium tuârum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobâre à púeris tuis. Psal. Quàre fremuérunt gentes. Aña. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitâtem, nec flúmina óbruent illam. Psal. Dómine quid multiplicáti. ℣. In te confirmâtus sum ex útero. ℟. De ventre matris meæ tu es protéctor meus.

De Isaía prophêta.

Lectio j. *Cap.* 43.

HÆc dicit Dóminus, creans te Jacob, & formans te Israël: Noli timêre, quia redémi te, & vocávi te nómine tuo: meus es tu. Cùm transíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te: cùm ambuláveris in igne, non comburêris, & flamma non ardêbit in te. Quia ego Dóminus Deus tuus sanctus Israël salvâtor tuus, dedi propitiatiônem tuam Ægyptum, Æthiópiam, & Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis & gloriôsus: ego diléxi te, & dabo hómines pro te, & pópulos pro ánima tua. Noli timêre, quia ego tecum sum: ab oriénte addûcam semen tuum, & ab occidénte congregâbo te. Dicam aquilôni: Da; & austro: Noli prohibêre: affer fílios meos de longínquo, & filias meas ab extrémis terræ. Et omnem, qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum, & feci eum. Educ foras pópulum cæcum, & óculos habéntem; surdum, & aures ei sunt. ℟. Confitêbor tibi, quia terribíliter magnificâtus es: * Mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis. ℣. Quia tu possedísti renes meos: suscepísti me de útero matris meæ. Mirabília ópera tua, & anima mea.

Lectio ij. *Cap.* 44.

ET nunc audi Jacob serve meus, & Israël quem elégi: Hæc dicit Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliâtor tuus: noli timêre serve meus Jacob, & rectíssime,

me, quem elégi. Effúndam enim aquas super sitiéntem, & fluénta super áridam: effúndam spíritum meum super semen tuum; & benedictiônem meam super stirpem tuam. Et germinábunt inter herbas, quasi sálices juxta præterfluéntes aquas. Iste dicet: Dómini ego sum: & ille vocâbit in nómine Jacob: & hic scribet manu sua: Dómino: & in nómine Israël, assimilábitur. Hæc dicit Dóminus Rex Israël, & redémptor ejus Dóminus exercítuum: Ego primus, & ego novíssimus, & absque me non est Deus. Quis símilis mei? Vocet, & annúntiet: & órdinem expónat mihi, ex quo constítui pópulum antíquum: ventûra & quæ futúra sunt annúntient eis. Nolíte timére, neque conturbémini: ex tunc audîre te feci, & annuntiâvi: vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, & formâtor quem ego non nóverim?

℟. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit, & mecum labôret. * Ut sciam quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi Dómine sédium tuârum assistrícem sapiéntiam. Ut sciam quid accéptum.

Lectio iij.

MEménto horum Jacob & Israël, quóniam servus meus es tu: formávi te, servus meus es tu Israël, ne obliviscâris mei. Delévi ut nubem iniquitátes tuas, & quasi nébulam peccâta tua: revértere ad me, quóniam redémi te. Laudâte cœli, quóniam misericórdiam fecit Dóminus: jubilâte extréma terræ, resonâte montes laudatiônem: saltus & omne lignum ejus: quóniam redémit Dóminus Jacob, & Israël gloriábitur. Hæc dicit Dóminus redémptor tuus, & formâtor tuus ex útero: Ego sum Dóminus, fáciens ómnia, exténdens cœlos solus, stabíliens terram, & nullus mecum. Irrita fáciens signa divinôrum, & aríolos in furôrem vertens. Convértens sapiéntes retrórsum: & sciéntiam eôrum stultam fáciens. Súscitans verbum servi sui, & consílium nuntiôrum suôrum complens. Qui dico Jerúsalem: Habitáberis: & civitátibus Juda: Ædificabímini, & desérta ejus suscitábo. Qui dico profúndo: Desolâre, & flúmina tua arefáciam.

℟. Réddidit Dóminus Raimúndo mercêdem labôrum suôrum: * Et dedúxit illum in via mirábili. ℣. Justum dedú-

dúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedúxit. Glória Patri. Et dedúxit.

In secundo Nocturno.

Aña. Cùm liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucrifácerem. Psalm. Cum invocârem. Aña. In Evangélio labóro usque ad víncula, quasi malè óperans: sed verbum Dei non est alligâtum. Psalm. Verba mea áuribus pércipe Dómine. Aña. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum. Psal. Dómine Dóminus noster. ℣. Propter te mortificâmur tota die. ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiônis.

Lectio iv.

RAimúndus, Nonnâtus cognoménto dictus, quia præter commûnem natúræ legem è mórtuæ matris disséćto látere in lucem edúctus fuit. Portélli in Catalónia piis & nobílibus paréntibus ortus, ab ipsa infántia futúræ sanctitâtis indícia dedit. Nam puerília oblectaménta, mundíque illécebras réspuens, ita pietáti óperam dabat, ut omnes in púero adúltam virtûtem admiraréntur. Crescénte verò ætâte, litterârum stúdiis incúbuit: sed mox jubénte patre vitam ruri agens, sacéllum sancti Nicolái in Portélli finibus situm crebrò adíbat, ut sacram Deíparæ imáginem, quæ in eo summa fidélium veneratiône étiam nunc cólitur, visitâret. Ibi effûsus in preces, ipsam Dei paréntem, ut se in filium adoptâre, viamque salûtis, ac sciéntiam Sanctôrum edocêre dignarêtur, eníxè deprecabâtur.

℟. Ne tímeas, quia ego tecum sum: confortávi te, & auxiliâtus sum tibi: * Et suscêpit te déxtera justi mei. ℣. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis & gloriôsus, ego diléxi te. Et suscêpit te.

Lectio v.

NEc défuit votis ejus benigníssima Virgo; ab ipsa enim intelléxit, gratíssimum sibi fore, si religiônem sub título de Mercêde, seu de Misericôrdia redemptiônis captivôrum, ea suggerénte nuper fundâtam, ingrederêtur. Qua monitiône percépta, Barcinônam statim profèctus, illud tam præcelléntis erga próximum charitâtis institûtum ampléxus est. Reguléri ígitur milítiæ adscríptus, virginitâtem, quam pridem beátæ Vírgini consecráverat, perpétuò cóluit, cæ-

Digitized by Google

cæteríſque virtútibus enítuit, charitâte præſértim erga Chriſtiános, qui ſub poteſtâte paganôrum míſeram in captivitâte vitam degébant. Hos ut redímeret, in Africam míſſus, cùm jam multos à ſervitûte liberâſſet, ne conſúmpta pecúnia, áliis item in próximo abnegándæ fidei diſcrímine conſtitútis deéſſet, ſeípſum pígnori dedit: ſed cùm ardentíſſimo salûtis animârum deſidério succénſus, plures Mahometânos ſuis conciónibus ad Chriſtum convérteret, in arctam cuſtódiam à bárbaris conjéctus, variíſque ſupplíciis cruciâtus, mox lábiis perforátis, & ſera férrea clauſis, crudéle martyrium diu ſuſtínuit.

℟. Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus efficiar: * Cháritas enim Chriſti urget nos. ℣. Omnia ſuſtíneo propter eléctos, ut & ipſi salûtem conſequántur, quæ eſt in Chriſto Jeſu cum glória cœléſti. Cháritas.

Lectio vj.

OB hæc & ália fórtiter geſta, ſanctitátis ejus fama longè latèque diffûſa eſt: qua permôtus Gregórius Nonus, in amplíſſimum ſanctæ Romanæ Eccléſiæ Cardinálium collégium Raimúndum adſcripſit; ſed vir Dei in ea dignitâte ab omni pompa abhórrens, religióſæ humilitâtis tenacíſſimus ſemper fuit. Romam verò pergens, ſtatim ac Cardónam pervénit, extrémo morbo confèctus, Eccleſiáſticis Sacraméntis muníri ſummis précibus poſtulâvit. Cùmque morbus ingravéſceret, & ſacerdos diútius tardâret, angelôrum miniſtério, ſub ſpécie religioſôrum ſui Ordinis apparéntium, ſalutári viático reféctus fuit. Quo ſumpto, & grátiis Deo peráctis, migrâvit ad Dóminum, Domínica última Augúſti anno milléſimo ducentéſimo quadragéſimo. Mórtui corpus, cùm circa locum ſepultúræ conténtio orta eſſet, arcæ inclûſum, & mulæ cæcæ impóſitum, ad sacéllum ſancti Nicolái Dei nutu delâtum fuit, ut ibi tumularêtur, ubi prima jécerat ſanctiôris vitæ fundaménta. Illic conſtrúcto ſui Ordinis cœnóbio, à confluéntibus, voti cauſa ex univérſa Catalónia fidélibus pópulis honorâtur, váriis miráculis & ſignis glorióſus.

℟. Si ímmolor ſuprà ſacrifícium, & obſéquium fidei veſtræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis: * Id ipſum autem & vos gaudéte, & congratulámini mihi. ℣. Quotí-

tídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Dómino nostro. Id ipsum. Glória. Id ipsum.

In tertio Nocturno.

Aña. Cibávit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Psal. Dómine quis habitábit. Aña. Desidérium cordis ejus tribuísti ei Dómine: & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. Psal. Dómine in virtúte tua. Aña. Accépit benedictiónem à Dómino, & misericórdiam à Deo salutári suo. Psalm. Dómini est terra. ℣. Satiávit Dóminus ánimam inánem. ℟. Et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 34. in Matth. post init.

Id significátur, cùm dícitur: Ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Nolíte ánimo esse dejécto: mitténti mihi crédite, hac re præcípuè invíctos vos esse futúros. Deínde ut áliquid à se ipsis cónferant, nec ómnia videántur esse à grátia, nec frustra, & aliéna solùm virtúte coronári æstiméntur, adjécit: Efficiámini ergo prudéntes ut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. Sed quid póterit nostra prudéntia in tot tantísque perículis effícere? Aut quáliter potérimus tantis agitáti flúctibus prudénter quíppiam providére? Quid enim sibi prodésse póterit ovis, etiámsi ómnium óvium sensum accumuláverit, cùm in médio tam multórum conversétur lupórum? Aut quid emoluménti colúmba consequétur, etiámsi fúerit simplicíssima, cùm eam úndique truculentíssimi accípitres inv ádant? In his quidem, quæ carent ratióne, nihil; in vobis verò plúrimum. ℟. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: *Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei. ℣. In voce exultatiónis & confessiónis sonus epulántis. Quando véniam.

Lectio viij.

Sed inspiciámus quam prudéntiam quærit: serpéntis certè prudéntiam imitári cohortátur. Nam quemádmodum serpens totum seípsum tradit, nec mínimum curat si corpus incíditur, donec caput suum íntegrum servet: eódem tu quoque modo, præter

ter fidem cætera pérdere non cures: profúndas univérsam tuam pecúniam, tradas corpus, vitæ ipsi, si opus est, mínimè parcas, dúmmodò fidem serves, quæ caput & radix est; qua servâta, etiámsi ómnia perdas, ómnia tamen rursus majóri cum magnificéntia recuperábis; idcírco nec símplices solùm jussit esse, nec prudéntes solùm, sed ambo hæc unum commíscuit, ut in præcípuam virtûtem simul vertántur. Et prudéntiam quidem serpéntis adhibêre te jubet, ne velis vulnéribus atque perículis principalíssima membra objícere. Simplicitâtem verò colúmbæ, ne injuriâtus ulciscâris, aut ad punitiônem insidiántes abdûcas: nihil enim tibi prudéntia próderit, nisi hæc simplícitas adjiciâtur.

℟. O Raimúndum mirábilem! qui próximus morti, ministério angelôrum pane cœli recreári meruísti: * Ora pro nobis Dóminum, allelúia. ℣. O sidus, ó decus famíliæ Vírginis matris. Ora pro nobis. Glória Patri. Ora pro nobis.

Lectio ix.

PErpénde quáliter exáctè nos ádmonet, quia perféctos úndique esse opórtet, ut neque perículis ánimus dejiciâtur, neque ab ira efferâtur: idcírco dicêbat: Cavête ab homínibus, tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagellábunt vos, & ad præsides, & ad reges ducémini propter me in testimónium illis, & géntibus. Ita ubíque ad vigilándum eos ánimo præparat, afflictiônes quidem ipsis tribuéndo, afflígere autem posse cæteris permitténdo, ut tu ex hoc discas in afflictiónibus esse victóriam, & præclára hinc státui trophæa. Non enim dixit, luctámini cum illis, & concertâte, & cóntra insidiántes insúrgite; sed ad últimas afflictiônes, atque perícula veniêtis. O admirábilem dicéntis virtûtem! O sublímem audiéntium philosóphiam!

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES, & per Horas, Antiphona.

EGo libentíssimè impéndam, & superimpéndar ipse pro animâbus vestris. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliq. 28. Aña. Posuérunt ori meo custódiam, & super labia mea signáculum certum. Aña. Dedit mihi Dóminus linguam mercêdem meam, & in ipsà laudâbo eum. Aña. Qui sponte obtulístis de Israël ánimas vestras

ad

Digitized by Google

ad periculum, benedícite Dómino. Aña. Cantâte Dómino, laudâte Dóminum; liberâvit ánimam páuperis de médio malôrum.

Capitulum. *Isaiæ* 44.

AUdi Jacob serve meus, & Israël quem elégi; Hæc dicit Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliâtor tuus: noli timére serve meus Jacob, & rectíssime, quem elégi.

Hymnus.

O Ter beáte, cui sacri
Divína dona córporis,
Quo nos Redémptor súscitat,
Chorus minístrat cœlitum.

Tardat sacérdos última
Quæsitus hora, præbeat
Ut alma vitæ múnera
In mortis atræ prælio.

In veste amícti cándida,
Quam crux venústat cóncolor,
Scuto in rubénti déferunt
Cœléste munus ángeli.

O grata cœlo syrmata,
Quæ non abhórrent príncipes
In gaudiôrum régia
Adstáre suéti Númini.

Vitæ reféctus pábulo,
Palmis onústus, lílio
Ornâtus, arces síderum
Felix Raimúndus petit.

Porténta lites dírimunt,
Quas inter urbes plúrimas,
Intaminâti córporis
Vota excitárunt ánxia.

Uni supérno glória,
Trinóque persónis Deo,
Qui per Raimúndi preces
Nos à reátu líberet. Amen.

℣. Cor meum, & caro mea.
℟. Exultavérunt in Deum vivum.

Ad Benedictus,

Aña. Angelôrum esca nutrivísti pópulum tuum, & parâtum panem de cœlo præstitísti illis sine labôre, omne delectaméntum in se habéntem, & omnis sapôris suavitâtem, allelúia.

Oratio.

DEus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiôrum captivitâte, beâtum Raimúndum Confessôrem tuum mirábilem effecísti: ejus nobis intercessiône concéde; ut à peccatôrum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exequâmur. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Aña. Posuérunt ori meo. Capitul. Audi Jacob serve meus, ut supra. ℟. brev. In te confirmátus sum * Ex útero. In te confirmátus. ℣. De ventre matris meæ tu es protéctor meus. Ex útero. Glória Patri. In te confirmâtus. ℣. Propter te mortificâmur tota die. ℟. Æstimati sumus sicut oves occisiônis.

Ad Sextam, Aña. Dedit mihi Dóminus.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 6

IN ómnibus tribulatiônem pátimur, sed non angustiâmur: aporiâmur, sed non destitúimur: persecutiônem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiônem Dómini Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut & vita Jesu manifestêtur in corpóribus nostris.

℟. brev. Propter te mortificâmur * Tota die. Propter te. ℣. Æstimáti sumus sicut oves occisiônis. Tota die. Glória Patri. Propter te. ℣. Satiâvit Dóminus ánimam inânem. ℟. Et ánimam esuriéntem satiâvit bonis.

Ad Nonam, Aña. Cantâte Dómino.

Capitulum. *Eccli.* 15.

CIbâbit illum pane vitæ & intelléctus, & aqua sapiéntiæ salutâris potâbit illum: & firmábitur in illo, & non flectêtur: & continêbit illum: & non confundêtur: & exaltâbit illum apud próximos suos.

℟. breve. Satiâvit Dóminus * Animam inânem. Satiâvit. ℣. Et ánimam esuriéntem satiâvit bonis. Animam inânem. Glória Patri. Satiâvit. ℣. Cor meum, & caro mea. ℟. Exultavérunt in Deum vivum.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Cor meum, & caro mea. ℟. Exultavérunt in Deum vivum.

Ad Magnificat,

Aña. O beâtum Raimúndum! qui totis viscéribus diléxit Christum: & in suæ charitâtis exémplum, seípsum pro captívis dare non dubitâvit. O beâta ánima, quam & si gládius persecutôrum non ábstulit, méritum tamen martyrii non amísit.

Oratio. Deus, qui in liberándis, supra.

Et fit commemor. S. Ægidii Abbatis, Aña. Similâbo eum viro sapiénti, qui ædificâvit domum suam supra petram. ℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Ægidii Abbâtis comméndet: ut quod nostris méritis non valêmus, ejus patrocínio assequâmur.

Deinde Ss. Duodecim Fratrum martyrum. Aña. Istôrum est enim. ℣. Lætámini in Dómino. 71.

Digitized by Google

Oratio.

FRatérna nos Dómine, mártyrum tuôrum corôna lætíficet, quæ & fidei noſtræ præbeat increménta virtûtum, & multíplici nos ſuffrágio consolêtur. Per Dóminum noſtrum.

Infra Octav. omnia dicuntur sicut in die festo, præter Lection. quæ in primo Nocturn. leguntur de Script. occurrente; in aliis verò Nocturn. prout infrà assignantur, tam pro tota Octav. quàm pro Offic. semidupl. per annum, semel in mense recitando.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTÉMBRIS.

Secunda die infra Octavam sancti Raimundi Nonnati.

Pro ménsibus Januárii, & Februárii.

In secundo Nocturno.

Lectiones: Sermo sancti Joannis Chrysostomi **Beáti Raimúndi Nonnáti dies**, ut in secunda die infra Octavam S. P. N. Petri Nolasci. 35. Responsoria ut supra.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 10. b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupôrum. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 34. in Matth. longè post init.

SIc dícere vidêtur: Nolíte turbári, si, cùm vos inter lupos mitto, tamquàm oves, & colúmbas esse júbeo. Nam & si possum contrárium quoque præstáre, & non permíttere ut grave áliquid patiámini, nec lupis tamquam oves subjécti sitis, sed efficere ut leónibus terribilióres evadâtis: tamen sic éxpedit fieri: hoc & vos quoque illustrióres fáciet, & meam declarâbit virtûtem. Sic enim postea dixit Paulo: Sufficit tibi grátia mea: nam virtus in infirmitâte perfícitur. Ipse ígitur vos, ut tales essêtis, fecit.

℟. Sitívit ánima mea. 190.

Lectio viij.

QUòd si rebus ipsis id ita fieri vidêre desíderas, lege Actuum Apostolôrum librum: perspícies profécto, cùm sæpe Judæôrum pópulus in Apóstolos insurréxerit, ac dentes exacúerit, illos, colúmbæ simplicitâtem imitándo, & cum decénti modéstia respondéndo: iram ipsôrum superásse, furôrem extinxísse, ímpetum retardásse. Nam cùm illi dícerent: Nonne

ne præcipiéndo præcépimus vobis, ne docerêtis in nómine isto? quamvis innúmera possent édere mirácula, nihil tamen ásperum neque dixérunt, neque fecérunt; sed summa cum mansuetúdine respondéntes, dicébant: Si justum est, vos audíre magis quàm Deum, judicâte. Perspexísti simplicitâtem columbæ; vide nunc serpéntis prudéntiam. Non enim póssumus, inquiunt, nos quæ vídimus & audívimus, non loqui. ℞. O Raimúndum. 191.

Pro sancto Ægidio Abbate Lectio ix.

ÆGídius Atheniénsis régiæ stirpis, à prima ætâte divínis lítteris, & charitâtis officiis ita déditus fuit, ut nihil prætéreà curâre viderêtur. Itaque paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogâvit: quin étiam túnicam éxuit, ut ægrôtum egéntem tégeret; qua ille indûtus statim convâluit. Sed multis deinceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritâtem, Arelâtem ad beâtum Cæsárium conténdit: à quo post biénnium discédens, secéssit in erêmum: ubi diútiùs herbârum radícibus & cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniêbat, admirábili sanctitâte vixit. Quæ cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cùm in antrum Ægídii refugísset, Gálliæ regem ímpulit, ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncæ monastérium éxtrui paterêtur. Cujus administratiônem flagitánte rege, invítus suscêpit: eôque múnere áliquot annis prudénter piéque gesto, migrâvit in cœlum. Te Deum laudâmus. 28.

Si autem per annum non occurrat Lectio nona dicenda de aliquo sancto Simplici, in tertio Nocturno, Lectiones dicuntur prout habentur in die festo.

In Laudibus fit commemor. Octavæ S. Augustini.

Deinde S. Ægidii Abbatis. Aña. Euge serve bone & fidêlis, quia in pauca fuisti fidêlis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℞. Et osténdit illi regnum Dei. Oratio. Intercéssio, ut suprà.

Postea Ss. Duódecim Fratrum martyrum. Aña. Vestri capílli cápitis. ℣. Exultábunt. 73. Oratio. Fratérna nos. 194.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de S. Stephano Confess. cum commemorat. Octavar. S. Raimundi, & S. Augustini.

Digitized by Google

In Hispania Vesperæ dicuntur de S. Antonino martyre cum commem. Octav. S. Raimundi, & S. Augustini.

DIE II. SEPTÉMBRIS.

Tertia die infra Octavam sancti Raimundi Nonnati.

Fit Officium de S. Stephano Hungariæ rege Confess. semidup. ut in Breviario.

In Laudibus fit commemorat. Octavæ S. Raimundi Nonnati, & sancti Augustini.

In secundis Vesper. à Capitulo fit de Octava sancti Raimundi Nonnati cum commemor. sancti Stephani, & sancti Augustini.

In Hispania fit Officium de S. Antonino martyr. ut in proprio Ss. Hispan. cum commemor. Octavarum in Laudibus.

In secundis Vesper. fit commemorat. S. Stephani Confess. & Octav. S. Raimundi, & S. Augustini.

Pro ménsibus Mártii, & Aprílis.

In secundo Nocturno.

Lectiones. De Sermone S. Joannis Chrysostomi. **Ad hanc beátam réquiem**, ut in tertia die infra Octavam S. P. N. Petri Nolasci. 38.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupôrum. Et réliqua. De Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra.

Cum Dóminus omnem solicitúdinem à discipulôrum córdibus ejécerit, & ostensione signôrum armáyerit, atque ab ómnibus negótiis seculáribus alienátos, & ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo, atque adamántinos fécerit, tum dénique eventûra illis advérsa prædicit. Multa enim ex hac prædictióne futurârum rerum cómmoda consequebántur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edíscerent. Deínde, ut nemo suspicarêtur ex magístri infirmitâte tam grávia mala descéndere. Prætéreà, ne qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum evéntu perturbaréntur. Dénique, ne cùm ista sub ipsum passiônis suæ tempus audírent, nímium commoveréntur.

℟. Sitivit ánima mea. 190.

Lectio viij.

Jam verò, ut intélligant novum hoc esse belli genus, & insólitum præliándi morem, cùm illos nudos mitte-

Digitized by Google

teret, una indútos túnica, ſine cálceis, absque virga, & absque zona, & pera, & ab excipiéntibus ali jubêret: non fecit hîc dicéndi finem, sed inexplicábilem virtûtem suam próferens, étiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simplíciter ad lupos, sed étiam in médio lupôrum; neque verò óvium tantùm mansuetúdinem habêre jubet, sed étiam colúmbæ simplicitâtem: sic enim virtûtem meam máximè osténdam, cùm ab óvibus lupi superabúntur: & quamvis illæ sint in médio lupôrum, & innúmeris mórsibus laceréntur, non modò non consúmptæ fúerint, verùm étiam illos in sui natûram transmutáverint.

℟. O Raimúndum. 191.

Lectio ix.

MAjus certe atque admirabílius est mentem adversariôrum commutâre, & ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere: præsértim cùm duódecim tantum essent, & lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescâmus ígitur, qui longè divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúimus. Nam quámdiu oves fuérimus, víncimus: étiam si mille circúmstent lupi, superâmus, & victóres sumus: quòd si lupi fuérimus, víncimur. Tunc enim à nobis pastôris auxílium recêdit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudâmus. 28.

DIE III. SEPTÉMBRIS.

Quarta die infra Octavam S. Raimundi Nonnati.

Pro ménsibus Maii, & Júnii.

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi. Quantum autem sit, ut in quarta die infra Octavam S. P. N. Petri Nolasci.

In tertio Nocturno. 41.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 10. b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupôrum. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Can. 10. in Matth. circa med.

INstrúctos nos serpéntis prudéntia monet esse opportêre. Hunc, ántequam Adam tradúceret, jam sapiéntem Génesis nuncupâvit, & prudéntiam ejus malignántis consílii órdine dócuit. Primùm enim ánimam sexus molliôris aggréssus est, spe deínde illéxit, & communiónem immortalitátis spopóndit, & per hæc tanta præmia, opus

opus consílii & voluntátis suæ gessit. Pari ígitur opportunitáte introspécta uniuscujúsque & natûra & voluntáte, verbôrum adhibénda prudéntia est: spes bonôrum futurôrum reveláṇda, & cœléstia perféctæ fidei præmia proferénda.

℟. Sitívit ánima mea. 190.

Lectio viij.

ET quod ille mentítus est, nos prædicêmus ex vero, secúndùm sponsiônem Dei, ángelis símiles futúros esse, qui credent: ut mentes plébium fáciles & absolútas, circumsævientibus licèt lupis & hæréticis, promíssis regnôrum cœléstium occupémus, & rerum fidem serpéntis prudéntia, colúmbæ simplicitáte tradâmus.

℟. O Raimundum. 191.

Lectio ix.

MOnet étiam tráditis abésse oportêre curam responsiônis, sed expectándum pótiùs quid spíritus Dei súggerat. Quia fides nostra ómnibus præcéptis divínæ voluntátis inténta, ad responsiônem sciéntiæ instruêtur: in exémplo habéntes Abraham cui, postuláto ad hóstiam Isaac, non défuit áries ad víctimam.

Te Deum laudâmus. 28.

Si autem per annum occurrat nona Lectio dicenda de sancto Simplici. Lectio nona conjungatur cum Octava, & fiant una Lectio.

In Laudibus fit commemor. Octavæ S. Augustini.

Vesperæ de die Octava S. Augustini, cum commemor. S. Raimundi Nonnati.

In Hispania fit Oficium de sancto Stephano Hungariæ Rege Confess. Semidup. ut in Breviar. (fuit heri) & in Laudib. fit commemorat. utriusque Octavæ.

Vesperæ de die Octava sancti Augustini, cum commemor. sancti Stephani, & sancti Raimundi.

DIE IV. SEPTÉMBRIS.

In Octava S. Augustini Episcopi. Duplex.

Omnia dicuntur sicut in die festo, præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beátum patrem Augustínum Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacræ Scriptúræ mystériis, doctôrem óptimum & eléctum Antístitem providísti: da nobis quæsumus, ejus semper & doctrínis ínstrui, & oratiône fulcíri. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap. 14. e*

BEátus vir, qui in sapiéntia morábitur, & qui in justítia sua meditábitur, & in sen-

sensu cogitâbit circumspectiônem Dei. Qui excógitat vias illíus in corde suo, & in abscónditis suis intélligens, vadens post illam quasi investigâtor, & in viis illíus consístens; qui réspicit per fenéstras illíus, & in jánuis illíus áudiens: qui requiéscit juxta domum illíus, & in pariétibus illíus figens palum státuet cásulam suam ad manus illíus, & requiéscet in cásula illíus bona per ævum: státuet fílios suos sub tégmine illíus, & sub ramis ejus morábitur. Protegêtur sub tégmine illíus à fervôre, & in glória ejus requiéscet.

℟. Invênit se Augustínus. 175.

Lectio ij. *Cap.* 24. *c*

QUi ímplet quasi Phison sapiéntiam, & sicut Tigris in diêbus novôrum. Qui adímplet quasi Euphrátes sensum: qui multíplicat quasi Jordánis in témpore messis. Qui mittit disciplînam sicut lucem, & assístens quasi Gehon in die vindémiæ. Qui pérficit primus scire ipsam, & infírmior non investigâbit eam. A mari enim abundâbit cogitátio ejus, & consílium illíus ab abysso magna. Ego sapiéntia effúdi flúmina. Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio. Ego quasi flúvii Dyorix, & sicut aquædúctus exívi de paradíso.

℟. Sensit ígitur. 175.

Lectio iij.

DIxi: Rigâbo hortum meum plantatiônum, & inebriâbo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, & flúvius meus appropinquâvit ad mare: quóniam doctrínam quasi antelucânum illúmino ómnibus, & enarrâbo illam usque ad longínquum. Penetrâbo omnes inferióres partes terræ, & inspíciam omnes dormiéntes, & illuminâbo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, & relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, & non désinam in progénies illôrum usque in ævum sanctum. Vidête quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritâtem.

℟. Tunc verò invisibília. 176.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

INnúmeros pro Ecclésia Cathólica labóres exháusit: nam Felícem Manichæum, qui Hippônem vénerat, ut suos ibi disseminâret erróres, tríduo cum eo dísputans, ad fidem cathó-

licam convértit. Cùm verò Cæsarêam Mauritániæ Apostólicæ Sedis Legâtus, rebus ecclesiásticis componéndis, venísset; Eméritum Donatistârum acérrimum superâvit. Pascéntium Ariânum, atque item Maximînum Arianôrum antístitem, coràm, & éditis collatiônum libris egrégiè confutâvit. Sed contra Donatístas, qui penè totam Africam occupáverant, ejus indústria vel máximè enítuit: eo quidem fructu, ut post célebrem collatiônem Carthágine hábitam, in qua ipse pro Cathólicis primas egit partes, major eôrum pars Cathólicæ accésserit unitáti. Advérsus Pelagiános tum primùm emergéntes, per annos ferme decem libris & conciónibus strénuè dimicâvit.

℟. Itaque avidíssimè. 177.

Lectio v.

NEque tamen tot occupatiónibus districtus, rogâtus à Cathólicis, vel à cujúsque sectæ homínibus, causas audîre, eásque diligénter dirímere prætermîsit. Aliquándo proptéreà imprânsus, aliquándo étiam diem íntegrum jejûnus persevérans. In córporis cultu moderatiônem amâvit, ut vestes neque operóso luxu invidiósæ, neque sórdibus, & negléctu notábiles essent. Mensa usus est frugáli, & parca, quam lectiône & disputatiône cóndiens, convívas à fábulis, ac maledicéndi licéntia abstinêre volêbat. Ut páuperum inópiam sublevâret, vel ipsa intérdum sacra vasa frángere, ac distráhere non dubitâvit. Aliquas hæreditátes recusâvit: quod æquius esse díceret, eas à defunctôrum propínquis quàm ab Ecclésia possidéri. Eâdem ánimi magnitúdine, cuîdam, qui bona sua Ecclésiæ legáverat, tábulas donatiônis ultrò remîsit. Ante suprémam ægritúdinem non solùm à se dictátos & éditos libros recénsuit & castigâvit; sed étiam contra Semipelagiános in Gallia sibi obstrepéntes, librum de Prædestinatiône sanctôrum, alterúmque de dono perseveràntiæ: contra Juliânum verò Pelagianôrum acérrimum, plúrima volúmina conscrípsit.

℟. Immísit ergo. 177.

Lectio vj.

CUm autem Wándali ferè tota África devastáta, Hippônem demum obsedíssent; ipse, non ut cæteri, bonôrum direptiônem, aut hóminum cædes, sed animârum jactûram, ecclesiarúmque devastatiônem consíderans, ama-

Digitized by Google

amaríſſimam vitam ducêbat. Quare précibus cum sodálibus vacans, supplíciter Deum orâbat, ut vel civitâtem ab hóstibus liberâret, vel servos suos ad tot mala perferénda confirmâret, vel certè se de hac vita evocâret. Et ecce tértio obsidiônis mense morbo corréptus est; quo témpore impósitis mánibus ægrôtum sanâvit, qui divíno admónitu ad eum accédere jussus fúerat. Demum diêbus decem ante óbitum in preces effûsus, íntegris sénsibus, adstántibus sodálibus, ac simul orántibus, cœléstem spíritum cœlo réddidit quinto Kaléndas Septémbris, anno ætâtis suæ septuagésimo sexto, Episcopátus trigésimo quinto, à Christi nativitâte trigésimo super quadringentésimum; Cœléstino Primo Summo Pontífice, qui eum atque ejus ópera mirífice commendâvit, Theodôsio & Valentiniáno Imperatóribus.

℟. Volêbat enim. 178.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliêtur? Et réliqua.

Homilía S. Augustíni Episc. *De Verb. Dom. Ser.* 2. *cap.* 1.

SOlet multos movêre, charíssimi, quod Dóminus noster Jesus Christus in sermône Evangélico, cum priùs dixísset: Lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant bona ópera vestra, & gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est: posteà dixit: Atténdite, ne justítiam vestram faciâtis coram homínibus, ut videámini ab eis. Turbâtur enim mens parum intelligéntis; & præcépto utríque obaudíre cupiéntis ánimus per divérsa & advérsa disténditur. Tam nemo enim potest, quamvis uni dómino, obtemperâre repugnántia jubénti, quàm nemo potest étiam duôbus dóminis servíre: quod eôdem sermône Salvâtor ipse testâtus est.

℟. Vulneráverat. 179.

Lectio viij.

QUid ergo fáciet ánimus nutans, cùm se obtemperâre non posse exístimat, & non obtemperâre formídat? Si enim bona ópera sua in luce posúerit homínibus intuénda, ut fáciat quod præcéptum est, Lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant bona ópera vestra, & gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est: reum se

se tenéri arbitrábitur, quia contra præcéptum fecit, ubi dícitur: Atténdite, ne justítiam vestram faciâtis coram homínibus, ut videámini ab eis. Rursúsque si hoc timens & cavens, ea quæ bene facit abscónderit, non se putâbit servíre imperánti, & dicénti: Lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut vídeant bona ópera vestra.

℞. Verbum Dei ad últimam ægritúdinem alácriter, fórtiter, ac sana mente in Ecclésia prædicâvit: membrísque ómnibus incólumis, íntegro aspéctu & audítu, * Coram frátribus orántibus dormívit in pace. ℣. Testaméntum nullum fecit, quia unde fáceret, pauper Christi non hábuit. Coram frátribus. Glória Patri. Coram.

Lectio ix. *Cap. 2.*

QUi rectè autem intélligit, utrúmque implet, & sérviet universíssimo Dómino, qui servum pigrum non damnâret, si ea, quæ fiéri nullo modo póterant, imperâret. Audíte enim Paulum servum Christi Jesu, vocâtum Apóstolum, segregâtum in Evangélium Dei, utrúmque & faciéntem & docéntem. Vidète quemádmodum lúceat lumen ejus coram homínibus, ut vídeant bona ópera ejus. Commendâmus, inquit, nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum in conspéctu Dei. Et íterum: Providémus enim bona, non solùm coram Deo, sed étiam coram homínibus.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commemoratio S. Raimundi Nonnati.

Vesperæ de die Octava S. Augustini, ut in secundis Vesperis festi, cum commemorat. S. Raimundi Nonnati.

Post Vesperas diei dicuntur Vesperæ Defunctorum. Officium Duplex, pro Anniversario sequenti, & in precibus dicitur Psalm. **Lauda ánima mea Dóminum.**

In Hispania à Capitulo fit de commemoratione sancti Juliani Episcopi & Confess. cum commem. sancti Augustini, & S. Raimundi Nonnati.

Anniversarium transfertur ad diem quintam, & sextam sequent.

DIE V. SEPTÉMBRIS.

Sexta die infra Octavam S. Raimundi Nonnati.

Pro ménsibus Júlii, & Augústi.

In secundo Nocturno.

Lectiones ex libro Moralium S. Gregorii Papæ: Benè justi simplícitas; ut in sexta die infra Octav. S. P. N. Petri Nolasci. 45.

In

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupôrum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 119. *de Diversis.*

AUdístis, fratres, cùm sanctum Evangélium legerêtur, quemádmodum Dóminus noster Jesus Christus disciplína sua suos corroboráverit, dicens: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupôrum. Consideráte, fratres mei, quid fáciat, si unus lupus inter multas oves véniat: quantacúmque sint óvium míllia, uno lupo in médio turbabúntur; & si non omnes laniántur, omnes tamen terréntur. Qualis ergo erat ista rátio, quale consílium, qualis potéstas, nec lupum ad oves admíttere, sed in lupos oves míttere? Mitto, inquit, vos sicut oves in médio lupôrum; non ad límites lupôrum, sed in médio lupôrum.

℟. Sitívit ánima mea. 190.

Lectio viij.

ERat ergo lupôrum agmen, oves paucæ. Cùm enim multi lupi occidérunt paucas oves, convérsi sunt lupi, & facti sunt oves. Audívimus ergo quod mónuit qui corónas promísit, & agônem præmísit: & quia expéctat certántes, ádjuvat laborántes. Cujúsmodi certâmen indíxit? Estôte, inquit, astúti ut serpéntes, & símplices sicut colúmbæ. Hoc qui intelléxerit & tenúerit, secûrus móritur. Quis autem secûrus móritur, nisi qui se sic nóverit moritûrum, ut mors in illo moriâtur, vita coronêtur?

℟. O Raimúndum. 191.

Lectio ix.

QUaprópter, charíssimi, exponéndum est nobis, quamvis hinc jam sæpiùs dixérimus, quid sit símplices esse ut colúmbæ, astúti ut serpéntes. Si jam simplícitas columbârum indícta est nobis, astútia serpéntis quid facit in colúmbæ simplicitâte? Amo in colúmba quòd fel non habet; tímeo in serpénte quòd venênum habet. Noli ex omni parte horrêre serpéntem; habet quòd óderis, habet quòd imitêris. Serpens enim cùm fúerit senectûte prægravâtus, & sénserit pondus vetustâtis, coárctat super cavérnam, & ponit túnicam véterem, ut novus exúltet. Imitâre illum, Christiáne, qui audis Christum dicéntem: Intrâre per angústam

tam portam; & Paulus Apóstolus tibi dicit: Exúite véterem hóminem cum áctibus suis, & indúite novum.

Te Deum laudâmus. 28.

Post Laudes fit Officium Defunctorum Duplex, pro Anniversario Benefactórum, & Familiarium receptorum per litteras ad beneficia Ordinis, & dicitur Psalm. De profúndis, in Laudibus.

In Hispania fit de commemor. S. Juliani Episcopi, & Confess. Duplex, ut in Ss. Hispaniæ, cum commemor. Octavæ S. Raimundi Nonnati in Laudibus, & in secundis Vesperis.

DIE VI. SEPTÉMBRIS.

Septima die infra Octavam sancti Raimundi Nonnati.

Pro ménsibus Septémbris, & Octóbris.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis. S. Raimúndi Nonnáti vita, ut in septima die infra Octavam sancti patris nostri Petri Nolasci. 48.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 10. b*

IN illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Unde supra.

HAbes ergo quòd imitèris in serpénte: noli mori pro vetustâte, sed pro veritâte. Qui móritur pro cómmodo temporáli, pro vetustâte móritur: cùm autem exûtus fúeris omni ista vetustâte, imitâtus es astútiam serpéntis. Imitâre & illum in hoc, serva caput tuum, tene apud te Christum. Si fortè áliquis vestrûm advértit aliquándo, cùm volúerit cólubrum occídere, quómodo pro cápite suo totum corpus óbjicit íctibus feriéntis: illud in se feríri non vult, ubi se novit vitam habêre. Et Christus vita nostra est: ipse enim dixit: Ego sum via, véritas, & vita. Audi & Apóstolum: Caput viri Christus est. Qui ergo Christum servàt in se, caput suum servat pro se.

℟. Sitívit ánima mea. 190.

Lectio viij.

JAm verò quid opus est, commendâre multis verbis simplicitâtem columbârum? cavénda enim erant venêna serpéntis. Ibi imitâtio periclitabâtur, ibi erat quòd timerêtur. Colúmbam verò secûrus imitâre; atténde colúmbas in societâte gaudêre: ubíque simul volant, simul pas-

paſcúntur, nolunt eſſe ſolæ: communiône gaudent, charitâtem ſervant, gemítibus amôris múrmurant, ósculis fílios génerant. Nam quando colúmbæ, quod plerúmque advértimus, rixántur de céllulis ſuis, quodámmodò pacâta conténtio eſt. Numquid quia rixántur, ſeparántur? ſimul volant, ſimul paſcúntur, & ipſa inter ſe pacâta eſt rixa.

℟. O Raimúndum. 191.

Lectio ix.

VIde rixam columbârum. Apóſtolus dicit: Si quis verbo noſtro non obáudit per epíſtolam, hunc notâte, & nolîte commiſcêri cum eo. Ecce rixa: ſed atténde, quóniam columbârum eſt rixa, non lupôrum. Contínuo ſubjécit: Et non ut inimícum exiſtimêtis, ſed corrípite ut fratrem. Colúmba amat, & quando rixâtur: lupus odit, & quando blandîtur. Columbârum ergo ſimplicitâtem habéntes, aſtútiam ſervâte ſerpéntum.

Te Deum laudâmus. 28.

Veſper. de die Oct. Offic. Duplex.

DIE VII. SEPTÉMBRIS.

In Octava ſancti Raimundi Nonnati. Duplex.

Pro ménſibus Novémbris, & Decémbris.

In ſecundo Nocturno.

De Sermone ſancti Bernardi Abbatis: Gaudête in Dómino, ut in die Octava S. P. N. Petri Nolaſci. 51.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupôrum. Et réliqua.

Homilía ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Ex Homilia 34. *in Matth. paulò poſt initium.*

DIligénter conſídera, qui ſunt qui hæc árdua & laboriôſa ádeunt, formidolôſi vidélicet, & indócti, illitteráti, rudes, obſcúri quidam hómines & ignóti, qui numquam philoſophôrum percepérunt inſtitûta, vixque umquam in forum deſcendérunt, piſcatóres, & publicáni, multis repléti rebus, quæ jure ánimos eôrum poſſent dejícere. Nam ſi magnos & claros viros tanta difficúltas rerum potuíſſet commovêre, quómodo non potuíſſet imperítos hómines, quibus nullíus rei magnæ áliquid venit in mentem? Sed non dejêcit, neque turbâvit: nec id injúria, dicet quiſpiam: cùm ſe intellígerent poſ-

Digitized by Google

poſse leproſos mundâre, dæmónia ejícere.

℟. Sitivit ánima mea. 190.

Lectio viij.

EGo autem dícere non dubitârim, quia vidélicèt idípsum jure debêbat ipsos conturbâre; quóniam qui tantam potestâtem habérent, ut defúnctos étiam à morte possent excitâre; hi tanta perícula essent subitúri, tanta bella gestúri, ad júdices vincti deducéndi, commúnis dénique totíus orbis admonítio futúri.

℟. O Raimúndum. 191.

Lectio ix.

QUæ ígitur in ómnibus his erat consolátio? sola mitténtis virtus. Quo circa ita signánter incêpit: Ecce ego mitto vos. Sufficiat hoc vobis ad omnem consolatiônem, satis sit ad confiténdum. Vides, quanta ejus est auctóritas? intélligis, quóniam máxima sit potéstas? pércipis inexpugnábilem ejus esse virtûtem?

Te Deum laudâmus. 28.

Si autem per annum occurrat Lectio nona dicenda de sancto Simplici, præcedens Lectio conjungatur cum Octava, & fiant una Lectio.

Vesperæ de Nativitate beatæ Mariæ virginis, cum commem. S. Raimundi Nonnati.

DOMINICA

infra Octavam Nativitatis beatæ Mariæ virginis.

Officium de SS. Nomine ejusdem beatæ Mariæ virginis.

Duplex majus.

Omnia, ut in Breviario Romano.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In festo sancti Raphaëlis Archangeli. Duplex.

Ad Vesperas, Aña. In conspéctu glóriæ, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis. 13.

Capitulum. *Tobiæ* 12. *c*

QUando orábas cum lácrymis, & sepeliêbas mórtuos, ego óbtuli oratiônem tuam Dómino.

Hymnus.

CHriste sanctôrum decus angelôrum,
Gentis humánæ Sator & Redémptor,
Cœlitum nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.

Angelus nostræ médicus salûtis
Adsit è cœlo Ráphaël, ut omnes
Sanet ægrótos, dubiósque vitæ
Dírigat actus.

Virgo dux pacis, genitríxque lucis,
Et sacer nobis chorus angelôrum

Sem-

Digitized by Google

Semper aſſiſtat, ſimul & micántis
Régia cœli.
Præſtet hoc nobis Déitas beâta
Patris, ac Nati, paritérque ſancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. Præcínctus Ráphaël intrâvit in domum Tobíæ. ℟. Et cum gáudio ſalutâvit eum.

Ad Magnificat,

Aña. Ingréſſus Ráphaël Archángelus ad Tobíam, ſalutâvit eum, dicens: Gáudium tibi ſit ſemper. Cui Tobías ait: Quale mihi gáudium erit, quia in ténebris ſédeo, & lumen cœli non vídeo? Cui Angelus ait: Forti ánimo eſto, in próximo eſt, ut à Dómino curêris.

Oratio.

DEus, qui beâtum Raphaêlem Archángelum, Tobíæ fámulo tuo iter properánti præmium direxíſti, & inter hujus viæ ac vitæ varietátes atque diſcrímina donáſti cuſtódem: da quæſumus, ut ejúſdem ſemper protegâmur auxílio; quátenus vitæ præſéntis vitémus perícula, & ad gáudia valeâmus pervenîre cœléſtia. Per Dóminum noſtrum.

Deinde fit comm. Impreſs. Stigmatum S. Franciſci. Aña. Hic vir deſpíciens mundum. ℣. Signáſti Dómine ſervum tuum Franciſcum. ℟. Signis redemptiônis noſtræ.

Oratio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui frigeſcénte mundo, ad inflammándum corda noſtra tui amôris igne, in carne beatíſſimi Franciſci paſſiônis tuæ ſacra ſtígmata renováſti: concêde propítius; ut ejus méritis & précibus crucem júgiter ferâmus, & dignos fructus pœniténtiæ faciâmus. Qui vivis & regnas.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Archangelôrum Dóminum * Venîte, adorêmus. Pſal. Venîte, exultêmus. 16. Hymnus. Chriſte ſanctôrum, ut ſupra in Veſperis.

In primo Nocturno.

Aña. Egréſſus Tobías, invênit júvenem præcínctum, & quaſi parâtum ad ambulándum, & ignórans quòd Angelus eſſet, ſalutâvit eum. Pſalmus. Dómine Dóminus noſter, cum reliquis, ut ſupra in feſto S. Gabriëlis Archangeli. 92. Aña. Angelus Ráphaël ſeípſum occúltans, ait: Ego ſum Azarías, magni Ananíæ filius. Pſalm. In Dómino confido. Aña. Sanum ducam fílium tuum in regiônem

nem Medórum, & sanum tibi redûcam, allelúia. Psalm. Dómine, quis habitábit. ℣. Præcínctus Ráphaël intrávit in domum Tobíæ. ℟. Et cum gáudio salutávit eum.

De Libro Tobíæ.

Lectio j. *Cap.* 4. & 5.

TObías vocávit ad se Tobíam filium suum, dixítque ei: Indico tibi, fili mi, dedísse me decem talénta argénti, dum adhuc infántulus esses, Gabélo in Rages civitâte Medórum, & chirógraphum ejus apud me hábeo; & ídeò perquíre quómodo ad eum pervénias, & recípias ab eo supra memorâtum pondus argénti, & restítuas ei chirógraphum suum. Perge nunc, & inquíre tibi áliquem fidêlem virum, qui eat tecum, salva mercêde sua; ut, dum adhuc vivo, recípias eam. Tunc egréssus Tobías, invênit júvenem spléndidum, stantem, præcínctum, & quasi parâtum ad ambulándum: & ignórans quòd Angelus Dei esset, salutâvit eum, & dixit: Unde te habêmus bone júvenis? At ille respóndit: Ex fíliis Israël. Et Tobías dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regiônem Medórum? Cui respóndit: Novi: & ómnia itínera ejus frequénter ambulávi: & mansi apud Gabêlum fratrem nostrum, qui morâtur in Rages civitâte Medôrum, quæ pósita est in monte Ecbátanis. Cui Tobías ait: Sústine me óbsecro, donec hæc ipsa núntiem patri meo. ℟. Peto Dómine, ut de víncuIo impropérii hujus absólvas me; aut certè désuper terram erípias me: *Ne reminiscáris Dómine delícta mea, vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis; quia éruis sustinéntes te. ℣. Omnia judícia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ misericórdia & véritas: nunc Dómine meménto mei. Ne reminiscáris.

Lectio ij. *Cap.* 5.

TUnc ingréssus Tobías indicâvit univérsa hæc patri suo. Super quæ admirâtus pater, rogâvit ut introíret ad eum. Ingréssus ítaque salutâvit eum, & dixit: Gáudium tibi sit semper. Et ait Tobías: Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, & lumen cœli non vídeo? Cui ait júvenis: Forti ánimo esto, in próximo est, ut à Deo curêris. Dixit ítaque illi Tobías: Numquid póteris perdúcere filium meum ad Gabêlum in Rages civitâtem Medôrum? & cùm redíeris, restítuam tibi mercêdem tuam. Et dixit ei Angelus: Ego ducam & redûcam eum

eum ad te. Cui Tobías respóndit: Rogo te, índica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? Cui Ráphaël ángelus dixit: Genus quæris mercenárii, an ipsum mercenárium, qui cum filio tuo eat? Sed ne fortè solícitum te reddam, ego sum Azarías Ananíæ magni filius. Et Tobías respóndit: Ex magno génere es tu. Sed peto ne irascâris, quòd volúerim cognóscere genus tuum. Dixit autem illi ángelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi redûcam filium tuum. Respóndens autem Tobías, ait: Benè ambulêtis, & sit Deus in itínere vestro, & ángelus ejus comitêtur vobíscum. Tunc parátis ómnibus, quæ erant in via portánda, fecit Tobías vale patri suo & matri suæ, & ambulavérunt ambo simul.

℟. Omni témpore bénedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dírigat:* Et omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre, ut fácias quæ plácita sunt illi in veritâte, & in tota virtûte tua. Et omni témpore.

Lectio iij. *Cap. 6.*

PRoféctus est autem Tobías, & canis secûtus est eum, & mansit prima mansiône juxta flúvium Tigris. Et exívit ut lavâret pedes suos: & ecce piscis immânis exívit ad devorándum eum. Quem expavéscens Tobías clamâvit voce magna, dicens: Dómine, invâdit me. Et dixit ei ángelus: Apprehénde bránchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm fecísset, attráxit eum in siccum, & palpitâre cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei ángelus: Exéntera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repône tibi: sunt enim hæc necessária ad medicaménta utíliter. Quod cùm fecísset, assâvit carnes ejus, & secum tulérunt in via; cætera saliérunt, quæ sufficerent eis, quoúsque pervenírent in Rages civitâtem Medôrum.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: * Habêbis multa bona, si timúeris Deum. ℣. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleëmósyna, ómnibus qui fáciunt eam. Habêbis. Glória Patri. Habêbis.

In secundo Nocturno.

Aña. Dixit autem Angelus: Apprehénde bránchiam piscis, & trahe eum extra aquas. Psal. Cœli enárrant glóriam Dei. Aña. Obsecro te Azaría frater, ut dicas mihi quod remédium habébunt ista, quæ de pisce servâre jussísti. Psal. Dómini est terra. Aña. Lúmi-

Digitized by Google

mina fel sanat, sed virtus cordis & jécoris, diáboli expéllit potestâtem. Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℣. Missus est à Dómino Ráphaël ángelus. ℟. Ut sanâret Tobíam & Saram.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Ex Homil. 34. in Evangel. ante medium.

Lectio iv.

NOvem Angelôrum órdines dícimus: quia vìdelicet esse testánte sacro elóquio scimus, Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim, atque Séraphim. Esse namque Angelos & Archángelos pene omnes sacri elóquii páginæ testántur: Chérubim verò atque Séraphim sæpè, ut notum est, libri prophetârum loquúntur. Quatuor quoque órdinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principâtum, & Potestâtem, & Virtûtem, & Dominatiônem. Qui rursus ad Colossénses scribens, ait: Sive Throni, sive Potestátes, sive Principátus, sive Dominatiónes. Dum ergo illis quátuor, quæ ad Ephésios dixit, conjungúntur Throni, quinque sunt órdines; quibus dum Angeli, & Archángeli, Chérubim, atque Séraphim adjúncta sunt, proculdúbio novem esse Angelôrum órdines inveniúntur.

℟. Tempus est, ut revértar ad eum, qui misit me; vos autem benedícite Deum: * Et enarrâte ómnia mirabília ejus. ℣. Coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Et enarrâte.

Lectio v.

SCiéndum verò, quòd Angelôrum vocábulum nomen est officii, non natûræ. Nam sancti illi cœléstis pátriæ spíritus, semper quidem sunt spíritus, sed semper vocári ángeli nequâquam possunt; quia tunc solùm sunt ángeli, cum per eos áliqua nuntiántur. Unde & per Psalmístam dícitur: Qui facit ángelos suos spíritus. Ac si paténter dicat: Qui eos, quos semper habet spíritus, étiam cùm volúerit, ángelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, ángeli; qui verò summa annúntiant, Archángeli vocántur. Hinc est enim quòd ad Maríam vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriël Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum venîre dignum fúerat, qui summum óm-

ómnium nuntiábat. Qui idcírcò étiam privátis nomínibus censéntur, ut signêtur per vocábula, étiam in operatiône quid váleant. Míchaël namque, Quis ut Deus? Gábriël autem Fortitûdo Dei: Ráphaël verò dícitur Medicína Dei.

℟. Sufficiêbat nobis paupértas nostra, ut divítiæ computaréntur: numquam fuisset pecúnia ipsa, pro qua mísimus filium nostrum, * Báculum senectûtis nostræ. ℣. Heu me fili, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculôrum, nostrôrum? Báculum.

Lectio vj.

ET quóties miræ virtûtis áliquid ágitur, Míchaël mitti perhibêtur: ut ex ipso actu & nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere, quod fácere prævalet Deus. Unde & ille antíquus hostis; qui Deo esse per supérbiam símilis concupívit, dicens: In cœlum conscéndam, super astra cœli exaltâbo sólium meum, símilis ero Altíssimo; dum in fine mundi in sua virtûte relinquêtur extrémo supplício periméndus, cum Michaêle Archángelo præliatûrus esse perhibêtur, sicut per Joánnem dícitur: Factum est prælium cum Michaêle Archángelo. Ad Maríam quoque Gábriël míttitur, qui Dei fortitûdo nominâtur., Illum quippè nuntiâre veniêbat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparêre dignâtus est. Ráphaël quoque interpretâtur, ut díximus, medicína Dei: quia vidélicet dum Tobíæ óculos quasi per officium curatiônis tétigit, cæcitâtis ejus ténebras tersit.

℟. Benedícite Deum cœli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei: * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, & cantâte illi, & enarrâte ómnia mirabília ejus. Quia fecit. Glória Patri. Quia fecit.

In tertio Nocturno.

Aña. Est hic Sara Raguêlis filia, quæ tibi conjúgio dábitur, & omnis substántia ejus. Psal. Cantâte Dómino cánticum novum. Aña. Septem viros hábuit, quos dæmónium oppréssit; tímeo ne mihi símile contíngat. Psal. Dóminus regnâvit. Aña. Per tres dies oratiôni cum uxôre tua vacâbis, ut in sémine Abrahæ benedictiônem in filiis consequâris. Psal. Bénedic ánima mea. ℣. In conspéctu Angelôrum psallam tibi Deus meus. ℟. Et adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Digitized by Google

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore : Erat dies festus Judæôrum ; & ascéndit Jesus Jerosólymam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 17. *in cap.* 5. *Joann.*

MIrum non esse debet, à Deo factum mirácu-lum : mirum enim esset, si homo fecísset. Magis gaudêre quàm mirári debêmus, quia Dóminus noster & Salvâtor Jesus Christus homo factus est ; quàm quòd divína inter hómines Deus fecit. Plus est enim ad salûtem nostram, quod factus est propter hómines, quàm quod fecit inter hómines : & plus est, quòd vítia sanâvit animârum, quàm quòd sanâvit languóres córporum moriturôrum.

℟. In conspéctu géntium nolíte timêre : vos enim in córdibus vestris adorâte, & timête Dóminum : * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Cantâte ei cánticum novum, & bene psállite ei in vociferatiône. Angelus. Benedict. Cujus festum cólimus.

Lectio viij.

SEd quia ipsa ánima nec eum nóverat, à quo sanánda erat ; & óculos habêbat in carne, unde facta corporália vidêret ; nondum habêbat sanos in corde, unde Deum laténtem agnósceret. Fecit quod vidéri póterat, ut sanarêtur, unde vidêri non póterat. Ingréssus est locum, ubi jacêbat magna multitûdo languéntium, cæcôrum, claudôrum, aridôrum.

℟. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli, dicéntes : * Te decet laus & honor, Dómine. ℣. Chérubim quoque, & Séraphim Sanctus proclámant, & omnis cœlicus ordo, dicéntes. Te decet laus & honor. Glória Patri. Te decet laus & honor.

Lectio ix.

ET cùm esset médicus & animârum & córporum, & qui venísset sanâre omnes ánimas crediturôrum : de illis languéntibus unum elêgit quem sanâret, ut unitâtem significâret. Si medíocri corde, & quasi humâno captu & ingénio considerémus faciéntem, & quod ad potestâtem pértinet, non magnum áliquid perfécit : & quoad benignitâtem, parum fecit. Tot jacébant, & unus curâtus est, cùm posset uno verbo omnes erígere.

Te Deum laudâmus. 28.

Digitized by Google

AD LAUDES,
& per Horas, Antiphona.

IN conspéctu glóriæ summi Dei exaudítæ sunt preces Tobíæ & Saræ: & missus est ángelus Dómini sanctus Ráphaël, ut sanâret eos, allelúia. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Apprehéndens Ráguel déxteram filiæ suæ, déxteræ Tobíæ trádidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob sit vobíscum, & ipse vos conjúngat, impleátque suam benedictiônem in vobis, allelúia. Aña. Recordâtus Tobías sermônum Raphaêlis, pósuit partem jécoris super carbónes vivos. Aña. Ráphaël ángelus apprehéndit dæmónium, & ligâvit in desérto superiôris Ægypti. Aña. Audiens Ráguel quòd Tobías gener ejus víveret, benedíxit Dóminum, cum Anna uxôre sua.

Capitulum. *Tob.* 12. *c*

QUando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, ego óbtuli oratiônem tuam Dómino.

Hymnus.

TE splendor & virtus Patris,
Te vita, Jesu, córdium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudâmus inter ángelos.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Seclum per omne glória.
Amen.

℣. Unus ex septem est Ráphaël. ℟. Qui assístunt ante Dóminum.

Ad Benedictus,

Aña. De felle piscis linívit Tobías óculos patris sui: statímque visum recêpit, allelúia.

Oratio.

DEus, qui beâtum Raphaêlem Archángelum, Tobíæ fámulo tuo iter properánti prævium direxísti, & inter hujus viæ ac vitæ varietátes atque discrímina donásti custôdem: da quæsumus, ut ejúsdem semper protegâmur auxílio; quatenus vitæ præséntis vitêmus perícula, & ad gáudia valeâmus pervenîre cœléstia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Ad Tertiam, Aña. Apprehéndens. Capitulum. Quando orábas, ut supra.

℟. brev. Præcínctus Ráphaël, * Intrâvit in domum Tobíæ. Præcínctus. ℣. Et cum gáudio salutâvit eum. Intrâvit in domum Tobíæ. Glória Patri. Præcínctus. ℣. Missus est à Dómino Ráphaël ángelus. ℟. Ut sanâret Tobíam, & Saram.

Digitized by Google

Ad Sextam, Aña. Recordâtus Tobías.

Capitulum. *Tobiæ* 12. *c*

NUnc autem misit me Dóminus, ut curârem te, & Saram uxôrem filii tui á dæmónio liberârem.

℟. brev. Missus est à Dómino * Ráphaël ángelus. Missus est. ℣. Ut sanâret Tobíam & Saram. Ráphaël ángelus. Glória Patri. Missus est. ℣. In conspéctu angelôrum psallam tibi Deus meus. ℟. Et adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Ad Nonam, Aña. Audiens.

Capitulum. *Tobiæ* 12. *d*

TEmpus est ut revértar ad eum qui me misit; vos autem benedícite Dóminum, & enarrâte ómnia mirabília ejus.

℟. brev. In conspéctu angelôrum * Psallam tibi Deus meus. In conspéctu angelôrum. ℣. Et adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo. Psallam tibi Deus meus. Glória Patri. In conspéctu. ℣. Unus ex septem est Ráphaël. ℟. Qui assístunt ante Dóminum.

Ad Vesperas omnia ut in primis, sed loco ultimi. Psal. Confitêbor tibi Dómine in toto corde meo; * Quóniam. 104.

Ad Magnificat,

Aña. Ego sum Ráphaël unus ex septem, qui astâmus ante Dóminum: & cùm hoc dixísset, ablâtus est ab aspéctu eôrum.

Oratio Deus, qui beâtum Raphaêlem, ut supra.

Et fit commem. Ss. martyrum Januarii Episcopi, & Sociorum.

Aña. Istôrum est enim.

℣. Lætámini in Dómino. 71.

Oratio.

DEus, qui nos ánnua sanctôrum mártyrum tuôrum Januárii & Sociôrum ejus solemnitâte lætíficas: concêde propítius; ut quorum gaudêmus méritis, accendâmur exémplis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE XXIII. SEPTÉMBRIS.

In Vigilia Apparitionis beatissimæ virginis Mariæ de Mercede.

Officium fit de Vigilia.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio j. *Cap.* 11. *d*

IN illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Dómine cœli & terræ, quia abscondísti hæc à sapiéntibus & prudéntibus, & revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Ho-

Homilia sancti Augustini Epiſcopi.

Serm. 10. *de verbis Domini.*

VEnite ad me omnes qui laborâtis. Quare enim omnes laborâmus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infirmi, lútea vasa portántes, quæ fáciunt invicem angústias? Sed si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia charitâtis. Quid ergo dicit: Venite ad me omnes qui laborâtis, nisi ut non laborêtis? Dénique promíssio ejus in promptu est, quóniam laborántes vocâvit, Quærent fortè, qua mercêde vocâti sunt: Et ego vos, inquit, reficiam. Tóllite jugum meum super vos, & díscite à me, non mundum fabricâre, non cuncta visibília & invisibília creâre, non in ipso mundo mirabília fácere, & mórtuos suscitâre; Sed, quóniam mitis sum, & húmilis corde.

Responsoria de Feria occurrenti; nisi fuerint Responsoria de primo Nocturno Dominicæ præcedentis primo ponenda.

Lectio ij.

MAgnus esse vis? à mínimo íncipe. Cógitas magnam fábricam construére celsitúdinis? de fundaménto priùs cógita humilitâtis. Et quantam quisque vult & dispônit superimpónere molem ædificii, quantò erit majus ædificium, tantò áltiùs fodit fundaméntum. Et fábrica quidem cùm constrúitur, in supérna consúrgit: qui autem fodit fundaméntum, ad ima deprímitur. Ergo & fábrica ante celsitúdinem humiliátur, & fastígium post humiliatiônem erígitur.

Lectio iij.

QUod est fastígium construéndæ fábricæ, quam molímur? quò perventûrum est cacúmen ædificii? Citò dico, usque ad conspéctum Dei. Vidêtis quàm excélsum est, quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, & quod dico, & quod audit, intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, vidéntem vidêre. Nam qui colunt falsos deos, fácilè illos vident: sed eos vident, qui óculos habent, & non vident. Nobis autem promíttitur vísio Dei vivéntis & vidéntis.

In Laudibus dicuntur Preces feriales, sicut in Feriis, & Vigiliis, in quibus jejunatur, ut in Psalterio.

Oratio.

ADjuva nos omnípotens & miséricors Deus: ut tibi mundis córdibus placeâmus,

mus, qui solemnitátem Apparitiônis sanctíssimæ vírginis & institutrícis nostræ Maríæ corporálibus abstinéntiis prævenîmus. Per Dóminum nostrum.

Deinde pro commemoratione S. Theclæ virginis & martyris.

Aña. Símile est regnum cœlôrum. 51.

℣. Diffûsa est grátia.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus; ut qui beátæ Theclæ vírginis & mártyris tuæ natalítia cólimus, & ánnua solemnitâte lætêmur, & tantæ fidei proficiâmus exémplo.

Postea fiunt commemorat. communes, seu suffragia sanctorum cum commemoratione de Cruce ante eas.

Post Laudes dicitur Officium Defunctorum, juxta Rubricas.

Si festum Apparitionis venerit Feria secunda, tunc de Vigilia fit Officium in Sabbato præcedenti, & in Dominica, commemorat. sanctæ Theclæ.

Ab hac die Vigiliæ usque ad Octavam Apparitionis fit de eadem Apparitione, nullo alio festo admisso, præter festum Apparitionis ejusdem beatæ Mariæ virginis in choro Barchinonensi, celebrandum in Domin. infra Octav. ut infra: & Dedicationem sancti Michaëlis Archangeli, juxta dicta in Rubrica. §. 2. num. 4. & sequentib.

De festis vero simplicibus infra prædictam Octavam fit tantum commemoratio.

DIE

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

IN FESTO APPARITIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MERCEDE, REDEMPTIONIS CAPTIVORUM,

Duplex primæ classis cum Octava.

ABSOLÚTIO GENERÁLIS.

Ad Vesperas, Aña.

VIdi captivitâtem pópuli mei, filiórum meórum, & filiârum meârum, quam superdúxit illis ætérnus.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtûtis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominâre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtûtis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurâvit Dóminus, & non pœnitêbit eum: * Tu es Sacerdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis: * confrêgit in die iræ suæ reges.

Judicâbit in natiónibus, implêbit ruinas: * conquassâbit cápita in terra multôrum.

De torrénte in via bibet: * proptéreà exaltâbit caput.

Aña. Vidi captivitâtem pópuli mei, filiórum meórum, & filiârum meârum, quam superdúxit illis ætérnus.

Aña. Cónteram virgam ejus de dorso tuo, & víncula tua disrúmpam.

Psal-

Digitized by Google

Psalmus 112.

LAudâte púeri Dóminum: * laudâte nomen Dómini.
Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.
A solis ortu usque ad occâsum, * laudábile nomen Dómini.
Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.
Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo, & in terra?
Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem.
Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.
Qui habitâre facit stérilem in domo, * matrem filiôrum lætántem.
Aña. Cónteram virgam ejus de dorso tuo, & víncula tua disrúmpam. Aña. In funículis Adam traham eos, in vínculis charitâtis.

Psalmus 121.

LÆtâtus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.
Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.
Jerúsalem, quæ ædificâtur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idipsum.
Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.
Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.
Rogâte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te.
Fiat pax in virtûte tua: * & abundántia in túrribus tuis.
Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.
Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.
Aña. In funículis Adam traham eos, in vínculis charitâtis. Aña. Ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.
Nisi Dóminus custodíerit civitâtem, * frustra vígilat qui custôdit eam.
Vanum est vobis ante lucem súrgere, * súrgite postquam sedéritis, qui manducâtis panem dolôris.
Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Si-

Digitized by Google

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita filii excussôrum.
Beâtus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundêtur, cùm loquêtur inimícis suis in portâ.
Aña. Ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris. Aña. Non fecit táliter omni natióni: & judícia sua non manifestâvit eis.

Psalmus 147.

LAuda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.
Quóniam confortâvit seras portârum tuârum: * benedíxit filiis tuis in te.
Qui pósuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.
Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.
Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.
Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinêbit?
Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.
Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias, & judícia sua Israël.
Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestâvit eis.
Aña. Non fecit táliter omni natióni: & judícia sua non manifestâvit eis.

Capitulum. *Eccli.* 24. *c*

EGo quasi vitis fructificávi suavitâtem odôris: & flores mei fructus honôris, & honestâtis. Ego mater pulchræ dilectiônis, & timôris, & agnitiônis, & sanctæ spei.

Hymnus.

DEi mater Virgo,
Absque casu stella,
Pulchra tamquam luna,
Utque sol elécta.

Nostras audi preces
Tu, quæ captivôrum
Miserâta questus,
Cónteris caténas.

O ter fausta dies,
Qua conspéctu tuo
Sédulum pro votis,
Recreásti Petrum!

O nimis profúndus
Charitâtis ardor!
Sic à culpa solve
Quos à jugo solvis.

Agit iste grates
Ordo, quem benígna
Voce demonstrásti
Consecrándum tibi.

Tuo, diva parens,
Gnatos reple zelo,
Ut corde sequâmur,
Ore quod vovêmus.

Et laus, qui simplex,
Personísque Trinus,
Cóntulit Maríam
Nobis in paréntem.
Amen.

℣.

Digitized by Google

℣. A Dómino factum est istud. ℟. Et est mirábile in óculis nostris.

Ad Magnificat,

Aña. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se: & in me ancílla sua adimplêvit misericórdiam, quam promísit dómui Israël, allelúia.

Orátio.

DEus, qui per gloriosíssimam Filii tui Matrem, ad liberándos Christi fidéles à potestâte paganôrum, nova Ecclésiam tuam prole amplificâre dignátus es: præsta, quæsumus, ut quam piè venerâmur tanti óperis institutrícem, ejus páriter méritis & intercessiône à peccátis ómnibus, & captivitâte dæmonis liberêmur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Apparitiônem beatíssimæ vírginis Maríæ celebrêmus: * Christum Redemptôrem Fílium ejus adorêmus Dóminum. Psalm. Venite, exultemus. 16.

Hymnus.

ELécta proles, máximam
Tuam paréntem dícito:
Per quam fidéles éximis
Ab impiôrum néxibus.
Vidéndo Mater óptima
Geméntium discrímina,
Tribus revélat téstibus
Istum pietâtis Ordinem.
Dignâtur inde súmere
Viris ab istis únicum,
Qui à servitûte próximum,
Se mancipándo, víndicet.
Captivitâtis víncula
Solûta sunt per Vírginem:
Ejus sub aras glóriam
Géntes redémptæ pláudite.
Par est, alúmni, grátias
Honôris illi péndere,
Quæ nos jubet pro frátribus
Nodos subíre bárbaros.
Sit laus Patri cum Filio,
Qui nos redêmit pérditos,
Tibíque sancte Spíritus
Laus sit per omne séculum. Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium, & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum, & ultôrem.

Quóniam vidêbo cœlos tuos, ópera digitôrum tuôrum: * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor

mor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?
Minuísti eum paulò minus ab ángelis, glória & honôre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuârum.
Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi.
Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.
Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Aña. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni.
Aña. A summo cœlo egréssio ejus, ut non sit qui se abscóndat à calôre ejus.

Psalmus 18.

CŒli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.
Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.
Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eôrum.
In omnem terram exîvit sonus eôrum: * & in fines orbis terræ verba eôrum.
In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.
Exultâvit ut gigas ad curréndam viam, * à summo cœlo egréssio ejus.
Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat à calôre ejus.
Lex Dómini immaculâta convértens ánimas: * testimónium Dómini fidêle, sapiéntiam præstans párvulis.
Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.
Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificâta in semetípsa.
Desiderabília super aurum, & lápidem pretiôsum multum: * & dulciôra super mel & favum.
Etenim servus tuus custôdit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.
Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.
Si mei non fúerint domináti, tunc immaculâtus ero: * & emundâbor à delícto máximo.
Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.
Dómine adjútor meus, * & redémptor meus.
Aña. A summo cœlo egréssio ejus,

ejus, ut non ſit qui ſe abſcóndat à calóre ejus. Aña. Fundâvit eam Altíſſimus, ſuper mária fundâvit eam, & ſuper flúmina præparâvit eam.

Psalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitûdo ejus: * orbis terrârum, & univérſi, qui hábitant in eo.

Quia ipſe ſuper mária fundâvit eum: * ſuper flúmina præparâvit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accêpit in vano ánimam ſuam, nec jurâvit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiônem à Dómino: * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes veſtras, & elevámini portæ æternáles: * & introîbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens: Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes veſtras, & elevámini portæ æternáles: * & introîbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtûtum ipſe eſt Rex glóriæ.

Aña. Fundâvit eam Altíſſimus, ſuper mária fundâvit eam, & ſuper flúmina præparâvit eam. ℣. Tu exúrgens miſeréberis Sion. ℟. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

De Cánticis Canticôrum.

Lectio j. *Cap.* 2.

EGo flos campi, & lílium convállium. Sicut lílium inter ſpinas, ſic amîca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna ſylvârum, ſic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illîus, quem deſideráveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinâvit in me charitâtem. Fulcîte me flóribus, ſtipâte me malis, quia amôre lángueo. Læva ejus ſub cápite meo, & déxtera illîus amplexábitur me. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge própera amîca mea, colúmba mea, formôſa mea, & veni. Jam enim hyems tránſiit, imber ábiit, & recéſſit. Flores apparuérunt in terra noſtra, tempus putatiônis advênit: vox túrturis audîta eſt in terra noſtra, ficus prótulit groſſos ſuos: víneæ floréntes dedérunt odôrem ſuum. Surge amîca mea, ſpecióſa mea, & veni: colúmba mea in foramí-

Digitized by Google

mínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, & fácies tua decôra. ℟. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinâvit in me charitâtem. Fulcíte me flóribus, stipâte me malis: * Quia amôre lángueo. ℣. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. Quia.

Lectio ij. *Cap.* 4. *b*

TOta pulchra es amíca mea: & mácula non est in te. Veni de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir & Hermon, de cubílibus leônum, de móntibus pardôrum. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculôrum tuôrum, & in uno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchrióra sunt úbera tua vino, & odor unguentôrum tuôrum super ómnia arómata. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentôrum tuôrum sicut odor thuris. Hortus conclûsus soror mea sponsa, hortus conclûsus, fons signâtus. Emissiónes tuæ paradîsus malôrum punicôrum cum pomôrum frúctibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamômum cum univérsis lignis Líbani, myrrha & áloë cùm ómnibus primis unguéntis. Fons hortôrum: púteus aquârum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano. ℟. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: * Et odor vestimentôrum tuôrum sicut odor thuris. ℣. Emissiônes tuæ paradîsus malôrum punicôrum cum pomôrum frúctibus. Et odor vestimentôrum.

Lectio iij. *Cap.* 8.

QUæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innîxa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violâta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammârum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitâtem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectiône, quasi nihil despíciet eam. Soror nostra parva, & úbera non habet: quid faciémus sorôri nostræ in die quando alloquénda est? Si murus est,

Digitized by Google

est, ædificêmus super eum propugnácula argéntea: si óstium est, compingâmus illúd tábulis cédrinis. Ego murus: & úbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico in ea, quæ habet pópulos: trádidit eam custódibus, vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vínea mea coram me est. Mille tui pacífici, & ducénti his, qui custódiunt fructus ejus. Quæ hábitas in hortis, amíci auscúltant, fac me audíre vocem tuam.

℟. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: * Quia fortis est ut mors diléctio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammârum. ℣. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitâtem, nec flúmina óbruent illam. Quia fortis est. Glória Patri. Quia fortis est.

In secundo Nocturno.

Aña. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentôrum tuôrum sicut odor thuris.

Psalmus 44.

Eructâvit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velócitèr scribéntis.

Speciôsus forma præ filiis hóminum, diffûsa est grátia in lábiis tuis: * proptéreà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua & pulchritúdine tua * inténde, prósperè procéde, & regna.

Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedûcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicôrum regis.

Sedes tua Deus in séculum séculi: * virga directiônis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitâtem: * proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honôre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deaurâto, * circúmdata varietâte.

Audi filia, & vide, & inclína aurem tuam: * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet Rex decôrem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Digitized by Google

Et filiæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur, omnes dívites plebis.
Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus * in fimbriis áureis circumamícta varietátibus.
Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.
Afferéntur in lætítia & exultatiône: * adducéntur in templum Regis.
Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.
Mémores erunt nóminis tui * in omni generatiône & generatiônem.
Proptéreà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in séculum séculi.
Aña. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentôrum tuôrum sicut odor thuris. Aña. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, & fácies tua decôra.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium, & virtus: * adjûtor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.
Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.
Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eôrum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.
Flúminis ímpetus lætíficat civitâtem Dei: * sanctificâvit tabernáculum suum Altíssimus.
Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvâbit eam Deus manè dilúculò.
Conturbâtæ sunt gentes, & inclinâta sunt regna, * dedit vocem suam, mota est terra.
Dóminus virtûtum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.
Venite, & vidête ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.
Arcum cónteret, & confrínget arma: * & scuta combûret igni.
Vacâte, & vidête quóniam ego sum Deus: * exaltâbor in géntibus, & exaltâbor in terra.
Dóminus virtûtum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.
Aña. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, & fácies tua decôra.
Aña. Gloriôsa dicta sunt de te cívitas Dei.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion su-

per ómnia tabernácula Jacob.
Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.
Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.
Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.
Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea: * & ipse fundâvit eam Altíssimus?
Dóminus narrâbit in scriptúris populôrum, & príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.
Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.
Aña. Gloriósa dicta sunt de te cívitas Dei. ℣. Non fecit táliter omni natiôni. ℟. Et judícia sua non manifestâvit eis.

Lectio iv.

QUo témpore major, feliciórque Hispaniârum pars diro Saracenôrum opprimebâtur jugo, innumeríque fidéles sub immáni servitûte, máximo cum perículo Christiánæ fidei abjurándæ, amittendæque salûtis ætérnæ infelíciter detinebántur, beatíssima cœlôrum Regina, tot tantísque benígniter occúrrens malis, nímiam charitâtem suam in iis rediméndis osténdit. Nam sancto Petro Nolásco pietâte & ópibus florénti, qui sanctis vacans meditatiónibus júgiter ánimo recogitâbat, qua ratiône tot Christianôrum ærúmnis sub Maurôrum captivitâte degéntium succúrri posset; ípsamet beatíssima Virgo seréna fronte se conspiciéndam dedit, & acceptíssimum sibi, ac Unigénito suo Fílio fore dixit, si suum in honôrem instituerêtur Ordo religiosôrum, quibus cura incúmberet captívos è Turcârum tyránnide liberándi. Qua cœlésti visiône vir Dei recreâtus, mirum est, quo charitâtis ardôre flagrâre cœperit, hoc unum servans in corde suo, ut ipse, ac instituénda ab eo relígio máximam illam charitâtem sédulò exercérent, ut quisque ánimam suam póneret pro amícis & próximis suis.
℟. Surge, própera amica mea, colúmba mea, formôsa mea, & veni. * Jam enim hyems tránsiit, imber ábiit, & recéssit. ℣. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiônis advénit: vox túrturis audita est in terra nostra: víneæ floréntes dedérunt odôrem suum. Jam enim.

Lectio v.

EA ipsa nocte eádem Virgo sanctíssima beato Raimúndo de Peñáfort, & Ja-

Jacobo Aragóniæ regi appáruit, idípsum de Religiósis instituéndis ádmonens, suadénsque, ut opem pro constructiône tanti óperis ferrent. Petrus autem statim ad Raimúndi pedes, qui ipsi erat à sacris confessiónibus, ádvolans, ei rem omnem apéruit: quem étiam cœlitus instrúctum réperit, ejusque directióni se humíllimè subjécit. At superveniens Jacóbus Rex, quam & ipse accéperat à beatíssima Vírgine revelatiônem éxequi státuit. Unde collátis inter se consíliis, & consentiéntibus ánimis, in honôrem ejúsdem Vírginis matris Ordinem instituere aggréssi sunt, sub invocatiône sanctæ Maríæ de Mercéde redemptiônis captivôrum.

℟. Diléctus meus mihi, & ego illi. * Qui páscitur inter lília, donec aspíret dies, & inclinéntur umbræ. ℣. Ego dilécto meo, & ad me convérsio ejus. Qui páscitur.

Lectio vj.

Die ígitur décima Augústi, anno Dómini millésimo ducentésimo décimo octávo, rex idem Jacóbus eam Institutiônem, jam pridem ab iísdem sanctis viris concéptam, éxequi státuit, sodálibus quarto voto adstríctis manéndi in pignus sub pagandrum potestáte, si pro Christianôrum liberatiône opus fúerit. Quibus Rex ipse arma sua régia in péctore deférre concéssit, & à Gregório Nono illud tam præcelléntis erga próximum charitâtis Institûtum & religiônem confirmári curâvit. Sed & ipse Deus per Vírginem matrem increméntum dedit, ut talis Institútio celériùs, ac felíciùs totum per orbem divulgarêtur, sanctísque viris florúerit charitâte ac pietâte insígnibus, qui eleëmósynas à Christi fidélibus colléctas in prétium redemptiônis suôrum proximôrum expénderent, seque ipsos intérdum darent in redemptiônem multôrum. Ut autem tanti benefícii & Institutiônis débitæ Deo & Vírgini matri referántur grátiæ, Sedes Apostólica hanc peculiârem festivitâtem celebrári, & officium recitári indúlsit, cùm ália ferè innúmera eídem Ordini privilégia páritèr contulísset.

℟. Quæ hábitas in hortis, amíci auscúltant: * Fac me audíre vocem tuam. ℣. Surge amíca mea, speciósa mea, & veni: osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis; vox enim tua dulcis, & fácies tua decôra. Fac me. Glória Patri. Fac me.

In tertio Nocturno.

Aña. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculôrum tuôrum.

Psalmus 95.

CAntâte Dómino cánticum novum: * cantâte Dómino omnis terra.

Cantâte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiâte de die in diem salutâre ejus.

Annuntiâte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritûdo in conspéctu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatiône ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honôrem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hostias, & introîte in âtria ejus: * adorâte Dóminum in âtrio sancto ejus.

Commoveâtur à fácie ejus univérsa terra:* dícite in géntibus quia Dóminus regnâvit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicâbit pópulos in æquitâte.

Læténtur cœli, & exúltet terra, commoveâtur mare, & plenitûdo ejus: * gaudébunt campi & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvârum à fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicâre terram.

Judicâbit orbem terræ in æquitâte, * & pópulos in veritâte sua.

Aña. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculôrum tuôrum. Aña. Pulchrióra sunt úbera tua vino, & odor vestimentôrum tuôrum super ómnia arómata.

Psalmus 96.

DÓminus regnâvit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus: * justítia, & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcêdet, * & inflammâbit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commôta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini: * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * & vidérunt om-

omnes pópuli glóriam ejus.
Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * & qui gloriántur in simulácris suis.
Adoráte eum omnes ángeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.
Et exultavérunt fíliæ Judæ,* propter judícia tua Dómine.
Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltâtus es super omnes deos.
Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custôdit Dóminus ánimas sanctôrum suôrum, de manu peccatôris liberâbit eos.
Lux orta est justo: * & rectis corde lætítia.
Lætámini justi in Dómino: * & confitémini memóriæ sanctificatiônis ejus.
Aña. Pulchriôra sunt úbera tua vino, & odor vestimentôrum tuôrum super ómnia arómata. Aña. Hymnum cantêmus Dómino, hymnum novum cantêmus Deo nostro.

Psalmus 97.

CAntâte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.
Salvâvit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.
Notum fecit Dóminus salutâre suum: * in conspéctu géntium revelâvit justítiam suam.
Recordâtus est misericórdiæ suæ,* & veritâtis suæ dómui Israël.
Vidérunt omnes términi terræ * salutâre Dei nostri.
Jubilâte Deo omnis terra: * cantâte, & exultâte, & psállite.
Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi: * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.
Jubilâte in conspéctu regis Dómini: * moveâtur mare, & plenitûdo ejus; orbis terrârum, & qui hábitant in eo.
Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini: * quóniam venit judicâre terram.
Judicâbit orbem terrârum in justítia: * & pópulos in æquitâte.
Aña. Hymnum cantêmus Dómino, hymnum novum cantêmus Deo nostro. ℣. Memor esto congregatiônis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19. *e*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Digitized by Google

Homilía S. Ambrósii Epísc.
Ex Epist. 82. ad Vercell. Eccles. prope finem.

MAría mater Dómini ante crucem Fílii stabat: nullus me hoc dócuit, nisi sanctus Joánnes Evangelísta: mundum álii concússum in passióne Dómini conscripsérunt: cœlum ténebris obdúctum, refugísse solem, in paradísum latrônem, sed post piam confessiônem recéptum: Joánnes dócuit, quod álii non docuérunt, quemádmodum in cruce pósitus, matrem appelláverit. Pluris putâtur, quòd victor suppliciôrum pietâtis officia Matri exhibêbat, quàm quòd regnum cœléste donâbat. Nam si religiôsum est, quòd latróni donâtur vénia, multò uberiôris pietátis est, quòd à Fílio Mater tanto afféctu honorâtur: Ecce, inquit, Fílius tuus: Ecce Mater tua.

℟. Ego quasi vitis fructificávi suavitâtem odôris: * Et flores mei fructus honôris, & honestâtis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiônis, & timôris, & agnitiônis, & sanctæ spei. Et flores. Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viij.

TEstabâtur de cruce Christus, & inter Matrem atque discípulum dividêbat pietâtis officia. Condêbat Dóminus non solùm públicum, sed étiam doméſticum testaméntum. Et hoc ejus testaméntum signâbat Joánnes, dignus tanto testatôre testis. Bonum testaméntum non pecúniæ, sed vitæ ætérnæ, quod non atraménto scriptum est, sed spíritu Dei vivi, qui ait: Lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis. Sed María, nec minor quàm Matrem Christi decêbat, fugiéntibus Apóstolis, ante crucem stabat, & piis spectâbat óculis Fílii vúlnera, quia expectâbat non pígnoris mortem, sed mundi salûtem: aut fortássè quia cognóverat per Fílii mortem mundi redemptiônem, aula regâlis étiam sua morte putâbat, se áliquid público additûram múneri.

℟. Beâta es María Dei génitrix patrôna, & auxiliátrix nostra: * Cujus nutu hæc tua ad fidélium redemptiônem institûta est relígio. ℣. Tua sancta intercessiône ádjuva nos Virgo immaculâta. Cujus nutu. Glória Patri. Cujus.

Lectio ix.

SEd Jesus non egêbat adjutôre ad redemptiônem ómnium, qui omnes sine adjutório servâvit. Unde & dicit: Factus sum sicut homo sine

ne adjutório inter mórtuos liber. Suscêpit quidem afféctum paréntis, sed non quæsívit altérius auxílium. Hanc imitámini matres sanctæ, quæ in único Fílio dilectíssimo tantum matérnæ virtútis exémplum édidit. Nec enim vos dulcióres líberos habêtis, neque illud virgo quærêbat sólátium, quod álium posset generâre fílium.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

INtrodúxit me in cellam vináriam, ordinâvit in me charitâtem. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Fulcíte me flóribus, stipâte me malis, quia amôre lángueo. Aña. Sicut vitta coccínea lábia tua, & elóquium tuum dulce. Aña. Fortis est ut mors diléctio: lámpades ejus lámpades ignis, atque flammârum. Aña. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt, & laudavérunt eam.

Capitulum. *Eccli.* 24. *c*

EGo quasi vitis fructificávi suavitâtem odôris: & flores mei fructus honôris, & honestâtis. Ego mater pulchræ dilectiônis, & timôris, & agnitiônis, & sanctæ spei.

Hymnus.

GAude propágo cándida,
Quam Mater alma Núminis.
Perfectiônis últimum
Optâre jussit vérticem.
Haud ulla major cháritas,
Quam pro salûte próximi
Vitam suam profúndere,
Divîna dixit véritas.
Est morte pejor sérvitus,
Quæ bárbaris impénditur:
Istam subîre vírgini
Jurâta nos cogit fides.
O vera, Christe, cháritas,
Incénde amôre péctora,
Dissólve cordis víncula,
Rumpens caténas Tártari.
Da servitûtem líberam
Omnes tibi persólvere,
Matríque sacrátos tuæ
Vitam beâtam dúcere.
Sit laus Patri cum Filio,
Qui nos redêmit pérditos:
Tibíque sancte Spíritus,
Laus sit per omne séculum. Amen.

℣. Magnificâvit Dóminus fácere nobíscum. ℞. Facti sumus lætántes.

Ad Benedictus,

Aña. Salûtâte Maríam, quæ multum laborâvit in vobis: & dícite: Ave cleméntiæ Mater, Consolátrix afflictôrum, Redémptrix Captivôrum. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúia.

Digitized by Google

Oratio.

DEus, qui per gloriosíssimam Filii tui Matrem ad liberándos Christi fidéles à potestâte paganôrum, nova Ecclésiam tuam prole amplificâre dignâtus es: præsta quæsumus; ut quam piè venerâmur tanti óperis institutrícem, ejus páriter méritis & intercessiône à peccâtis ómnibus, & captivitâte dæmonis liberêmur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tertiam, Aña. Fulcíte me flóribus. Capitulum. Ego quasi vitis, ut suprà.

℟. brev. Tu exúrgens * Miseréberis Sion. Tu exúrgens. ℣. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. Miseréberis Sion. Glória Patri. Tu exúrgens. ℣. Non fecit táliter omni natióni. ℟. Et judícia sua non manifestâvit eis.

Ad Sextam, Aña. Sicut vitta coccínea.

Capitulum. *Cant.* 8. *b*

POne me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors dilέctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammârum. ℟. brev. Non fecit táliter* Omni natióni. Non fecit. ℣. Et judícia sua non manifestâvit eis. Omni natióni. Glória Patri. Non fecit táliter. ℣. Memor esto congregatiônis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Ad Nonam, Aña. Surrexérunt filii ejus.

Capitulum. *Cant.* 8. *b*

AQuæ multæ non potuérunt extínguere charitâtem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectiône, quasi nihil despíciet eam.

℟. brev. Memor esto* Congregatiônis tuæ. Memor esto. ℣. Quam possedísti ab inítio. Congregatiônis tuæ. Glória Patri. Memor esto. ℣. Magnificâvit Dóminus fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis.

℣. Réspice de cœlo, & vide, & vísita víneam istam. ℟. Et pérfice eam, quam plantâvit déxtera tua.

Ad Magnificat,

Aña. O Virgo vírginum, quàm pulchra es & decôra in delíciis! Tu fons pietâtis, humános miserâta questus, te conspiciéndam dedísti, ut edúceres vinctos de ténebris & um-

Digitized by Google

umbra mortis, & víncula eô-rum disrúmperes, allelúia.

Infra Octavam omnia ut in die festo, præter Lectiones, quæ in primo Nocturno leguntur de Scriptura occurrente: in aliis vero Nocturnis, prout infra assignantur, ac etiam ut deserviant Officio Semid. semel in Hebdomada, qualibet Feria tertia recitando, juxta dicta in Rubricis.

Dominica infra Octavam Apparitionis B. Mariæ virginis de Mercede.

Festum Apparitionis ejusdem beatæ Mariæ virginis factæ S. P. N. Petro Nolasco Horas Canonicas recitanti in choro Barchinonensi. Duplex majus.

Omnia, ut in Breviar. Romano in festo B. Mariæ virginis ad Nives, præter Lectiones secundi Nocturni, quæ sumuntur, De expositione S. Gregorii Papæ in Libros Regum: Fuit vir unus de Ramáthaïm Sophim, ut supra in die Octava Purificationis beatæ Mariæ virginis, 54. cum ℟℟. sequentib.

℟. iv. Sicut cedrus exaltâta sum in Líbano, & sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta * Dedi suavitâtem odôris. ℣. Et sicut cinnamômum, & bálsamum aromatízans. Dedi.

℟. v. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, & formósa tamquam Jerúsalem?* Vidérunt eam filiæ Sion, & beâtam dixérunt, & regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosârum, & lília convállium. Vidérunt.

℟. vj. Ornâtam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupîvit;* Et vidéntes eam filiæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes:* Unguéntum effûsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestítu deaurâto, circúmdata veritâte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno nona Lectio de Homilia Dominicæ occurrentis, & fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis & Laudibus sine commemorat. Octavæ.

DIE XXV. SEPTÉMBRIS.

Secunda die infra Octavam Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede.

Pro ménsibus Januárii & Februárii.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustíni Episc.

De sancta Virginitate.

Lectio iv.

SCriptum est in Evangélio, quòd Mater & fratres Christi, hoc est, consanguí-

guínei carnis ejus, cum illi nuntiáti fuíssent, & foris expectárent, quia non possent eum audíre pre turba, ille respóndit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et exténdens manum super discípulos suos ait: Hi sunt fratres mei; & quicúmque fécerit voluntâtem Patris mei, ipse mihi frater, & mater, & soror est. Quid áliud nos docens, nisi carnáli cognatióni genus nostrum spiritâle præpónere: nec inde beátos esse hómines, si justis & sanctis carnis propinquitâte jungúntur, sed si eôrum doctrínæ ac móribus obediéndo atque imitándo cohæréscunt?

℟. Surge, própera. 226.

Lectio v.

BEátior ergo María percipiéndo fidem Christi, quàm concipiéndo carnem Christi. Nam & dicénti cuidam, Beâtus venter qui te portâvit, ipse respóndit: Imò beáti qui áudiunt verbum Dei & custódiunt illud. Dénique frátribus ejus, id est, secúndùm carnem cognátis, qui non in eum credidérunt, quid prófuit illa cognátio? Sic & matérna propínquitas nihil Maríæ profuísset, nisi felíciùs Christum corde quàm carne gestásset. Ipsa quoque virgínitas ejus ídeo grátior & accéptior, quia non eam concéptus Christus viro violatúro quam conservâret ipse præripuit, sed priúsquam conciperêtur, jam Deo dicâtam de qua nascerêtur, elêgit.

℟. Diléctus meus. 227.

Lectio vi.

HOc índicant verba, quæ sibi fœtum annuntiánti Angelo María réddidit: Quómodo, inquit, fiet istud, quóniam virum non cognósco? Quod proféctò non díceret, nisi Deo vírginem se ante vovísset. Póterat & jubéri virgo permanêre, in qua Dei Fílius formam servi congruénti miráculo accíperet: sed exémplo sanctis futûra virgínibus, ne putarêtur sola virgo esse debuísse, quæ prolem étiam sine concúbitu concípere meruísset (virginitátem Deo dicâvit, cùm adhuc quid esset conceptûra nescíret) ut in terréno mortalíque córpore cœléstis vitæ imitátio voto fieret, non præcépto, amôre eligéndi, non necessitâte serviéndi: ita Christus nascéndo de vírgine, quæ ántequam sciret, quis de illa fúerat nascitûrus, virgo statuérat permanêre, virginitâtem sanctam approbâre maluit, quàm imperâre.

℟. Quæ hábitas. 227.

In

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19. *e*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex tract. 119. *in Joan. cap.* 19.

ET ex illa hora accêpit eam discípulus in sua. Hæc nimírum est illa hora, de qua Jesus aquam conversûrus in vinum, díxerat Matri: Quid mihi & tibi est múlier? Nondum venit hora mea. Hanc ítaque horam prædíxerat, quæ tunc nondum vénerat, in qua debêret agnóscere matrem moritúrus, de qua fúerat mortáliter natus. Tunc ergo divína factûrus, non divinitâtis, sed infirmitâtis matrem velut incógnitam repellêbat: nunc autem humâna jam pátiens ex qua fúerat factus homo, afféctu commendâbat humáno: tunc enim qui Maríam creáverat, innotescêbat in virtûte: nunc verò quem María pepérerat, pendêbat in Cruce. Morâlis ígitur insinuâtur locus, facit quod faciéndum ádmonet, & exémplo suo suos minístros instrúxit præcéptor bonus, ut à filiis piis impendâtur cura paréntibus, tamquam lignum illud, ubi erant fixa membra moriéntis, étiam câthedra fúerit Magístri docéntis.

℟. Ego quasi vitis. 230.

Lectio viij.

ET ex illa hora accêpit eam discípulus in sua. De seípso dicens: sic quippe commemorâre solet, quòd eum diligêbat Jesus, qui útique omnes, seípsum præ cæteris & familiárius diligêbat, ita ut in convívio super pectus suum discúmbere fáceret: credo ut istíus Evangélii, quod per eum fúerat prædicatûrus, divínam excelléntiam hoc modo áltiùs commendâret. Sed in quæ sua Joánnes matrem Dómini accêpit? Neque enim non ex eis erat, qui dixérunt ei: Ecce nos dimísimus ómnia, & secúti sumus te: sed ibi quoque audíerat, Quicúmque ista dimíserit propter me, accípiet in hoc século centies tantùm. Habêbat ergo discípulus centuplíciter plura, quàm dimíserat, in quæ suscíperet ejus matrem, qui hæc illi donáverat? Sed in ea societâte beâtus Joánnes recéperat céntuplum, ubi nemo dicêbat áliquid suum, sed erant illis ómnia commúnia, sicut in Apostolôrum Actibus scriptum est:

est: Sic enim Apóstoli erant, quasi nihil habéntes & ómnia possidéntes.

℟. Beáta es María. 230.

Lectio ix.

QUómodo ergo matrem Magístri & Dómini sui discípulus & fámulus accêpit in sua, ubi áliquid suum nemo dicêbat? An quia paulò pòst in eôdem libro légitur: Quotquot enim possessóres prædiôrum, vel domórum erant, vendéntes afferébant prétia eôrum, & ponébant ad pedes Apostolôrum; distribuebâtur autem unicuíque prout cuique opus erat: intelligéndum est sic distribûtum fuísse huic discípulo quòd opus erat, ut illic étiam beátæ Maríæ tamquam matris ejus portio ponerêtur? Magísque sic debêmus accípere quod dictum est: Ex illa hora suscêpit eam discípulus in sua: ut ad ejus curam quidquid ei esset necessárium pertinêret. Suscêpit ergo eam in sua, non prædia, quæ nulla própria possidêbat, sed officia, quæ própria dispensatiône exequénda curâbat.

Te Deum laudâmus. 28.

In secundis Vesperis fit commemoratio Ss. Cypriani & Justinæ martyrum.

Aña. Istôrum est enim.

℣. Lætámini in Dómino. 71.

Oratio.

BEatôrum mártyrum Cypriáni & Justínæ nos Dómine fóveant continuâta præsídia: quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XXVI. SEPTÉMBRIS.

Tertia die infra Octavam Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede.

Pro ménsibus Mártii & Aprílis.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbâtis.

Sermone de Nativitate beatæ Mariæ virginis.

Lectio iv.

PLena est grátia, & grátiam adhuc invênit? Digna prorsùs invenîre quod quærit, cui própria non súfficit plenitûdo, nec suo potest esse conténta bono; sed quemádmodum scriptum est: Qui bibit me adhuc sítiet; petit supereffluéntiam ad salûtem universitâtis. Spíritus sanctus, ait, supervéniet in te, & pretiôsum illud bálsamum tanta tibi cópia, tantâque plenitúdine ínfluet, ut copiosíssimè éffluat circumquâque. Ita est, jam sentîmus, jam exhilarántur fácies nostræ in óleo, jam clamâmus: Oleum effûsum nomen tuum, & memoriâ-

riále tuum in generatiône & generatiônem.

℟. Surge, própera. 226.

Lectio v.

VErum id quidem, non in vanum, & si óleum effúnditur, sed non perit. Proptéreà síquidem & adolescéntulæ, párvulæ scílicet ánimæ, sponsum díligunt, idque non parum: & unguéntum descéndens de cápite, non modò barba, sed & ipsa vestiménti ora suscêpit. Intuêre, ò homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietâtis. Cœlésti rore áream rigatûrus, totum vellus priùs infûdit. Redemptûrus humânum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam.

℟. Diléctus meus mihi. 227.

Lectio vj.

ALtius ergo intuémini quanto devotiônis afféctu à nobis eam volúerit honorári, qui totius boni plenitúdinem pósuit in María, ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salûtis ab ea novérimus redundâre, quæ ascéndit delíciis áffluens, Hortus planè deliciârum, quem non modò affláverit véniens, sed & perfláverit supervéniens auster ille divínus, ut úndique fluant, & éffluant arómata ejus, charísmata scílicet gratiârum. Totis ego medúllis córdium, totis præcordiôrum affécti-bus, & votis ómnibus Maríam hanc venerêmur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habêre vóluit per Maríam.

℟. Quæ hábitas. 227.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19. *e*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 84. *in Joannem.*

IMbecíllior sexus tunc fórtior appáruit; ita ómnia reformâvit. Ipse matrem commméndans, inquit: Ecce Fílius tuus. O honôrem quem discípulo tríbuit! Cùm enim jam abíret, matris curam discípulo relíquit: nam cum par esset, útpote matrem dolêre, & protectiônem quærere, méritò dilécto comméndat, cui étiam inquit: Ecce mater tua. Hoc dixit, ut dilectiône devinciréntur: quo cógnito discípulus eam secum addúxit.

℟. Ego quasi vitis. 230.

Lectio viij.

SEd cur non alius cujúspiam mulíeris méminit, cum adéssent? Admónens quid-

quiddam ámplius matribus tribuéndum. Ut enim cùm spirituália impédiunt paréntes, nec cognoscéndi quidem sunt: ita, cùm nihil impédiunt, méritò ómnia his sunt tribuénda, & ómnibus præferéndi: quia genuérunt, quòd educârunt, quòd innúmeras pro ipsis moléstias subiérunt. Ita Marciónis reprímitur impudéntia. Nam si non esset secúndùm carnem natus, neque matrem habuísset, quámobrem eam solam tantópere curâret?

℟. Beâta es María. 230.

Lectio ix. *Ibid. paulò ante. Ex Decret. S. R. C. 5. Decemb.* 1733.

Ipse autem crucifixus matrem suam discípulo comméndat: erúdiens nos, ad últimum usque spíritum paréntum curam habéndam. Cùm intempestívè ab ea appellâtus est, inquit: Quid mihi & tibi, múlier? Et álibi, Quæ est mater mea? Hîc imménsam charitâtem osténdit, & comméndat eam discípulo, quem diligêbat. Iterum nomen suum modéste súbticet Joánnes; nam si se jactâre voluísset, quam ob rem diligerêtur, exposuísset; credíbile enim est, magnam fuísse, atque admirándam. Qua autem grâtia nihil áliud dicit Joánni neque eum consolâtur? Non parvo eum honôre his verbis afficiêbat, neque parvum præséntiæ suæ præmium capiêbat. Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commem. sanctórum martyr. Cypriani & Justínæ. Aña. Vestri capilli cápitis. ℣. Exultâbunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. 73. Oratio. Beatôrum mártyrum.

DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

Quarta die infra Octavam Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede.

Pro ménsibus Maii & Junii.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Apud Metaphrast.

Lectio iv.

Dei Fílius non dívitem, aut locuplêtem áliquam fœminam sibi matrem elêgit, sed beâtam Vírginem illam, cujus ánima virtútibus ornâta erat. Cùm enim beâta María supra omnem humânam natûram castitâtem servâret, proptérea Christum Dóminum in ventre concêpit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginem & Dei matrem accurréntes, ejus patrocíniis utilitâtem assequâmur. Itaque quæcúmque estis vírgines, ad matrem Dómini confúgite.

Il-

Digitized by Google

Illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam, & incorruptíbilem possessiônem patrocínio suo vobis conservâbit.

℟. Surge, própera. 126.

Lectio v.

MAgnum réverà mirâculum, fratres dilectíssimi, fuit beâta semper virgo María. Quid namque illâ majus, aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cœlum ac terram amplitúdine superâvit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quídpiam inter creâtas res visíbiles, aut invisíbiles majus, aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est & mater, éadem Virgo & génitrix.

℟. Diléctus meus. 227.

Lectio vj.

HÆc ejus mater est, qui à Patre ante omne princípium génitus fuit, quem ángeli & hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere quantò Virgo hæc præstántior sit cœléstibus poténtiis? Illæ cum timôre & tremôre assístunt, fáciem velántes suam: hæc humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc & peccatôrum véniam consequimur. Ave ígitur Mater, cœlum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória & firmaméntum; assíduè pro nobis precâre Jesum Fílium tuum, & Dóminum nostrum: ut per te misericórdiam inveníre in die judícii, & quæ repósita sunt iis qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus; grátia & benignitâte Dómini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul & sancto Spirítui glória, & honor, & impérium, nunc & semper in sécula seculôrum. Amen.

℟. Quæ hábitas. 227.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19. *e*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbâtis.

Ex tract. de Lament. Virg. prop. med.

TUnc jam Dóminus ánxius in cruce, ánnuens óculis & vultu, de Joánne ait: Múlier, ecce fílius tuus; erat enim Joánnes præsens, vultu tris-

tristis, & corde mœstíssimus, lácrymis semper plorans; ac si díceret: O Mater dulcíssima, mollis ad flendum, mollis ad doléndum, tu scis quia ad hoc vénio, & ad hoc de te carnem assúmpsi: ut per crucis patíbulum salvârem genus humânum. Die tértia resúrgam, tibi & discípulis meis patènter ápparens. Désine flere, & dolôrem depône, quia ad Patrem vado, & ad glóriam patérnæ majestâtis percipiéndam ascéndo; congratulâre mihi, quia nunc invénio ovem erràntem, quam tam longo témpore perdíderam.

℟. Ego quasi vitis, 230.

Lectio viij.

MOritur unus, ut totus inde revivíscat mundus. Unius ob méritum cuncti periêre minóres, & nunc salvántur unius ob méritum. Noli flere, múlier, noli flere, Mater speciosíssima: non te désero, non te derelínquo: tecum sum, & tecum ero omni témpore séculi. Secúndùm carnem subjáceo império mortis; secúndùm divinitâtem sum & ero semper immortâlis & impassíbilis. Benè scis, unde processi, & unde vénio. Quare ergo tristâris, si illuc ascéndo, unde descéndi? Tempus est, ut revértar ad eum, qui misit me, & quò ego vado, tu non potes venire modò, vénies autem pósteà. Interim Joánnes reputábitur tibi filius, curam habêbit tui, & erit solátium fidelíssimum tibi.

℟. Beâta es María. 230.

Lectio ix.

INde Dóminus intúitus Joánnem, ait: Ecce Mater tua: ei sérvies, curam illius habêbis, eam tibi comméndo: súscipe matrem tuam; imò magis súscipe matrem meam. Dum hæc pauca díceret, illi duo dilécti lácrymas fúndere non cessábant. Tacébant ambo illi mártyres, & præ nímio dolôre, loqui non póterant. Audiébant, & tacébant; quia præ angústia loqui non póterant. Solus ille dolor, luctúsque remánsit amicus. Amábant flere, & flebant amárè, amárè flebant quia amôre dolébant; nam gládius mortis Christi ánimas utrorúmque transîbat. Transîbat sævus, sævus perimêbat utrúmque. Quo magis amâbat, sævior fiêbat in Matre.

Te Deum laudâmus. 28.

DIE XXVIII. SEPTÉMBRIS.

Quinta die infra Octavam Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede.

Pro ménsibus Július & Augústi.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Gregórii Papæ in libros Regum.

Lectio iv. *In* 1. *Reg.* 1.

FUit vir unus de Ramáthaïm Sophim, de monte Ephraïm. Potest hujus montis nómine beatíssima semper virgo María Dei génitrix designári. Mons quippe fuit, quæ omnem eléctæ creatúræ altitúdinem electiónis suæ dignitáte transcéndit. An non mons sublímis María, quæ ut ad conceptiónem ætérni Verbi pertíngeret, meritórum vérticem supra omnes angelórum choros, usque ad sólium Deitátis eréxit? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans ait: Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríæ supra omnes sanctos refúlsit. Nam sicut mons altitúdinem, ita domus desígnat habitatiónem.

℟. Surge, própera. 226.

Lectio v.

MOns quippe & domus aptè dícitur, quæ dum incomparabílibus est illustráta méritis, Dei Unigénito, in quo recúmberet, sacrum præparávit úterum. Nam mons in vértice móntium María non fieret, si supra angelórum altitúdinem, hanc divína fœcúnditas non levâret. Et domus Dómini non fieret, si in ejus ventre per assúmptam humanitátem Verbi divínitas non jacéret. Sed rectè mons frúgifer dícitur, de qua óptimus fructus, id est, novus homo generátur. Quam certè in fœcunditátis suæ glória pulchram, ornatámque prophéta respíciens ait: Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet.

℟. Diléctus meus. 227.

Lectio vj.

DE hujus namque montis fructu David Deo exúltans ait: Confiteántur tibi pópuli Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: terra dedit fructum suum. Terra quippe fructum suum dedit, quia quem Virgo péperit, non concépit maritáli ópere, sed sancti Spíritus obumbratióne. Hinc eídem regi & prophétæ à Dómino dícitur: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Hinc Isaías ait: Erit fructus terræ sublímis. Nam quem Virgo génuit, non solùm homo sanctus fuit, sed étiam potens Deus. De hoc fructu ad eámdem beátam Vírginem, Elísabeth sa-

Digitized by Google

lutánte, dícitur: Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.

℟. Quæ hábitas. 227.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19. *e*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

In exhortatione ad Virgines.

HIc Christus in vestris pectóribus alta máneat defixus radíce, ut & fructus vester exúberet, & liquôre grátiæ spirituâlis corpórei vapôris incéndia temperéntur. Hic est qui venit in nube levi, sicut dixit prophêta: Ecce Dóminus sedet super nubem levem, & véniet in Ægyptum. Signíficans quòd in Ægyptum, id est, in afflictiônem istam mundi hujus veníret per Vírginem. Nubem ítaque Maríam dixit, quia carnem gerêbat: levem, quia virgo erat, nullis onéribus gravâta conjúgii. Ipsa est virga gérminans florem, quia pura, & ad Dóminum líbero corde dirécta virgínitas, quæ nullis in hoc século curârum anfráctibus reflectâtur. Ideo illam Dóminus de cruce discípulo suo dilectíssimo sibi trádidit sancto Joánni, qui dixit patri & matri suæ, Non novi vos. Dénique vocâtus à Christo relíquit patrem, Verbum secûtus.

℟. Ego quasi vitis. 230.

Lectio viij.

HUic tráditur virgo, qui suos nésciat: huic tráditur virgo, qui de péctore Christi háuriat sapiéntiam: huic tráditur virgo, qui fratres suos non cognôvit, & fílios suos non scivit. Ideôque benedícit eum lex: Date Levi veros ejus, date Levi fortes ejus. Unde & matrem Dómini ipse suscêpit. Scriptum enim habêmus, quia ex illa hora suscêpit eam discípulus in sua. Quid est in sua, cùm relíquerit patrem, & Christum secûtus sit? Aut quómodo in sua, cùm ipsi Apóstoli díxerint: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te? Quæ sua habêbat Joánnes, qui mundâna & seculária non habêbat, quia de mundo non erat? Quæ ergo habêbat sua, nisi ea, quæ à Christo accéperat? Bonus verbi sapientiæque posséssor, bonus recéptor grátiæ.

℟. Beâta es María Dei génitrix, patrôna. 230.

Lec-

Digitized by Google

Lectio ix.

AUdíte quæ Apóstoli à Christo accéperint: Accípite, inquit, Spíritum sanctum; quorum remiséritis peccâta, remíssa sunt: & quorum detinuéritis, deténta sunt. Neque enim mater Dómini Jesu, nisi ad possessôrem grátiæ demigrâret, ubi Christus habêbat habitáculum. Date ergo & vos filii mei, vero illi Levi veros ejus. Estôte nubes, sed leves. Eritis proféctò, si áblevet virgínitas ónera conditiônis, & ténebras hujus limósæ carnis illúminet. Ideo dicit illa: Nigra sum & decôra, filiæ Jerúsalem. Nigra per carnem, decôra per virginitâtem.

Te Deum laudâmus. 28.

Vesperæ de Dedicatione S. Michaëlis Archangeli cum commem. Octavæ.

DIE XXIX. SEPTÉMBRIS.

Sexta die infra Octavam Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede.

Fit de Dedicatione S. Michaëlis Archangeli: Duplex secundæ classis, ut in Brev. cum commem. Oct. in Laudibus, & secundis Vesperis.

DIE XXX. SEPTÉMBRIS.

Septima die infra Oct. Apparit. V. M. V. de Mercede.

Pro ménsibus Septémbris, & Octóbris.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola sancti Ambrósii Epíscopi ad Siricium Papam.

Epist. 81. *al.* 7. *post init.*

Lectio iv.

DE via perversitâtis prodúntur dícere: Virgo concêpit, sed non virgo generâvit. Pótuit ergo virgo concípere; non pótuit virgo generâre, cùm semper concêptus præcêdat, partus sequátur? Sed si doctrínis non créditur sacerdôtum, credâtur oráculis Christi, credâtur mónitis angelôrum dicéntium: Quia non est impossíbile Deo omne verbum. Credâtur Symbolo Apostolôrum, quod Ecclésia Româna intemerâtum semper custôdit, & servat. Audívit Maria vocem ángeli; & quæ antè díxerat: Quómodò fiet istud? non de fide generatiônis intérrogans, respóndit pósteà: Ecce ancílla Dómini, contíngat mihi secúndùm verbum tuum.

℟. Surge, própera. 226.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri advérsus Joviniânum.

Ex Apol. ad Pamm. Pro lib. Adversus Jovin. in fine.

Lectio v.

CHristus virgo, mater vírginis nostri virgo perpétua, mater & virgo: Jesus

enim cláusis ingréssus est óstiis, & in sepúlchro ejus, quod novum, & in petra duríssima fúerat excísum, nec ánteà quis nec pósteà pósitus est. Hortus conclûsus, fons signâtus: de quo fonte ille flúvius manat, juxta Joël, qui írrigat torréntem, vel fúnium, vel spinârum: fûnium peccatôrum, quibus antè alligabâmur: spinârum, quæ suffócant seméntem patrisfamílias. Hæc est porta Orientális, ut ait Ezéchiël, semper clausa, & lúcida, opériens in se, vel ex se próferens Sancta sanctôrum: per quam sol justítiæ & Póntifex noster secúndùm órdinem Melchísedech ingréditur & egréditur.

℟. Diléctus meus. 227.

Ex libro sancti Irenæi Epíscopi & mártyris advérsus hæreses.

Lectio vj. *Lib.* 5. *cap.* 19.

IN sua própria veniénte Dómino, & sua própria eum bajulánte conditiône, quæ bajulâtur ab ipso, & recapitulatiônem ejus, quæ in ligno fuit, inobediéntiæ per eam quæ in ligno est, obediéntiam faciénte, & seductiône illa solúta, qua sedúcta est malè illa, quæ jam viro destinâta erat virgo Heva, per veritâtem evangelizâta est benè ab ángelo jam sub viro virgo María. Quemádmodum enim illa per angélicum sermônem sedúcta est ut effúgeret Deum, prævaricâta verbum ejus: ita & hæc per angélicum sermônem evangelizâta est, ut portâret Deum, obédiens ejus verbo. Et sicut illa sedúcta est ut effúgeret Deum: sic hæc suâsa est obedíre Deo, uti vírginis Hevæ virgo María fieret advocâta. Et quemádmodum adstríctum est morte genus humânum per vírginem, solvâtur per vírginem: æqua lance dispósita virginâlis inobediéntia per virginâlem obediéntiam.

℟. Quæ hábitas. 227.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19. *e*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbâtis.

Ex tract. de Passion. Domini.

CUm vidísset Jesus matrem, & discípulum stantem, quem diligêbat, dixit matri suæ: Múlier, ecce filius tuus; ac si díceret: Tu me filiò corporáliter privâris: Unde tibi amícum præ cunctis di-

Digitized by Google

diléctum in filium do, cujus præséntia ínterim dum absum consolêris. Ad discípulum autem: Ecce mater tua; quasi díceret: Tu vero Patre spoliâris, unde hanc matrem mihi charíssimam tibi in matrem do: conservâte jura mútuæ charitâtis ad ínvicem, tu istum filium, tu istam matrem habéndo. O quàm munificus factus es in núptiis tuis, Rex & sponse, bone Jesu! Quàm largè quæ habuísti, ómnia tradidísti! Ecce ipsis crucifixóribus tuis orationis affectum, latrôni paradísum, matri filium, filio matrem, mórtuis vitam, mánibus Patris ánimam tuam, toti mundo signa poténtiæ tuæ contulísti. ℟. Ego quasi vitis. 230.

Lectio viij.

SEd movet me, quod cùm dixísset: Múlier, ecce filius tuus, subjúnxit: Ecce mater tua; cùm útique étiam si hoc non subjunxísset, necessárium fuísset, eam esse matrem illîus, qui in filium sibi datus erat. Sed hoc mútuæ charitâtis afféctum mihi commendâre vidêtur: sunt enim nonnúlli, qui ab ómnibus amári vólunt; sed nullos afféctu mútuo compleċtúntur, & volunt, ut eôrum labóres & dolóres alleviéntur; & cùm ferántur à plúribus, ipsi nullius ónera volunt portâre. ℟. Beâta es Maria. 230.

Lectio ix.

NOn hoc enim Christus dócuit, aut fecit: portávit enim ónera tua, invítans te, ut & tu ónera portes illîus; id est, ut passiônem illîus imitêris. Christus enim passus est, relínquens nobis exémplum, ut sequâmur vestígia ejus. Hoc & dócuit, cùm matrem discípulo, & matri discípulum mútuò commendâvit: nimîrum, nolens ut cháritas spirituális ex una parte frígida remanêret; sed ut simul dormiéntes, id est, in vera & pura charitâte simul quiescéntes, mútuò calefiant; id est, alter ab áltero ad charitâtis exercítia mútuò accendántur.

Te Deum laudâmus. 28.

Ad Vesperas omnia ut in primis Vesperis festi, excepta Oratione.

Oratio.

DÓmine Jesu Christe, qui per tuam gloriosíssimam matrem ad exímiam charitâtis tuæ imitatiônem nos vocâre dignâtus es; ádjuva nos auxíliis grátiæ tuæ, ut magnam institutrícem nostram præséntis vitæ actiónibus prædicántes, quod, te operánte, voluntâte promísimus, ópere compleâmus. Qui vivis.

Digitized by Google

los indifferénter óritur, sic ipsa quoque prætérita non díscutit mérita: sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet. Omnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserâtur afféctu.

℟. Quæ hábitas in hortis. 227.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19. *e*

IN illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Lib. 12. *in Joannem, cap.* 33.

NOn inutíliter hujus quoque rei Evangelísta méminit, stantésque juxta crucem matrem & cæteras dixit, largis scílicet lácrymis flentes. Fácilè namque ad lacrymârum flúmina genus est mulíerum, præsértim cum magna causa movêtur. Cur autem hæc tenúia mémorat, & mulíerum mentiônem facit? Docêre, ut ego árbitror, vóluit, tantam passiônis Christi fuísse indignitâtem ac magnitúdinem, ut matrem étiam ejus; mors crucis, & Judæôrum illusiónes commóverint, & ad hæc mílites cum risu atque triúmpho, coram matre ad derisiônem Christi vestiménta partiéntes.

℟. Ego quasi vitis. 230.

Lectio viij.

HIc certè dolor à Simeône prænuntiâtus fuit. Ecce, inquit, hic pósitus est in ruínam, & resurrectiônem multôrum in Israël, & in signum cui contradicêtur. Et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes. Gládium enim acûtum, dolôris magnitúdinem appellâvit: ex multis autem córdibus revelâtæ cogitatiónes sunt, cùm étiam discípuli ejus scándalum propter passiônem passi fuísse videántur.

℟. Beâta es María. 230.

Lectio ix.

CUm vidísset ergo Jesus matrem, & discípulum stantem, quem diligêbat, dicit matri suæ: Ecce filius tuus. Provídit matri, quasi parum de magnitúdine dolôris curâret. Nam & si ácriter patiebâtur, erat tamèn étiam impassíbilis. Commendâvit autem eam discípulo Joánni, huic qui Evangélium hoc conscrípsit, ut officium Fílii in eam servâret: matrem simíliter admónuit, ut paréntis in discípulum aucto-

Digitized by Google

toritâtem habêret: amôre vidélicet, atque charitâte non minus illos conjúngi vóluit, quàm si natúræ máxima propinquitâte conjúncti essent.
Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commemorat. S. Rhemigii Episcopi & Confess. Aña. Euge serve bone. ℣. Justum dedúxit. Oratio. Da quæsumus, ut suprà. 246.

In secundis Vesperis fit comm. Ss. Angelorum Custodum. Aña. Omnes sunt administratórii spíritus in ministérium missi propter eos, qui hæreditâtem cápiunt salûtis. ℣. In conspéctu Angelôrum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

Oratio.

DEus, qui ineffábili providéntia sanctos ángelos tuos ad nostram custódiam míttere dignâris: largíre supplícibus tuis, & eôrum semper protectiône deféndi, & ætérna societâte gaudêre. Per Dóminum.

DIE X. OCTÓBRIS.

In festo Dedicationis Ecclesiarum Ord. nostri. Duplex primæ classis cum Octava.

Omnia in die, & per totam Octav. ut in Brev. Roman. in Communi Dedicationis Ecclesiæ.

In secundis Vesp. fit comm. S. Francisci Borgiæ Confess.

DIE XI. OCTÓBRIS.

Secunda die infra Octavam Dedication. Eccles.

Fit Offic. de S. Francisco Borgia Confess. semidup. ut in Breviar. cum commemor. Octavæ in Laudib.

In secundis Vesper. à Capitulo fit de Dedicat. Eccles. cum commemor. S. Francisci.

In Hispania vero fit de sancto Francisco Borgia, Duplex secundæ classis, sine comm. Octavæ, & in secundis Vesper. fit tantum comm. beatæ Mariæ virginis de Columna.

DIE XII. OCTÓBRIS.

Tertia die infra Octavam Dedicat. Eccles.

Fit de ea, præter Lectiones primi Noct. quæ dicuntur de Scriptura occurrente.

In Vesper. à Capitulo fit de sancto Eduardo Confess. cum commemor. Octavæ.

In Hispania fit de festo beatæ Mariæ virginis de Columna, Duplex, ut in proprio Ss. Hispan. cum commemor. Octavæ in Laudib.

In secundis Vesperis fit comm. sancti Eduardi Confess. & Octavæ.

Post Vesperas diei, dicuntur

Digitized by Google

tur Vesperæ Defunctorum sub ritu Duplici pro Annivers. sequenti, & in Precibus dicit. Psalm. **Lauda ánima mea Dóminum.**

DIE XIII. OCTÓBRIS.

Quarta die infra Octavam.

Fit de sancto Eduardo Rege & Confess. Semidup. cum commemor. Octavæ.

Post Laudes fit Officium Defunctor. Duplex, pro Annivers. Fidelium Captivor, & dicitur Psalm. **De profúndis**, in Laudib.

Vesperæ à Capitulo fiunt de sancto Callisto Papa & martyre, cum comm. sancti Eduardi, & Octavæ.

DIE XIV. OCTÓBRIS.

Quinta die infra Octavam.

Fit de sancto Callisto Papa & mart. semidup. cum commemorat. Octavæ.

Vesperæ dicuntur de sancta Teresia virgine, cum commemorat. sancti Callisti, & Octavæ.

DIE XV. OCTÓBRIS.

Sexta die infra Octavam.

Fit de sancta Teresia virg. Duplex cum commem. Octavæ in Laudib. & secundis Vesper.

In Hispania in secundis Vesper. à Capitulo fit de sancto Ludovico Bertrando Confess. cum commem. sanctæ Teresiæ, & Octavæ.

DIE XVI. OCTÓBRIS.

Septima die infra Octavam Dedicationis Ecclesiæ, semidup.

Vesperæ de die Octava Dedicat. ut in primis Vesper. festi. Duplex.

In Hispania fit de sancto Ludovico Bertrando Confess. Duplex, ut in proprio Ss. Hispan. die 10. hujus cum commemor. Octavæ.

In secundis Vesper. à Capitulo fit de die Octava Dedication. Eccles. cum commemor. sancti Ludovici.

DIE XVII. OCTÓBRIS.

Octava Dedicationis Ecclesiarum. Duplex.

Omnia, ut in Breviario.

Vesperæ sancti Lucæ Evangelistæ, cum commem. Dedicationis Ecclesiarum.

DIE XXIII. OCTÓBRIS.

In festo sancti Petri Paschasii Episc. & mart. Duplex secundæ class. cum Oct.

Ad Vesperas Aña. **Charitâte, & sapiéntia,** cum reliq. de Laudibus. Psalm. **Dixit Dóminus,** *cum reliquis.* 13.

Capitulum. *Ephes.* 5.

EStóte imitatóres Dei sicut filii charíssimi: & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitâtis.

Hym-

Hymnus.

URbis ætérnæ célebres triúmphos
Mílitans pandit, gemináͤtque Sion,
Petre Paschásii, tua dum recénset
Máxima gesta.

Násceris terris, puer almus, inter
Bárbaras cædes Líbyci tyránni:
Inter ut nimbos solet & prócellas
Sidus oríri:

Jamque vir factus, próperas ad ædem,
Cui sacrum Virgo dedit ipsa nomen:
Unde lætántur míseri, feréntes
Víncula Mauri.

Crescit occlûsus velut ignis, atque
Explicat flammas gravióre nisu:
Sic tua erúmpit magis aucta virtus,
Abdita claustris.

Júgiter lingua, calamóque fundis
Auræos imbres: Dómini viréscunt
Arva: commíssis óvibus salûtis
Pábula præbes.

Cíngeris ferro, trepidúmque solvis
Impotens agmen, Tyriôque tandem
Ense percússus, fidei Corônam
Sumis ad aram.

Ambitus terræ, maris, atque cœli,
Láudibus Patris, Géniti, simúlque
Spíritus sancti résonans beátis,
Impleat ævum. Amen.

℣. Dedit ánimam suam redemptiônem pro multis.
℟. Ut salvâret eos.

Ad Magnificat,

Aña. Exúltans spíritus Petri in Deo, magnificâvit Maríam matrem Dómini Jesu, quam glorificâvit dicens: Tota pulchra es amíca mea, & mácula originâlis non est in te, allelúia.

Oratio.

DEus, cujus charitâtis igne succénsus beâtus martyr & Póntifex Petrus, trepidántes púeros ac fœminas ab impiôrum captivitâte própria servitûte redêmit, & solus ómnium sustínuit ærúmnas: præsta quæsumus, ut nostrârum vírium infírmitas à diris críminum láqueis ejus liberêtur auxílio; & Unigéniti Fílii tui Redemptôris nostri perpétuo férveat, & roborêtur amôre. Qui tecum vivit.

Ad

Digitized by Google

Ad Matutinum, Invitatorium.

Christum Dóminum, qui glória & honôre coronâvit Petrum, * Venite, adorêmus. Psal. Venite, exultêmus. 16.

Hymnus.

NUllas corônas ínvidet
Granâta, nullam púrpuram
Petri decôra vínculis,
Fuso sacrâta sánguine.
Pastor fidêlis, pérvigil
Ovíle lustrans créditum,
Tamquam lupôrum déntibus,
Comprénsus est à bárbaris.
Inter tenébras cárceris
Tam claro abúndat lúmine,
Ut scribat, atque elúcubret,
Quæ solis instar émicant,
Quantum facúltas súppetit,
Solvit catênas páuperum:
Auro parâto in própriam
Donat salûtem párvulis.
Obses relíctus, prædicat
Christum per omnes sémitas:
Et vera firmans dógmata,
Falsa impiôrum déstruit.
Petrus sacérdos ímmolans
Agni incruéntam víctimam,
Mactâtur, atque in sánguine
Palmam recêpit mártyris.
Sit Trinitáti glória,
Cum Patre regnans Fílius,
Et Spíritus paráclitus
Laudêtur omni témpore.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Apéruit Petrus os suum in oratiône, & in conspéctu Altíssimi deprecâtus est pro afflíctis & captívis. Psal. Beâtus vir, cum reliquis, 17. Aña. Dóminus autem replêvit illum spíritu intelligéntiæ; & dirêxit consílium ejus, ac disciplínam. Psalm. Quare fremuérunt. Aña. Dei afflánte grátia, tamquam imbres misit elóquia sapiéntiæ suæ. Psalm. Dómine quid multiplicáti sunt. ℣. Dedit ánimam suam redemptiônem pro multis. ℟. Ut salvâret eos.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. *Cap. 4.*

OBsecro vos ego vínctus in Dómino, ut dignè ambulêtis vocatiône, qua vocáti estis, cum omni humilitâte & mansuetúdine, cum patiéntia supportántes ínvicem in charitâte, solíciti servâre unitâtem Spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, & unus Spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiônis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. Unicuíque autem nostrûm data est grátia secúndùm mensûram dona-

natiônis Christi. Propter quod dicit : Ascéndens in altum, captívam duxit captivitâtem : dedit dona homínibus.
℟. In terra captivitâtis natus; * Accéssit ad servitûtem Dei, & stetit in justítia, & veritâte. ℣. Quóniam prævênit eum Dóminus in benedictiónibus dulcédinis. Accéssit.

Lectio ij.

QUòd autem ascéndit, quid est, nisi quia & descéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est & qui ascéndit super omnes cœlos, ut implêret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelístas, álios autem pastóres, & doctóres ad consummatiônem sanctôrum in opus ministérii, in ædificatiônem córporis Christi: donec occurrâmus omnes in unitâtem fidei; & agnitiônis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensûram ætâtis plenitúdinis Christi: ut jam non simus párvuli fluctuántes, & circumferâmur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiônem errôris.
℟. Dóminus prospêxit de excélso sancto suo, Dóminus de cœlo in terram aspéxit : ut audíret gémitus compeditôrum : * Ut sólveret fílios interemptôrum. ℣. Apprehéndit Petri déxteram, & portas æreas contrívit, vectésque férreos confrégit. Ut sólveret.

Lectio iij.

VEritâtem autem faciéntes in charitâte, crescâmus in illo per ómnia, qui est caput Christus : ex quo totum corpus compáctum, & connéxum per omnem junctûram subministratiônis, secúndùm operatiônem in mensûram uniuscujúsque membri, augméntum córporis facit in edificatiônem sui in charitâte. Hoc ígitur dico, & testíficor in Dómino, ut jam non ambulêtis, sicut & gentes ámbulant in vanitâte sensus sui, ténebris obscurâtum habéntes intelléctum, alienáti á vita Dei, per ignorántiam, quæ est in illis propter cæcitâtem cordis ipsôrum, qui desperántes, semetípsos tradidérunt impudicítiæ, in operatiônem immundítiæ omnis, in avarítiam. Vos autem non ita didicístis Christum, si tamen illum audístis, & in ipso edócti estis.
℟. Ex multa tribulatiône, & angústia cordis scripsi vobis per multas lácrymas : * Ut sciátis, quam charitâtem hábeam abundántiùs in vobis.
℣.

Digitized by Google

℣. Edûcam vos de ergástulo, & éruam de servitûte. Ut sciâtis. Glória Patri. Ut.

In secundo Nocturno.

Aña. Hæc est merces mea, ut Evangélium prædicem, & me in servitûtem rédigam, ut álios liberos fáciam. Psalm. Cùm invocârem, cum reliquis, 21. Aña. Factus sum ego minister Christi, secúndum dispensatiônem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei in omni sapiéntia. Psalm. Verba mea. Aña. Adinvênit omnem viam disciplínæ, & flagrantissímæ charitâtis suæ ingénium opéribus comprobâvit. Psalm. Dómine Dóminus noster.

℣. Edúxi vos de domo servitûtis. ℟. Et liberávi de manu ómnium inimicôrum.

Lectio iv.

PEtrus, cognoménto Paschásius, Valéntiæ in Hispania, tunc sævo Maurôrum jugo subjéctæ, Christiánis ac nobílibus paréntibus natus, & in Dei timôre enutrítus; cùm adhuc puer máximo florêret ingénio, quantum lícuit per illôrum témporum calamitâtem; liberálibus disciplínis óperam dedit. Pulsis pátria cathólicæ fidei hóstibus, & pública restitûta tranquillitâte, studiôrum causa Parísios se cóntulit. Ibi géminis Ecclésiæ lumínibus, Thomæ, ac Bonaventúræ, eásdem scholas páriter illustrántibus, tértius est ádditus; quippè ingénuis ártibus, sacrísque lítteris addiscéndis talem se præbuit imitatôrem, qualem profécto fuísse ejus doctrína, atque sánctitas declarâvit. Eménso studiôrum currículo, Romam pétiit; & sacra venerâtus loca, rédiit in pátriam: ubi inter Ecclésiæ canónicos méruit adscríbi, & morum integritâte: atque ómnium virtûtum cúmulo máximè excélluit. Mox erogátis in páuperes amplíssimis facultátibus, ut árctius Deo se conjúngeret, Ordinem beatæ Maríæ de Mercêde redemptiônis captivôrum ingréditur. Sub ipso sancto Petro Nolásco tyrocínium assecûtus, ásperam, sed sibi jucundíssimam vivéndi ratiônem instítuit, vigíliis, jejúniis, aliísque carnis mortificatiónibus factus est ómnibus in eodem stádio curréntibus exémplar simul & validíssimum incitaméntum. Sacræ theologíæ magistério insígnis, eam, aliásque sciéntias, magna auditôrum frequéntia atque utilitâte per trigínta annos públicè dócuit. Quaprópter Jacôbus primus Aragóniæ rex, ejus famæ celebritâte permôtus, illum Urbáno

Digitized by Google

no Quarto summópere commendâvit, & Granaténsis Episcopâtus título decorâtum, in filii sui Sanctii, Archiepíscopi Toletáni, qui eídem Ordini nomen déderat, præceptôrem consiliôrum delêgit. Eo in múnere ádeo sibi ómnium amôrem, & veneratiônem conciliâvit, ut suum Ordinem Toléti, aliísque in locis potúerit amplíssimè propagâre.

℟. Per patiéntiam cucûrrit ad propósitum certámen, * Aspíciens in auctôrem fidei, & consummatôrem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem. ℣. Fide grandis factus negâvit se huic século, magis éligens afflígi, quàm temporâlis vitæ habêre jucunditâtem. Aspíciens.

Lectio v.

DEfúncto Sánctio, ac aliénis curris solútus, Giennénsi Ecclésiæ ómnium votis præficitur. In pastoráli regímine máximam, quam de se ipso conciliáverat expectatiônem, etsi verbo & exémplo ubériùs implêret; nullis tamen labóribus sibi satis videbâtur æquâre pascéndi gregis solicitûdinem. Proféctus intéreà ad visitándam Diœcésim, in Mauros íncidit; & Granâtam, cujus Ecclésiæ título consecrâtus fúerat Epíscopus, tamquam nefárius perdúcitur: tetro in cárcere, arctísque vínculis venerábilis senex jam propè septuagenárius crudéliter constitûtus, impropérium crucis ádeò lætus portâbat; ut se felíci, faustóque ómine in servitûtem redáctum díceret. Inter offúsas ténebras, velut in merídie, plúrima scripsit, quibus cathólicæ fidei veritâtem perpétuò illustrâvit. Beatíssimam vírginem Maríam, quam assíduò atque ardentíssimo venerabâtur obséquio, váriis laudum monuméntis ornâvit; & summo ratiônum póndere eam sine labe origináli concéptam piíssimè assêruit. Inhiántes ópibus bárbari ultro cœpérunt recuperándam prétio libertâtem offérre; ipsúmque suas trahéntem caténas passi sunt intérdiù per urbem incédere. Quò magis urgêbat necéssitas, primùm flexit apostólicæ charitâtis vestígia. Deténtos in ergástulis, & ejúsdem pœnæ consórtes, tamquam filios amantíssimè invîsit: atque ópibus ac pecúniis, pluries in suam libertâtem parâtis, eorúmdem inópiæ succúrrit. Púeros, ac fœminas in ánimæ discrimen ob ætâtis, vel sexus imbecillitâtem proclíves, contémpta própria salûte, redêmit. Quámobrem tráditur, Dóminum Jesum spécie púeri

ri apparuísse, fassúmque illi se vinctum: ut patrâtum opus osténderet, sibi gratíssimum extitísse.

℟. Persequéntes ánimam meam posuérunt me in lacu inferióri, * In tenebrósis, & in umbra mortis. ℣. Sed ecce ángelus Dómini ástitit, & lumen refúlsit in habitáculo cárceris. In tenebrósis.

Lectio vj.

Divíno recreâtus oráculo, seípsum éxtulit supra omnes ærúmnas & calamitátes, quibus úndique premebâtur. Sed cùm nihil pavêret suo, aliéno terrebâtur perículo. Videns enim multos ex captívis, licet ómnibus Evangélicæ prædicatiônis officiis assíduè confirmátos in fide, ob ingéntes misérias jam pénitus carêre constántia; & peccatôrum cœno obvolútos ob ignorántiam mysteriôrum cathólicæ religiônis, ad barbarôrum erróres quotídiè deficere; transfixus dolôre cordis ingémuit, & vitam cum morte commutáre vehementíssimè concupívit. Flagrans ítaque zelo divínæ legis, & martyrii desidério inflammátus, turpíssimam Mahométi vitam argúere, atque ímpia confutáre mendácia palàm aggréssus est; éditis ínsuper doctíssimis commentáriis, quibus cathólicæ fidei veritâtem luculénter explicâvit, & advérsus cállidas Judæôrum & Maurôrum expostulatiónes, Christiános concaptívos validíssimè instrûxit. Illud autem mirábile, quòd in summa librôrum ómnium inópia, egrégium opus ditáverit penè innúmeris utriúsque Testaménti auctoritátibus, & plurimôrum sanctôrum Patrum senténtiis, memóriter ac fidéliter indicâta varietâte locôrum, & ipsísmet verbis sine ulla pénitùs discrepántia relátis. Tandem Mahometânus tyránnus sancti Pontíficis stúdium iniquíssimè ferens, eum sacra operántem, in ipsa Granaténsi urbe, obtruncári jussit. Mártyris sui sanctitâtem multis Deus miráculis illustrâvit; eámque in Hispánicis Regnis diutúrna fidélium veneratiône testâtam Clemens décimus Póntifex Máximus postquam ritè probásset, Ecclesiástici cultus amplitúdine decorâvit.

℟. Illuminâtus à Deo magnum certámen sustínuit passiônum, oppróbriis, tribulatiónibus, & carcéribus spectáculum factus, & sócios táliter conversántium effectus, * Nam & vinctis veheménter compássus est. ℣. Non suscépit redemptiônem, ut melió-

rem

rem inveníret resurrectiónem. Nam & vinctis. Glória Patri. Nam & vinctis.

In tertio Nocturno.

Aña. Apéruit óculos cæcórum: & edúxit de conclusióne vinctos, de domo cárceris sedéntes in ténebris. Psalm. In Dómino confido. 93. Aña. Salvásti nos, Petre, ex affligéntibus nos: & odiéntes nos confudísti; in nómine Dómini confitébimur in sécula. Psalm. Dómine quis habitábit. 24. Aña. Propter opus Christi usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam, ut implêret id quod déerat. Psalm. Dómine in virtûte tua. 25.

℣. Dirupísti Dómine víncula mea. ℟. Tibi sacrificâbo hóstiam laudis.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 59. *in Joannem.*

MAgnum quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est Ecclésiæ prælátio, & quæ multa índiget sapiéntia & fortitúdine, qualem Christus propósuit: ut ánimam pro óvibus ponâmus, & numquam illas deserâmus; ut lupo generósè resistâmus. Hæc enim inter pastôrem & mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémptis óvibus, alter sua contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit: furem mactántem, & rapiéntem oves; & mercenárium permittèntem, neque defendéntem commíssas.

℟. Forma factus gregis ex ánimo, * Pavit oves Christi verbo & exémplo, ac sánguine próprio roborâvit. ℣. Qui misericórdiam habet, docet, & érudit quasi pastor gregem suum. Pavit.

Lectio viij.

QUod superiôri témpore Ezéchiël his verbis insectâtus est: Væ pastóribus Israël; nonne pascébant semetípsos? Nonne greges pascúntur à pastóribus? Sed illi contrárium faciébant, quod máximæ malítiæ genus est, & plurimôrum causa malôrum. Idcírco inquit: neque quod abjéctum erat, reducebánt: neque quod periérat, quærébant: neque confráctum alligábant: neque infirmum consolidábant; quóniam se, non gregem pascébant:

bant. Idem & Paulus áliis verbis signíficat: Omnes, quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

℟. In médio natiônis pravæ & pervérsæ effúlsit ad glóriam Christi, * Et gaudens immolâtus est supra sacrifícium. ℣. Hic est bonus pastor, qui ánimam suam dedit pro óvibus suis. Et gaudens. Glória Patri. Et gaudens.

Lectio ix.

VErùm ab utrôque se dissidêre osténdit Christus, ab illis quidem, qui in aliôrum perníciem véniunt; cùm dicat, se proptéreà venísse, ut vitam habérent, & abundántius habérent: ab his autem, qui oves à lupis rapi negligébant, dicéndo se propter eas ánimam pónere, ne oves períbant. Nam cùm Judæi ipsum interímere vellent, non proptéreà déstitit à doctrína, neque credéntes trádidit; sed pérstitit, & pértulit mortem: ídeo frequénter inquit: Ego sum pastor bonus. Quæ cùm nullo niti testimónio videréntur, quòd enim póneret ánimam suam, non multò post re monstrâtum est: quòd autem vitam habérent, & abundántius habérent, eventûrum erat in futúro século, álterum ab áltero confirmat.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

CHaritâte & sapiéntia refúlgens Petrus adéptus est glóriam in conversatiône gentis, & liberâvit illam à perditiône. Psalm. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28.

Aña. Descéndit ángelus Dómini cum Petro in fóveam, & in vínculis non derelíquit eum. Aña. Párvuli petiérunt panem, & invéntus est Petrus, qui frángeret eis. Aña. Qui redémpti sunt, dicant misericórdiam ejus, quóniam redêmit eos de manu inimíci. Aña. Immolans Deo incruéntum sacrifícium laudis, próprium sánguinem fudit, & réddidit Altíssimo vota sua.

Capitulum. *Ephes.* 5.

EStôte imitatôres Dei sicut filii charíssimi: & ambulâte in dilectiône, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetípsum pro nobis oblatiônem, & hóstiam Deo in odôrem suavitâtis.

Hymnus.

DUm lux exôritur Paschásio sacra,
E terris óculos mentis ad æthera
Tollat, multíplices qui cupit inclyti
Palmas cérnere mártyris.
Cunctis posthábitis séculi honóribus,

Spre-

Spretis illécebris carnis, & hóstibus
Fusis tartáreis, fræna poténtior
Victis sénsibus áddidit.

Nolásci séquitur signa, sed ínfulis
Ornátus géminis, in fera prælia
A Mauris rápitur, flénte Giénnio
Discrímen ducis óptimi.

Pugnans elóquio, térritat ímpios;
Confirmat sócios, víribus ímpares
A bello rémovet: solus & ómnium
Pœnas, vúlnera sústinet.

Seu vitæ inspícitur cándida púritas,
Doctrínæ aut pótius fúlgida cláritas,
Vel quanto occúbuit róbore præditus,
Desunt cármina láudibus.

Te civem célebret, Petre, Valéntia;
Te Granâta suum, teque Biátia
Jactet Pontíficem. Tu Hespériæ decus,
Et magnum Ecclésiæ jubar.

Almæ sit Tríadi glória júgiter:
Patri ante & génito sécula Fílio,
Sancto & Spirítui: sit prece mártyris
Nobis propítius Deus. Amen.

℣. Data est illi stola cándida.
℟. Dealbâta in sánguine Agni.

Ad Benedictus,

Aña. Misericors Dóminus, qui visitâvit, & fecit redemptiônem plebis suæ, misit óptimum doctôrem ad dandam sciéntiam salûtis, & illuminatiônem his qui in ténebris & in umbra mortis sedent, allelúia.

Oratio.

Deus, cujus charitâtis igne succénsus beâtus martyr & Póntifex Petrus, trepidántes púeros, ac fœminas ab impiôrum captivitâte própria servitûte redêmit, & solus ómnium sustínuit ærúmnas: præsta quæsumus, ut nostrârum vírium infirmitas à diris críminum láqueis ejus liberêtur auxílio; & Unigéniti Fílii tui Redemptôris nostri perpétuò férveat & roborêtur amôre. Qui tecum.

Ad Tertiam, Aña. Descéndit. Capitulum. Estôte, ut supra.

℟. brev. Dedit ánimam suam * Redemptiônem pro multis. Dedit ánimam. ℣. Ut salvâret eos. Redemptiônem pro multis. Glória Patri. Dedit ánimam. ℣. Edúxi vos de domo servitûtis. ℟. Et liberávi de manu ómnium inimicôrum.

Digitized by Google

Ad Sextam, Aña. Párvuli.

Capitulum. *2. Corinth.* 1.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiârum, & Deus totíus consolatiônis, qui consolâtur nos in omni tribulatiône nostra: ut possímus & ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt.

℟. brev. Edúxi vos * De domo servitûtis. Edúxi vos. ℣. Et liberávi de manu ómnium inimicôrum. De domo servitûtis. Glória Patri. Edúxi vos. ℣. Dirupísti Dómine víncula mea. ℟. Tibi sacrificâbo hóstiam laudis.

Ad Nonam, Aña. Immolans Deo.

Capitulum. 2. *Corint.* 4. *c*

NOs qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestêtur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operâtur, vita autem in vobis.

℟. brev. Dirupísti Dómine * Víncula mea. Dirupísti. ℣. Tibi sacrificâbo hóstiam laudis. Víncula mea. Glória Patri. Dirupísti Dómine.

℣. Data est illi stola cándida.

℟. Dealbâta in sánguine Agni.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, sed loco ultimi Psalm. Crédidi. 133.

℣. Data est illi stola cándida.

℟. Dealbâta in sánguine Agni.

Ad Magnificat,

Aña. O Petre lumen errántium,
Redémptor captivôrum,
Christiánæ fidei defénsor,
Flagéllum Maurôrum,
Póntifex & Christi martyr,
Ora pro nobis Dóminum.

Oratio. Deus, cujus charitâtis, ut supra.

In Hispania fit comm. Ss. Servandi & Germani martyr.

Infra Oct. omnia dicuntur ut in festo præter Lectiones, quæ in primo Noct. leguntur de Scriptura occurrente, in secundo, & tertio ut infra.

DIE XXIV. OCTÓBRIS.

Secunda die infra Octavam S. Petri Paschasii.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Fulgéntii Epíscopi.

De sancto Cypriano.

Lectio iv.

CLarum tanti mártyris natâlis diem, beáti scílicet Petri Paschásii, quo terrénis ac moribúndis membris exûtus, ad ætérnæ præmia vitæ transmigrâvit & Sacerdótii ejus doctrínam ac martyrii nobis victôriam commendâvit, fecítque ex temporáli quondam tristítia liberiôrem. Dum enim inter perículum cruéntæ mortis & glóriam devóti certáminis Epíscopus confiténdo pátitur, Ecclésia orán-

orándo compátitur. Quis néſciat hunc ipsum, qui nunc ánnua circunſtitutióne festus nobis revólvitur dies, Christiánis ac religiósis méntibus illo tunc témpore fuiſſe ſollícitum, dum advérsus diábolum ab antístite suscépto cúlmine pia plebis expectátio trepidâret, atque ita fides reſiſteret persequénti, ne caro succúmberet blandiénti, ita pastor præcéderet; ne ovile deséreret, desertúmque lupus inváderet?

℟. Per patiéntiam. 255.

Lectio v.

DOlêbat Ecclésia subtráctum ínterim suo consórtio tam claríssimum sacerdôtem; sed tamen gaudêbat prostráto adversário Christi mártyrem extitíſſe victôrem. Erat in memória doctrína laudábilis, versabâtur ante óculos virtus mirábilis, quando tantus Deo servâbat quod docuérat, & quid cæteri fácere debérent, non jam verbis, sed opéribus demonstrâbat fidem sermônum, exémplis rerum válida ſoliditâte confirmans, credens & confidens pro ómnium salûte Christum mórtuum, ac se pro ejus nómine non subtráhere occidéndum. Cujus enim sánguine tunc indignus redémptus fúerat, dignum suum sánguinem pro illo fundêbat: & cujus sanguinem in hac vita fidéliter bíberat, ab ipso sibi ætérnam vitam reddi posse credíderat.

℟. Persequéntes. 256.

Lectio vj.

INtérritus contémpsit príncipum jussa, & júdicum edíctum. Parâtus excêpit percussôris ictum, & ánimum soli Deo súbditum, étiam ipsa mors servâvit invíctum. Dénique nihil eum revocâvit à pastôris gregísque custódia, apparítor violéntus, persecutiônis tempus, júdicis metus, ímminens gládius, próximus mortis occâsus. Proínde considerántes ejus luctam, perseverántiam, victóriam páriter & corônam, & quid evâserit, quò pervénerit dulci mentis spéculo refovéntes ánnua devotiône, cantêmus: Benedíctus Dóminus, qui non dedit nos in venatiône déntibus eôrum: láqueus contrítus est, & nos liberáti sumus.

℟. Illuminâtus à Deo. 256.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 47. in Evang. Joann. post initium.

QUod ait: Pastor bonus ánimam suam ponit pro óvibus, non ipse unus fecit; & tamen si illi qui fecérunt, membra ejus sunt, idem ipse unus hoc fecit. Ipse enim pótuit fácere sine illis; ipsi sine illo unde potuérunt, cùm ipse díxerit: Sine me nihil potéstis fácere? Hinc autem osténdimus quod & álii fecérunt, quia ipse Apóstolus Joánnes, qui hoc, quod audístis Evangélium prædicâvit, in epístola sua dixit: Sicut Christus pro nobis ánimam suam pósuit; sic & nos debêmus ánimas pro frátribus pónere.

℞. Forma factus. 257.

Lectio viij.

DEbêmus, dixit: Debitóres nos fecit, qui primus exhíbuit. Ideò quodam loco scriptum est: Si séderis cœnâre ad mensam poténtis, sapiénter intéllige, quæ apponúntur tibi, & mitte manum tuam, sciens, quia tália te opórtet præparâre. Mensa poténtis, quæ sit, nostis, ubi est Corpus & Sanguis Christi: qui accédit ad talem mensam, præparet tália. Et quid est præparâre tália? Quómodo ipse pro nobis ánimam suam pósuit, sic & nos debêmus, ad ædificándam plebem, ad asseréndam fidem, ánimas pro frátribus pónere.

℞. In médio natiônis. 258.

Lectio ix.

IDeò Petro, quem fácere volêbat pastôrem bonum, non in ipso Petro, sed in córpore suo, ait: Petre amas me? Pasce oves meas: hoc semel, hoc íterum, hoc tértio usque ad ejus tristítiam. Et cùm tantùm interrogásset Dóminus, quantùm interrogándum esse judicâvit, ut ter confiterêtur, qui ter negáverat, & ei suas oves pascéndas tértiò commendásset: ait illi: Cùm júnior esses, cingêbas te, & ambulábas ubi volêbas: cùm autem senúeris, exténdes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis. Et expósuit Evangélista, quid Dóminus díxerit: Hoc autem, inquit, dixit significans qua morte clarificatûrus esset Deum. Ad hoc ergo pértinet: Pasce oves meas, ut ponas ánimam tuam pro óvibus meis.

Te Deum laudâmus. 28.

In Vesperis fit commemoratio sanctorum Chrysanthi & Dariæ martyr. Aña. Istôrum est enim. ℣. Lætámini in Dómino. 71.

Ora-

Oratio.

BEatórum mártyrum tuórum, Dómine, Chrysanthi & Daríæ quæsumus adsit nobis orátio: ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: qui tecum vivit, & regnat.

In Hispania fit de Ss. Servando & Germano fratrib. & martyr. ut in proprio Ss. Hispaniæ (fuit heri) cum commemorat. Octavæ in Laudib.

In secundis Vesp. à Capitulo fit de Ss. martyr. Gavino, Protho, & Januario, cum commemor. Ss. Servandi & Germani, Octavæ, & Ss. martyr. Chrysanthi & Dariæ. Aña. Vestri capílli cápitis. 73. ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia. Oratio, ut suprà.

DIE XXV. OCTÓBRIS.

Tertia die infra Octavam S. Petri Paschasii.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

De sancto Cypriano 12.

Lectio IV.

SErmónem éxigit tam gráta & religiósa solémnitas, qua passiónem beáti mártyris Petri Paschásii celebrámus. Tristis proculdúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis: semper cúpiens vidére præséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat solicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solùm sine ulla tristítia, verùm étiam cum ingénti lætítia, cuncta quæ tunc gesta sunt, legéndo recólimus, diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed expectámus hiláriter redeúntem.

℟. Per patiéntiam. 255.

Lectio V.

VIcína córporis morte non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pastorális, & cura tuéndi Domínici gregis. Usque ad extrémum vitæ hujus diem mente sóbria tenebátur; nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus tam próxima cruénti carníficis. Ita se mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non obliviscerétur Epíscopum: magis curans, quam ratiónem pastórum príncipi de commíssis sibi óvibus réderet, quàm quid infidéli de fide própria respondéret. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat: Amas me? Pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúnde-

re illum imitans præparâbat.

℟. Persequéntes. 256.

Lectio vj.

PRæcésserant eum multi mártyres, quos flagrantíssimis exhortatiónibus suis ad vincéndum diábolum accénderat: & erat útique justum, ut quos verídicus loquéndo præmíserat, patiéndo intrépidus sequerêtur. Quid ad hæc dicâmus? quid ad hæc exultêmus tanta conceptiône gaudiôrum? in quid erúmpat cor nostrum, & os nostrum? Habéntes memóriam præséntis loci, festivitâtem solemníssimi diéi, propositiônem salubérrimi exémpli, ómnibus medúllis nostris dicâmus: Deo grátias.

℟. Illuminâtus à Deo. 256.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília Venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Evang. Joann. cap. 10. paulo ante medium.

QUia Redémptor noster culpas ficti pastóris innótuit, íterum formam cui debeâmus ímprimi, osténdit, dicens: Ego sum Pastor bonus. Atque subjúngit: Et cognósco oves meas; hoc est díligo: & cognóscunt me meæ; ac si paténter dicat: diligéntes obsequúntur. Unde mox subjúnxit: Sicut novit me Pater, & ego cognósco Patrem, & ánimam pono pro óvibus meis; ac si apérte dicat: in hoc constat, quia & cognósco Patrem, & cognóscor à Patre, quia ánimam meam pono pro óvibus meis: id est, ea charitâte, qua pro óvibus mórior, quantum Patrem díligam osténdo.

℟. Forma factus. 257.

Lectio viij.

QUia verò non solùm Judæam, sed étiam gentilitâtem redímere vénerat; adjúngit: Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: & illas opórtet me addúcere, & vocem meam áudient, & fiet unum ovíle, & unus pastor. Redemptiônem nostram, quia ex gentíli pópulo venímus, Dóminus aspéxerat, cùm se addúcere & álias oves dicêbat. Hoc quotídie fieri, fratres, aspícitis, hoc reconciliátis géntibus factum hódie vidêtis. Quasi ex duôbus grégibus unum ovíle éfficit, quia Judáïcum & gentílem pópulum in sua fide conjúngit, Paulo attestánte, qui ait: Ipse est pax nos-

Digitized by Google

nostra, qui fecit útraque unum. Deum enim ad ætérnam vitam ex utrâque natiône símplices éligit; ad ovile próprium oves dedûcit.

℞. In médio natiônis. 258.

Pro sanctis martyribus Chrysantho & Daria.

Lectio ix.

Chrysánthus & Daría cónjuges, nóbili génere nati, fide étiam clarióres, quam Daría maríti ópera cum baptísmo suscéperat, Romæ innumerábilem hóminum multitúdinem, hæc mulíerum, ille virôrum, ad Christum convertérunt. Quare Celerínus præféctus comprehénsos trádidit Cláudio Tribúno, qui jussit à milítibus Chrysánthum vinctum cruciátibus torquéri; sed víncula ómnia resolûta sunt: mox cómpedes, in quos conjéctus fúerat confrácti. Deinde bovis cório inclûsum, in ardentíssimo sole constítuunt: tum pédibus ac mánibus caténa constríctis, in obscûrum cárcerem detrúdunt; ubi solútis caténis claríssima lux locum illustrâvit. Daría verò in lupânar compúlsa, leônis tutéla, dum in oratiône defixa est, à contumélia divínitus defénsa est. Dénique in arenáriam quæ est via Salária, utérque ductus, effôsa terra, lapídibus óbruti, parem martyrii corônam adépti sunt.

T e Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commemorat. Ss. martyrum Chrysanthi & Dariæ. Aña. Vestri capílli cápitis. ℣. Exultábunt. 73. Oratio. Beatôrum mártyrum, ut suprà. 263.

In Vesperis commem. S. Evaristi Papæ, & mart. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória, & honôre. Oratio. Infirmitâtem. 34.

In Hispania fit Officium Ss. Gavini, Prothi, & Januarii, ut in proprio Ss. Hispan. & in Laudib. fit commem. Octav. & Ss. Chrysanthi, & Dariæ martyr. Aña. Istôrum est enim. ℣. Lætámini. 71. Oratio: Beatôrum, ut suprà.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de sancto Fructo Confess. cum commemor. Ss. Gavini, Prothi, & Januarii, Octavæ, & sancti Evaristi Papæ, & martyr. ut suprà.

DIE XXVI. OCTÓBRIS.

Quarta die infra Octavam S. Petri Paschasii.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Petri Chrysólogi.

De S. Apollinare 128.

Lectio iv.

Meritò sanctus Petrus Paschásius, quia juxta mandâtum Dei sui pérdidit ánimam suam, eam invênit in vitam sempitérnam. Beâtus,

qui

qui ita curſum conſummâvit, fidem servâvit, ut verè primus à credéntibus ſuo reperirêtur in loco. Nec eum quisquam confeſſôris vocábulo minôrem credat eſſe, quàm mártyrem, quem Dei nutu quotidiânum & multíplicem revérſum cónſpicit ad agônem. Audi Paulum dicéntem: Quotídie mórior. Semel mori parum eſt eum, qui poteſt regi ſuo gloriôſam ſæpè de hóſtibus reférre victóriam.

℟. Per patiéntiam. 255.

Lectio v.

NOn tam mors, quàm fides & devótio mártyrem facit: & ſicut virtûtis eſt in ácie, in conflíctu, pro regis amôre succúmbere; ita perféctæ virtûtis eſt, diu ágere, & conſummâre certámina. Non ídeò persecûtus eſt mártyrem, quia non statim íntulit mortem: sed probâvit mártyrem; quia non elícuit fidem, injêcit tela quæ pótuit, & ómnia armôrum ſuôrum génera cállidus exêgit inimícus; nec tamen fortíſſimi ductôris movêre mentem pótuit, aut temerâre conſtántiam.

℟. Perſequéntes. 256.

Lectio vj.

SEd ut propugnatôrem ſuum ſibi Eccléſia ſancta retinêret, Chriſto vehementer occúrrit; ut vincénti juſtítiæ reservâret corônam, & ſibi belli témpore præliatôris ſui præséntiam condonâret. Et quid plura, fratres? Egit, egit Eccléſia ſancta mater, ut núſquam à ſuo separarêtur Antíſtite. Ecce venit; ecce ut bonus paſtor ſuo médius aſſíſtit in grege: nec umquam separâtur ſpíritu, qui córpore præcéſſit ad tempus. Extínctus eſt diábolus, persecûtor occúbuit: ecce regnat & vivit, qui pro rege ſuo desiderâvit occídi, qui vivit & regnat cum Patre in unitâte Spíritus ſancti Deus per ómnia ſeculôrum sécula.

℟. Illuminâtus à Deo. 256.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap. 10. b*

IN illo témpore: Dixit Jeſus Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homilía ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 59. in Evang. Joann. ante med.

EGo pono ánimam meam. Hoc frequénter dicit, ut omnis deceptiônis tollâtur ſuſpício. Nam & Apóſtolus cúm ſe verum magíſtrum oſténderet, & falſos confúndere Apóſtolos vellet, perícula &

& mortes addúxit in médium: In plagis suprà modum, in mórtibus frequénter. Dicéndo enim: Lux sum, & vita; supérbiam apud stúltos argúere videbátur: velle autem mori, nullam invídiam, nullum livôrem concipiébat. Proptéreà hoc in loco non dicunt, eum de se testimónium perhibêre, & verum non esse.
℟. Forma factus. 257.

Lectio viij.

ET álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, & illas opórtet me addúcere: Ecce íterum hoc verbum, opórtet, non necessitâtis esse, sed futúri omníno significatívum: quasi dicat, quid admirámini, si me oves hæ secutúræ, & vocem meam auditúræ sunt? Cùm & álias me sequi, & vocem meam audire viderétis; tunc majôrem in modum admirabímini. Neque te pertúrbet quod dicit: Quæ non sunt ex hoc ovíli. Differéntia enim in lege dumtáxat, ut inquit Paulus, neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium. Et illas opórtet me addúcere. Utrosque dispérsos osténdit, & mixtos, neque habéntes pastórem; hos vidélicet, atque illos nondùm bono adveniénte pastôre. Inde futûram eôrum cognatiônem prædícit: Et erit unum ovíle. Quòd íterum Paulus his verbis significâvit, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem.
℟. In médio natiônis. 258.

Pro sancto Evaristo Papa & martyre.

Lectio ix.

EVarístus græcus ex Judæo patre: Trajáno Imperatôre Pontificâtum gessit. Qui Ecclesiârum títulos urbis Romæ Presbyteris divisit: & ordinâvit, ut septem Diáconi Epíscopum custodírent, dum Evangélicæ prædicatiónis officio fungerêtur. Idem constítuit ex traditióne Apostólica, ut matrimónium públicè celebrêtur, & Sacerdôtis benedíctio adhibeâtur. Præfuit Ecclésiæ annos novem, menses tres: Presbyteris decem & septem, Diáconis duóbus, Epíscopis quíndecim, quater mense Decémbri ordinátis. Martyrio coronâtus, prope sepúlchrum Príncipis Apostolôrum in Vaticâno sepúltus est séptimo Kaléndas Novémbris.
Te Deum laudâmus. 28.

In Laudibus fit commemoratio S. Evaristi Papæ & martyris. Aña. Qui odit ánimam suam: ℣. Justus, ut palma florêbit. 70. Oratio. Infirmitâtem nostram. 34.

In

In Hispania fit Officium S. Fructi Confess. ut in proprio Ss. Hispaniæ (fuit heri) & in Laudib. fit commemor. Octavæ, & S. Evaristi Papæ & mart. ut supra, cum nona ejus Lectione ad Matutin.

In secundis Vesperis fit commemor. Octavæ.

DIE XXVII. OCTÓBRIS.

Quinta die infra Octavam S. Petri Paschasii.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episcopi. *De Verb. Domini*, 50. *tom.* 10.

Lectio iv.

PAstor bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? nonne & ipse ánimam suam pro óvibus suis pósuit? quid Paulus? quid cæteri Apóstoli? quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi mártyres? quid étiam iste sanctus Petrus Paschásius? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur: Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt: sed quia pro óvibus fudérunt; non enim fudérunt elatióne, sed charitáte. ℟. Per patiéntiam. 255.

Lectio v.

NAm & apud hæréticos, qui propter iniquitátes & erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant, ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum Paulum Apóstolum audite: Quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves: Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, & tradídero corpus meum, ita ut árdeam, jam ipsi sunt. Sed vide, quid séquitur: Charitátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem, ecce venítur & ad sánguinis effusiónem, venítur & ad córporum incensiónem: & tamen nihil prodest, quia cháritas deest. Adde charitátem, prosunt ómnia: détrahe charitátem, nihil prosunt cætera. ℟. Persequéntes. 256.

Lectio vj.

QUale bonum est cháritas ista, fratres? quid pretiósius? quid luminósius? quid firmius? quid utílius? quid secúrius? Quómodo autem habet vel exíguam charitátem, qui étiam convíctus non amat unitátem? Hanc Dóminus unitátem commendans, pastóribus bonis com-

commendans pastóres bonos, nóluit multos appellàre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli cæteri, & posterióres sancti Epíscopi, beatúsque Petrus Paschásius. Omnes hi pastóres boni: & tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, se pastórem bonum: Ego sum, inquit, pastor bonus.

℟. Illuminâtus à Deo. 256.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilia S. Gregórii Papæ.

Homilia 14. *in Evang. cap.* 10. *Joannis in initio.*

AUdístis fratres charíssimi ex lectiône Evangélica eruditiônem vestram: audístis perículum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti bono, sed essentiáliter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus. Atque ejúsdem bonitâtis formam, quam nos imitêmur, adjúngit, dicens: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit; ut in Sacraménto nostro Corpus suum & Sánguinem vérteret, & oves quas redémerat, carnis suæ aliménto satiâret.

℟. Forma factus. 257.

Lectio viij.

OSténsa nobis est de contémptu mortis via, quam sequâmur, appósita est forma, cui imprimâmur. Primum nobis est exteriôra nostra misericórditer ovibus ejus impéndere. Postrêmum verò, si necésse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministrâre. A primo autem hoc mínimo pervenitur ad postrêmum majus. Sed cùm incomparabíliter longe sit mélior ánima, qua vívimus, quàm terrêna substántia, quam extériùs possidêmus; qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datûrus est ánimam suam?

℟. In médio natiônis. 258.

Bened. Per Evangélica dicta.

Pro Vigilia Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio ix. *Cap.* 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Ho-

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 80. *in Joannem.*

ISte locus Evangélicus fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, & discípulos suos pálmites, secúndùm hoc dicit, quod est caput Ecclésiæ, nosque membra ejus, mediâtor Dei & hóminum, homo Christus Jesus. Unius quippe natúræ sunt vitis & pálmites. Propter quod cùm esset Deus, cujus natúræ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humâna natûra, cujus & nos hómines pálmites esse possêmus.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laudib. fit comm. Vigil.

Feria ij. Aña. Benedíctus Dóminus Deus Israël. ℣. Repléti sumus manè misericórdia tua. ℟. Exultávimus, & delectáti sumus. Hic ℣. semper dicitur post Antiphonam occurrentem.

Feria iij. Aña. Eréxit nobis Dóminus cornu salûtis, in domo David púeri sui.

Feria iv. Aña. De manu ómnium, qui odérunt nos, líbera nos Dómine.

Feria v. Aña. In sanctitâte serviâmus Dómino, & liberâbit nos ab inimícis nostris.

Feria vj. Aña. Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitâvit nos óriens ex alto.

Sabbato. Aña. Illumináre Dómine his, qui in ténebris sedent: & dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Oratio.

COncéde, quæsumus omnípotens Deus: ut sicut Apostolôrum tuôrum Simônis & Judæ gloriôsa natalítia prævenímus; sic ad tua beneficia promeréndæ majestâtem tuam pro nobis ipsi prævéniant. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti festo absque commemor. Octavæ.

DIE XXVIII. OCTÓBRIS.

Sexta die infra Octavam sancti Petri Paschasii fit de Ss. Apostolis Simone & Juda. Duplex secundæ class. & in Laudib. non fit comm. Oct.

In secundis Vesperis fit commem. Octavæ, si de ea sequenti die fiat Officium.

In Hispania fit tant. comm. S. Narcissi Episc. & mart. ut in proprio Ss. Hispaniæ.

DIE XXIX. OCTÓBRIS.

Septima die infra Octavam S. Petri Paschasii.

In secundo Nocturno.

De Sermône S. Máximi Episc.

Lectio iv.

HIc est ille Evangélicus paterfamílias próferens de thesáuro suo nova & vétera, qui véteris novíque Testaménti unum atque idípsum mys-

Digitized by Google

myſtérium prædicans, Ecclésias Chriſti locupletíſſima disputatióne ditávit. Incorruptíbilis, atque indeféſſus illius est hódie theſáurus, qui pecúniam Dómini sui nummuláriis fœnerans, quotídie in corde fidélium cœléſtium divitiárum ſanctam conquíſit uſûram.

℟. Per patiéntiam. 255.

Lectio v.

Quid ígitur, fratres, tanto ſpecióſius viro, cujus hæc est régula & menſûra ſermónis, ut inter várias hóminum cauſas, motúſque divérſos, nunc affectióne patris, nunc auctoritáte doctóris consolêtur húmiles, ſupérbos cómprimat, neglígéntes árguat, íncrepet infidéles? Tantóque dénique decóre ſacerdótium, vitámque ſuam vir fidelíſſimus adornávit, ut doctrînam ſuam ſubſequéntibus confirmâret opéribus, Domínicam illam ſenténtiam tenens: Qui docúerit & fécerit, hic magnus vocábitur in regno cœlôrum.

℟. Perſequéntes. 256.

Lectio vj.

Quàm magnus hic, quámque præcípuus in regno cœlôrum est, quem in omnem glóriam ſermo prophéticus, vita mirábilis, & mors Deo devôta ſublîmat? Nec immérito, fratres, tanto eum honôre nóminis ejus memória per ampliſſima mundi ſpátia celebrâtur, quia per univérſum orbem ad firmaméntum fidei noſtræ & páſſio ejus, & doctrîna profécit.

℟. Illuminâtus à Deo. 250.

In tertio Nocturno.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

In illo témpore: Dixit Jeſus Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor ánimam ſuam dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homilía S. Petri Chryſólogi. *Serm.* 40. *de bono Paſtore, in initio.*

Ubi vernâlis auræ tempus ánnuos óvium cœperit partus aperíre, ubi per campos, prata, vias, cœperit fœcúndi gregis gérmina copióſa diſpérgere, paſtor bonus épulas sepônit, & cantus, & diſcúrſu ánxio téneros quærit, legit, cólligit fœtus, atque eos collo, húmeris, ulnis lætus vector impônit, ut ſalvos omnes pérferat, & totas perdûcat ad caulas.

℟. Forma factus. 257.

Lectio viij.

Sed quia agnos rédditos gregi, & totus intra Chriſti vidêmus eſſe jam ſepta, divínos lætíſſimi revocâmur ad can-

cantus, Domínici vobis cibi exultatióne tota vitáles cópias apponéntes: ut quos sócios senſérimus in labóre, partícipes in gáudiis habêre possímus. Et quia præfátio hæc nostra pastôris boni fecit & íntulit mentiónem; de ipso, qui solus bonus, solus pastor, solus pastôrum pastor est, tota sermônis nostri & tractâtus repleâtur, & habeâtur inténtio.

℟. In médio natiônis. 258.

Lectio ix.

PAstor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fortem fáciat vis amôris, quia nihil durum, nil amârum, vel grave, nil lethâle cómputat amor verus. Quod ferrum? quæ vúlnera? quæ pœna? quæ mortes amôrem prævalent separâre perféctum? Amor impenetrábilis est lorica, réspuit jácula, gládios éxcutit, perículis insúltat, mortem ridet: si amor est, vincit ómnia.

Te Deum laudâmus. 28.

Ad Vesperas omnia ut in primis Vesperis festi. Duplex.

In Hispania fit Officium de S. Narcisso Episc. & martyre. Duplex, cum commem. Oct. S. Petri Paschasii ad Laudes.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de Octava S. Petri Paschasii, ut in primis Vesp. festi, cum comm. S. Narcissi.

DIE XXX. OCTÓBRIS.

In Octava S. Petri Paschasii.

Duplex.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Serm. S. Joánnis Chrysóstomi.

De sancto Ignatio, *tom.* 5.

Lectio iv.

TEmpus animadvértite, fratres, quo dignitâtem Episcopâlem beâtus Petrus Paschásius est assecûtus: neque enim est éadem nunc, quæ tunc erat Ecclésiam gubernándi condítio; non æquâlis est labor, viam tritam, & planè parâtam post multos íngredi viatóres, atque eam, quæ nunc primò secánda est, quæque prærúpta, & saxôsa, ferísque plena, nec ullum adhuc viatôrem admísit. Tunc autem, quocúmque quis óculos vérteret, ubíque præcipítia, bárathra, & bella, & pugnæ, & perícula: Imperatóres, & Reges, & pópuli, & civitátes, & gentes, & doméstici, & aliéni credéntibus insídias tendébant.

℟. Per patiéntiam. 255.

Lectio v.

QUemádmodum ígitur gubernatôrem admirâmur, non quòd vectóres possit in portum incólumes dúcere, cùm mare tranquillum

lum est, cùmque navis fertur ventis secúndis: sed cùm insaniénte pélago, ventísque sæviéntibus, qui in navi sunt inter se disséntiunt, magna tempestâte intus & foris navigántes exagitánte, navim tamen potest dirígere & conservâre. Sic eos, qui tunc Ecclésiam regébant, multò magis, quàm illos, qui eam in præséntia gubérnant, suspícere debêmus, & admirári, quando multa bella intùs & foris, quando fidei planta imbecíllior erat adhuc, & diligéntia magis indigêbat; quando véluti modò génitus infans Ecclésiæ pópulus magnam providéntiam, atque sapiéntiam ánimæ, à qua nutriéndus esset, postulâbat.

℟. Persequéntes. 256.

Lectio vj.

VErùm, ne totum tempus in Episcopâtus consideratiône collocántes, ab iis quæ ad eum uti mártyrem spéctant enarrándis, excludâmur: age, ad illíus certámina contendâmus. Versûtus enim diábolus, & ad struéndas aptus insídias, existimâbat, si pastóres sustulísset, ovília se fácile direptûrum. Sed qui comprehéndit astútos in eôrum astútia, osténdens, Ecclésias suas non ab homínibus gubernári, sed eos, qui in ipsum credunt, semper à se regi, id fieri permittêbat; ut cum cérneret, rectóribus sublâtis, non tamen religiônem deléri, nec veritâtis prædicatiônem extíngui, sed pótiùs augêri: ex rebus ipsis & ipse, & qui ei inserviébant, omnes intellígerent, Christianôrum disciplínam non ab homínibus pendêre, sed in cœlis radíces ágere, Deúmque esse, qui ubíque Ecclésias tuerêtur.

℟. Illuminátus à Deo. 256.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 10. *b*

IN illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía S. Petri Chrysólogi.

Serm. 4. *de bono Pastore, ante medium.*

QUærâmus, utrum sit óvibus cómmoda mors ista pastôris, quæ destítuit oves, quæ lupis tradit inérme pecus, quæ sic charum gregem ferínis mórsibus derelínquit, direptióni dat, & expônit morti, sicut ipsíus pastôris Christi probâtur ex morte. Ex quo namque póſuit ipse ánimam suam pro óvibus suis, seque Judáïco furôre permísit occídi, oves ejus

S Gen-

Gentílium velut prædónum diripiúntur incúrsu; mactándæ in carcéribus velut latrónum claudúntur antris: à persecutóribus, quasi à sæviéntibus lupis sine cessatióne laniántur.

℟. Forma factus. 257.

Lectio viij.

QUærámus ergo hujus quæ vis, quæ rátio sit amôris, quæ hujus causa mortis, quæ hujus sit utílitas passiônis. Est plane vis certa, vera ratio, causa lucens, utílitas tanti sánguinis perapérta. Namque pastôris una ex morte virtus emícuit singulâris. Pastor pro óvibus, morti quæ óvibus imminêbat, occúrrit, ut auctôrem mortis diábolum novo órdine captus cáperet, victus vínceret, puníret occísus, & óvibus moriéndo viam vincéndæ mortis aperíret. Nam & diábolus dum in hóminem tendit, prosilívit in Deum: dum in reum sævit, incúrrit in júdicem: invênit supplícium, dum íngerit pœnam: ipse áccipit, dum dat senténtiam: & vivens mortálium pastu mors móritur, dum dévorat vitam: absórbens reos, mors absorbêtur, innocéntiæ dum deglútit auctôrem: & perit mors ipsa, quæ perdêbat omnes, dum ómnium perimêre vult salûtem.

℟. In médio natiônis. 258.

Lectio ix.

ERgo tali forma præcéssit oves pastor: pastor ab óvibus non recéssit, nec illas dedit lupis, sed trádidit lupos illis, quibus donâvit suos elídere sic prædónes, ut occísæ víverent, laniátæ resúrgerent, sánguine suo tinctæ fulgérent regáli púrpura, níveo véllere perlucérent. Sic bonus pastor pro óvibus cùm pósuit ánimam, non amísit: & oves táliter ténuit, non relíquit; nec destítuit oves táliter, sed invitâvit; quas per mortáles campos, per iter mortis vitália vocâvit & perdúxit ad páscua.

Te Deum laudâmus. 28.

FESTA NOVEMBRIS.

Officium Patrocinii beatæ Mariæ virginis.

Pro omnibus Hispaniarum Regi subjectis: recitandum aliqua die Dominica Novembris ab Ordinario loci eligenda.

Duplex secundæ classis, sine Octava, in Ordin. nostro.

Omnia, ut in fine Breviarii Romani, cum nona Lectione, & commem. in utriusque Vesperis, & Laudibus Dominicæ occurrentis.

DIE

Digitized by Google

DIE X. NOVEMBRIS.

In festo Paſſionis Imaginis Domini nostri Jesu Christi.

Duplex.

Ad Vesperas. Aña. O magnum pietâtis opus, cum reliq. de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis. 113.

Capitulum. *Philip.* 2.

FRatres, Hoc enim sentîte in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapînam arbitrâtus est esse se æquâlem Deo: sed semetípsum exinanîvit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo.

Hymnus.

VExílla Regis pródeunt,
Fulget crucis mystérium,
Qua vita mortem pértulit,
Et morte vitam prótulit.
Quæ vulnerâta lánceæ
Mucrône diro, críminum
Ut nos lavâret sórdibus,
Manâvit unda & sánguine.
Implêta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus:
Regnâvit à ligno Deus.
Arbor decôra, & fúlgida,
Ornâta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.
Beâta, cujus bráchiis
Prétium pepéndit séculi,
Statêra facta córporis,
Tulítque prædam tártari.
O crux ave spes única,
In hac triúmphi glória,
Piis adáuge grátiam,
Reísque dele crímina.
Te, fons salûtis Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quibus crucis victóriam
Largíris, adde præmium.
Amen.

℣. Hoc signum crucis erit in cœlo. ℟. Cùm Dóminus ad judicándum vénerit.

Ad Magnificat,

Aña. O crux, splendídior cunctis astris, mundo célebris, homínibus multum amábilis, sánctior univérsis, quæ sola fuísti digna portâre taléntum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: salva præséntem catérvam, in tuis hódie láudibus congregâtam.

Oratio.

COncêde quæsumus omnípotens Deus: ut sicut hodiérna die passiônem Christi Fílii tui in ejus imágine fidéliter recólimus; ita ab instántibus inimíci jáculis tuo præsídio muniâmur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commemorat. Dedicationis Basilicæ Salvatoris, Aña. O quàm metuéndus est locus iste: verè non est hic

 áliud,

áliud, nisi domus Dei, & porta cœli. ℣. Domum tuam Dómine decet sanctitûdo. ℟. In longitúdinem diêrum.

Oratio.

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiônis réparas diem, & sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, & præsta; ut quisquis hoc templum beneficia petitûrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætêtur.

Posteà Ss. martyrum Tryphonis, Respicii, & Nymphæ virginis, Aña. Istôrum est enim regnum cœlôrum. ℣. Lætámini in Dómino. 71.

Oratio.

Fac nos, quæsumus Dómine, sanctôrum mártyrum tuôrum Tryphônis, Respícii, & Nymphæ semper festa sectári: quorum suffrágiis protectiônis tuæ dona sentiâmus. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Christum Regem pro nobis in cruce exaltâtum,* Veníte, adorêmus. Psalm. Veníte, exultêmus. 16.

Hymnus.

Pange lingua gloriósi
Láuream certáminis,
Et super crucis tróphæo
Dic triúmphum nóbilem:
Quáliter Redémptor orbis
Immolâtus vícerit.
De paréntis protoplásti
Fraude factor cóndolens,
Quando pomi noxiâlis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notâvit,
Damna ligni ut sólveret.
Hoc opus nostræ salûtis
Ordo depopóscerat;
Multifórmis proditôris
Ars ut artem fálleret,
Et medêlam ferret inde,
Hostis unde læserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitûdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Cónditor:
Atque ventre virgináli
Carne amíctus pródiit.
Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia:
Membra pannis involûta
Virgo mater álligat:
Et Dei manus pedésque
Stricta cingit fáscia.
Sempitérna sit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri Filiôque,
Par decus Paráclito:
Unius Trinique nomen
Laudet univérsitas.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Nóbile lignum exaltâtur, Christi fides rútilat, dum crux ab ómnibus venerâtur. Psalm. Beâtus vir, qui. 17. Aña. Sancta crux extóllitur à cunctis régibus, virga régia erí-

erígitur, in qua Salvátor triumphávit. Psalm. Quare fremuérunt gentes. 18. Aña. O Crux venerábilis, quæ salûtem attulísti míseris, quibus teéfferam præcóniis, quóniam vitam nobis cœlitem præparásti Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt. 19. ℣. Hoc signum crucis erit in cœlo. ℟. Cùm Dóminus ad judicándum vénerit.

De libro Númeri.

Lectio j. *Cap.* 21.

CUm audísset Chananæus rex Arad, qui habitábat ad merídiem, venísse scílicet Israël per exploratôrum viam, pugnâvit contra illum, & victor exístens, duxit ex eo prædam. At Israël voto se Dómino óbligans, ait: Si tradíderis pópulum istum in manu mea, delêbo urbes ejus. Exaudivítque Dóminus preces Israël, & trádidit Chananæum, quem ille interfécit subvérsis úrbibus ejus: & vocâvit nomen loci illíus Horma, id est, anathema.

℟. Gloriósum diem sacra venerâtur Ecclésia, dum triumphále exaltâtur lignum: * In quo Redémptor noster mortis víncula rumpens, cállidum áspidem superâvit. ℣. In ligno pendens nostræ salûtis sémitam Verbum Patris invênit. In quo Redémptor.

Lectio ij.

PRoféđi sunt autem & de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare rubrum, ut circumíret terram Edom. Et tædêre cœpit pópulum itíneris ac labôris: locutúsque contra Deum & Móysen, ait: Cur eduxísti nos de Ægypto, ut morerêmur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquæ: ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo. Quámobrem misit Dóminus in pópulum ignítos serpéntes.

℟. Crux fidêlis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla sylva talem profert, fronde, flore, gérmine: * Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustínuit. ℣. Super ómnia ligna cedrôrum tu sola excélsior. Dulce lignum.

Lectio iij.

AD quorum plagas & mortes plurimôrum, venérunt ad Móysen, atque dixérunt: Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum & te: ora ut tollat à nobis serpéntes. Oravítque Móyses pro pópulo, & locútus est Dóminus ad eum: Fac serpéntem æneum, & pone eum pro signo: qui percússus aspéxerit eum, vivet. Fecit ergo Móyses serpéntem æneum, & pósuit eum pro signo: quem

cùm percússi aspícerent, sanabántur.

℟. Hæc est arbor digníssima, in paradísi médio situâta, *In qua salûtis auctor própria morte mortem ómnium superâvit. ℣. Crux præcelléntí decôre fúlgida, quam Heraclius Imperâtor concupiscénti ánimo recuperâvit. In qua salûtis. Glória Patri. In qua salûtis.

In secundo Nocturno.

Aña. O Crucis victória, & admirábile signum, in cœlésti cúria fac nos captâre triúmphum. Psalm. Cùm invocârem. 21. Aña. Funéstæ mortis damnâtur supplícium, dum Christus in cruce nostra destrúxit víncula críminum. Psal. In Dómino confido: quómodò dícitis. 93. Aña. Rex exaltâtur in æthera, cùm nóbile trophæum crucis ab univérsis Christícolis adorâtur per sécula. Psalm. Dómine in virtûte tua lætábitur rex. 25.

℣. Adorâmus te Christe, & benedícimus tibi. ℟. Quia per crucem tuam redemísti mundum.

Lectio iv.

BEryti, quæ urbs in Syria est, Judæôrum multitûdo magna cùm olim habitâret, apud synagôgam, quam illi satis amplam habébant, quidam è Christiánis domicílium condúxerat; ubi pro pietâtis stúdio antiquíssimam Jesu Christi Dómini imáginem, quam cóleret & venerarêtur, in conspéctu cubículi posúerat. Paulò autem post, quóniam laxiôrem habitatiônem quærere necésse habúerat, in áliam urbis partem commigrâvit. Quò cùm res suas omnes asportásset, factum est, ut eam Dómini imáginem illic relíquerit, obliviône quidem, sed tamen Dei consílio, qui re admirábili inde consecúta, impiôrum ánimos in perfídiæ scélere obfirmátos ad cultum excitâvit Christiánæ religiônis.

℟. Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, & resurréctio nostra: * Per quem salváti, & liberáti sumus. ℣. Tuam crucem adorâmus Dómine, & recólimus tuam gloriôsam passiônem. Per quem.

Lectio v.

LOci ígitur opportunitâte ductus Judæus quidam, ædículas, unde Christiânus migrârat, sibi deínceps locándas curâvit: quas licèt aliquámdiu habitáset, numquam tamen eam imáginem aspéxit. Sed quodam die, cùm áliquos suæ tribus hómines ad prándium vocásset; eam unus ex iis cons-

conspicâtus, repéntè ira accénsus, & convivatôrem clamôre conviciísque agitâvit, & illam ómnibus maledíctis atque execratiónibus violâvit. Inde verò egréssus, rem détulit ad príncipes Judæôrum: qui postrídie manè eò profécti, cùm Judæum malè mulctâ-runt, tùm ipsam Jesu Christi imáginem conspúere, colaphísque cædere ausi, ómnia ad ipsius contuméliam exémpla impietâtis renovárunt, quibus eôrum majóres olim usi sunt ad ejúsdem Christi Dómini passiônem. Cùm verò unus ex Judæis latus Domínicæ imáginis láncea transverberásset, conféstim sánguinis & aquæ rívuli ex eo manâre cœpérunt. Cujus rei miráculo obstupefácti Judæi, vas supposuérunt, quod súbitò plenum ad synagôgam detulérunt.

℟. Dum sacrum pignus cœlitùs exaltâtur, Christi fides roborâtur: * Adsunt prodígia divína in virga Móysi prímitus figurâta. ℣. Ad crucis contáctum resúrgunt mórtui, & Dei magnália reseràntur. Adsunt prodígia.

Lectio vj.

EO autem sánguine cùm multi, qui morbo languerant, valetúdinem mirabíliter recuperássent, ingens hebræôrum multitûdo in Jesum Christum crédidit: ad civitatísque Epíscopum, à quo baptísmum suscíperet, accúrrens, rem omnem órdine expósuit. Is ígitur & cuncta, ut narrâta erant, vera esse cognôvit, & imáginis illius, quæ jam inde à Christi Dómini tempóribus hæreditário jure obvénerat Christiáno, cujus domi duôbus jam séculis & ámplius asservabâtur, antiquitâtem diligénter perspéxit: sánguinem verò, qui de eâdem imágine tam mirabíliter efflúxit, in ampúllis vitreis repósuit; quas ad multas deínde ecclésias cùm misísset, lítteris étiam suis rem admirábilem ubíque terrârum testificâtam fecit: eamdémque à beáto Athanásio Alexandríno moniméntis étiam consignâtam Synodus œcuménica séptima comprobâvit.

℟. Hoc signum crucis erit in cœlo, cùm Dóminus ad judicándum vénerit: * Tunc manifésta erunt abscóndita cordis nostri. ℣. Cùm séderit Fílius hóminis in sede majestâtis suæ, & cœperit judicâre séculum per ignem. Tunc manifésta. Glória Patri. Tunc.

In tertio Nocturno.

Aña. Adorâmus te Christe, & benedícimus tibi: quia per crucem tuam redemísti mundum. Psalm. Cantâte Dómino.

no. j. 228. Aña. Per lignum servi facti sumus, & per sanctam crucem liberáti sumus: fructus árboris sedúxit nos, Fílius Dei redêmit nos, allelúia. Psalm. Dóminus regnâvit, exúltet. 228. Aña. Salvátor mundi salva nos, qui per crucem & sánguinem tuum redemísti nos, auxiliâre nobis, te deprecâmur Deus noster. Psalm. Cantâte Dómino cánticum novum. ij. 229. ℣. Omnis terra adôret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. *Cap. 12. e*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæôrum: Nunc judícium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciêtur foras. Et réliqua.

Homilía sancti Leônis Papæ. *Serm. 8. de Passione Domini, post medium.*

EXaltáto, dilectíssimi, per crucem Christo, non illa tantùm spécies aspéctui mentis occúrrat; quæ fuit in óculis impiôrum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, & timébis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Dómino præter fácinus suum cogitâre potuérunt, habéntes timôrem, non quo fides vera justificâtur, sed quo consciéntia iníqua torquêtur. Noster verò intelléctus, quem Spíritus veritâtis illúminat, glóriam crucis cœlo terráque radiántem puro ac líbero corde suscípiat, & interiôre ácie vídeat, quâle sit quod Dóminus, cùm de passiônis suæ loquerêtur instántia, dixit: Nunc judícium mundi est, nunc princeps hujus mundi ejiciêtur foras. Et ego si exaltâtus fúero à terra, ómnia traham ad me ipsum.

℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustínuit: * Quæ sola digna fuit portâre prétium hujus séculi. ℣. Hoc signum crucis erit in cœlo, cùm Dóminus ad judicándum vénerit. Quæ sola. Benedictio. Divínum auxílium.

Lectio viij.

O Admirábilis poténtia crucis, ô ineffábilis glória passiônis, in qua & tribûnal Dómini, & judícium mundi, & potéstas est crucifixi! Traxísti enim Dómine ómnia ad te; & cùm expandísses tota die manus tuas ad pópulum non credéntem, & contradicéntem tibi, confiténdæ majestâtis tuæ sensum totus mundus accêpit. Traxísti Dómine ómnia ad te, cùm in execratiônem Judáici scéleris,

ris, unam protulérunt ómnia eleménta sententiam, cùm obscurátis luminaribus coeli, & converso in noctem die, terra quoque mótibus quaterêtur insólitis, universáque creatúra impiôrum úsui se negâret. Traxísti Dómine ómnia ad te, quóniam scisso templi velo, sancta sanctôrum ab indígnis pontificibus recessérunt, ut figûra in veritâtem, prophetia in manifestatiônem, & Lex in Evangélium verterêtur.

℟. Sicut Móyses exaltâvit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Filium hóminis; * Ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. ℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvêtur mundus per ipsum. Ut omnis. Glória Patri. Ut.

Pro sanctis Tryphone, Respicio, & Nympha mart.

Lectio ix.

Tryphon, Décio Imperatôre, cùm Jesu Christi fidem prædicans, omnes ad ejus cultum perdúcere conarêtur, à Décii satellítibus comprehénsus, primùm equúleo torquêtur, & úngulis férreis excarnificâtur: deinde sublímibus pédibus candéntibus clavis confixus, fústibus cæditur, & admótis fácibus ardéntibus adúritur. Quæ cùm ómnia fórtiter feréntem vidísset Respícius Tribúnus, ad Christi Dómini fidem convérsus, statim se Christiánum esse, palàm proféssus est. Qui variè cruciâtus, unà cum Tryphône rápitur ad Jovis simulácrum, quæ státua Tryphône oránte cécidit. Quare plumbátis crudelíssimè contúsi, nobilíssimum martyrium consecúti sunt, quarto Idus Novémbris. Eôdem die virgo quædam, cui nomen Nympha, cùm Jesum Christum verum esse Deum clara voce testarêtur, martyrii palmam ad virginitâtis corônam adjúnxit.

Te Deum laudâmus. 28.

Si hoc festum contingat transferri in aliam diem, & eo die non occurrat aliquod festum Simplex habens Lectionem propriam, dicitur

Lectio ix.

Traxísti Dómine ómnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbrátis significatiónibus tegebâtur, pleno apertôque sacraménto universârum ubique natiônum devótio celebrâret. Nunc étenim & ordo clárior Levitârum, & dígnitas ámplior seniôrum, & sacrátior est únctio Sacerdôtum: quia crux tua ómnium fons benedictiônum, ómnium est causa gratiârum: per quam credén-

déntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte. Nunc étiam carnálium sacrificiórum varietáte cessánte, omnes differéntias hostiárum una Córporis & Sánguinis tui implet oblátio: quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: & ita in te univérsa pérficis mystéria, ut sicut unum est pro omni víctima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.

Te Deum laudámus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

O Magnum pietátis opus! mors mórtua tunc est, In ligno quando mórtua vita fuit. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis 28. Aña. Salva nos Christe Salvatór per virtûtem crucis, qui salvásti Petrum in mari, miserére nobis. Aña. Ecce crucem Dómini, fúgite partes advérsæ, vicit leo de tribu Juda, radix David, allelúia. Aña. Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi. Aña. Per signum crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster.

Capitulum. *Philip.* 2.

FRatres, Hoc enim sentíte in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapínam arbitrâtus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo.

Hymnus.

LUstra sex qui jam perégit,
Tempus implens córporis,
Sponte líbera Redémptor
Passióni déditus,
Agnus in crucis levátur
Immolándus stípite.
Felle potus ecce lánguet,
Spina, clavi, láncea
Mite corpus perforárunt:
Unda manat & cruor:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine!
Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis:
Sylva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sústinent.
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas,
Et supérni membra regis
Tende miti stípite.
Sola digna tu fuísti
Ferre mundi víctimam,
Atque portum præparâre
Arca mundo náufrago,
Quam sacer cruor perúnxit

Fu-

Digitized by Google

Fuſus Agni córpore.
Sempitérna ſit beátæ
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque,
Par decus Paráclito:
Unius Triníque nomen
Laudet univérſitas. Amen.
℣. Adorâmus te Chriſte, & benedícimus tibi. ℣. Quia per crucem tuam redemíſti mundum.

Ad Benedictus,
Aña. Super ómnia ligna cedrôrum tu ſola excélſior, in qua vita mundi pepéndit, in qua Chriſtus triumphâvit, & mors mortem ſuperâvit in ætérnum.

Oratio.

COncéde quæſumus omnípotens Deus: ut ſicut hodiérna die paſſiônem Chriſti Fílii tui in ejus imágine fidéliter recólimus; ita ab inſtántibus inimíci jáculis tuo præſídio muniâmur. Per eúmdem Dóminum noſtrum.

Deinde fit comm. Ss. mart. Tryphonis, Reſpicii, & Nimphæ virginis. Aña. Veſtri capílli cápitis. ℣. Exultábunt. 17. Oratio: Fac nos. ut ſupra in Veſperis.

Ad Tertiam, Aña. Salva nos Chriſte: Capitulum. Fratres, Hoc enim ſentíte.
℟. brev. Hoc ſignum crucis * Erit in cœlo. Hoc ſignum. ℣. Cùm Dóminus ad judicándum vénerit. Erit in cœlo. Glória Patri. Hoc ſignum. ℣. Adorâmus te Chriſte, & benedícimus tibi.
℟. Quia per crucem tuam redemíſti mundum.

Ad Sextam, Aña. Ecce crucem Dómini.
Capitulum. *Galat. 6. d*

MIhi autem abſit gloriári, niſi in cruce Dómini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.
℟. brev. Adorâmus te Chriſte, * Et benedícimus tibi. Adorâmus. ℣. Quia per crucem tuam redemíſti mundum. Et benedícimus. Glória Patri. Adorâmus. ℣. Omnis terra adôret te, & pſallat tibi. ℟. Pſalmum dicat nómini tuo Dómine.

Ad Nonam, Aña. Per ſignum crucis.
Capitulum. *Philip. 2. b*

HUmiliâvit ſemetípſum factus obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltâvit illum, & donâvit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.
℟. brev. Omnis terra adôret te, * Et pſallat tibi. Omnis terra. ℣. Pſalmum dicat nómini tuo Dómine. Et pſallat. Glória Patri. Omnis terra. ℣. Hoc ſignum crucis erit in cœlo.

℟.

Digitized by Google

℟. Cùm Dóminus ad judicándum vénerit.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

Ad Magnificat,

Aña O Crux benedícta, quæ sola fuísti digna portâre Regem cœlôrum & Dóminum, allelúia. Oratio. Concéde quæsumus, ut suprà.

Et fit commemorat. sancti Martini Episcopi & Confess. Aña. O beâtum virum, cujus ánima paradísum póssidet: unde exsúltant ángeli, lætántur Archángeli, chorus sanctôrum proclámat, turba vírginum invítat, Mane nobíscum in ætérnum. ℣. Amâvit eum Dóminus, & ornâvit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

DEus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtûte subsístimus: concéde propítius; ut intercessiône beâti Martíni Confessôris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniâmur.

Deinde sancti Mennæ mart. Aña. Iste sanctus. ℣. Glória & honôre. 34.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus: ut qui beâti Mennæ mártyris tui natalítia cólimus, intercessiône ejus in tui nóminis amôre roborémur. Per Dóminum nostrum.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In festo Omnium sanctorum Ordinis nostri. Duplex secundæ classis.

Ad Vesperas, Aña. Vidi turbam magnam, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliq. 13.

Capitulum. *Eccl.* 44.

LAudêmus viros glorió- sos & paréntes nostros in generatiône sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua à século.

Hymnus.

PLacâre, Christe, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuæ ad tribûnal grátiæ
Patrôna Virgo póstulat.

Vos purpuráti mártyres,
Vos candidáti præmio
Confessiônis, éxules
Vocâte nos in pátriam.

Chorêa casta vírginum,
Et quos relígio íncolas
Transmísit astris, cœlitum
Locâte nos in sédibus.

Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus:
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos pastor regat.

Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sécula.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino, & exul-

exultâte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat,

Aña. Triumphántium mártyrum victor exércitus, sanctôrum Confessôrum sacer convéntus, beatôrum religiosôrum nóbilis cœtus, vírgines Dómini, sanctæque mulíeres intercédite omnes pro nobis, allelúia.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium sanctôrum Ordinis nostri mérita sub una tribuísti celebritâte venerári: quæsumus, ut desiderâtam nobis tuæ propitiatiônis abundántiam, multiplicâtis intercessóribus largiâris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem regum Dóminum venite, adorêmus: * Quia ipse est corôna sanctôrum ómnium. Psalm. Venite, exultêmus. 16. Hymnus. Placâre, Christe, sérvulis, ut suprà.

In primo Nocturno.

Aña. Novit Dóminus viam justôrum, qui in lege ejus meditántur die ac nocte. Psalm. Beâtus vir, qui non ábiit, 17. Aña. Mirificâvit Dóminus sanctos suos, & exaudívit eos clamántes ad se. Psalm. Cùm invocârem. 21. Aña. Admirábile est nomen tuum Dómine, quià glória & honôre coronásti sanctos tuos, & constituísti eos super ópera mánuum tuârum. Psalm. Dómine Dóminus noster. 22. ℣. Lætámini in Dómino, & exultâte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 44.

LAudêmus viros gloriósos & paréntes nostros in generatiône sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua à século. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtûte, & prudéntia sua prædíti, nuntiántes in prophétis dignitâtem prophetârum, & imperántes in præsénti pópulo, & virtûte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, & narrántes cármina scripturârum.

℟. Beâta es María Dei génítrix, Patrôna & auxiliátrix nostra: * Cujus nutu hæc tua ad fidélium redemptiônem in paradíso Ecclésiæ plantâta est relígio. ℣. Tua sancta intercessiône ádjuva nos immáculâta Virgo. Cujus nutu.

Lectio ij.

HOmines dívites in virtûte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in

Digitized by Google

in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, & in diêbus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eôrum: & sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint; & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsôrum cum ipsis.

℟. Ave pater Deo digne, vírgini Maríæ grate, ave Noláscce sanctíssime; * Cujus charitâte insígni è barbarôrum mánibus liberántur fidéles, cujus sanctitâte Christi exornâtur Ecclésia, & de cujus glória lætántur cœlôrum cives. ℣. O sidus, ò decus vírginis famíliæ, & pater, intercêde pro nobis. Cujus.

Lectio iij.

SEd illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eôrum pérmanent bona, hæréditàs sancta nepótes eôrum, & in testaméntis stetit semen eôrum; & filii eôrum propter illos usque in ætérnum manent: semen eôrum & glória eôrum non derelinquêtur. Córpora ipsôrum in pace sepúlta sunt, & nomen eôrum vivit in generatiônem & generatiônem. Sapiéntiam ipsôrum narrent pópuli, & laudem eôrum nuntiet ecclésia.

℟. Propter testaméntum Dómini, & leges patérnas sancti Dei perstitérunt in amôre fraternitâtis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucúndum habitâre fratres in unnm. Quia unus. Glória Patri. Quia unus.

In secundo Nocturno.

Aña. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, & requiéscent in monte sancto tuo. Psal. Dómine, quis habitâbit. 24. Aña. Hæc est generátio quærêntium Dóminum, quærêntium fáciem Dei Jacob. Psal. Dómini est terra. 25. Aña. Lætámini in Dómino, & exultâte justi, & gloriámini omnes recti corde.

Psalmus 31.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes: * & quorum tecta sunt peccâta.
Beâtus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.
Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea: * dum clamârem tota die.
Quóniam die ac nocte gravâta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum configitur spina.
Delíctum meum cógnitum tibi feci: * & injustítiam meam abscóndi.
Dixi: Confitêbor advérsum me

me injuſtítiam meam Dómino: * & tu remiſíſti impietâtem peccáti mei.

Pro hac orâbit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquârum multârum * ad eum non approximâbunt.

Tu es refúgium meum à tribulatiône, quæ circúmdedit me: * exultâtio mea érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac, qua gradiêris: * firmâbo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eôrum conſtrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatôris; * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultâte juſti: * & gloriámini omnes recti corde.

Aña. Lætámini in Dómino, & exultâte juſti: & gloriámini omnes recti corde. ℣. Exúltent juſti in conſpéctu Dei.

℟. Et delectêntur in lætítia.

Sermo S. Auguſtíni Epíſcopi.

De Civit. Dei, lib. 22. cap. 30.

Lectio iv.

QUanta erit illa felícitas, ubi nullum erit malum, nullum latêbit bonum, vacâbitur Dei láudibus, qui erit ómnia in ómnibus! Nam quid áliud agêtur, ubi neque ulla deſídia ceſſábitur, neque ulla indigéntia laborábitur, néſcio. Admóneor etiam ſancto cántico, ubi lego, vel audio: Beáti qui hábitant in domo tua Dómine, in ſécula ſeculôrum laudábunt te. Omnia membra & víſcera incorruptíbilis córporis, quæ nunc vidêmus per uſus neceſſitâtis vários & motus diſtribûta, quóniam tunc non erit ipſa neceſſitas, ſed plena, certa, ſecûra, ſempitérna felícitas, proficient in láudibus Dei.

℟. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum:* Sancti, & húmiles corde laudâte Deum.

℣. Qui dilígitis Dóminum, lætámini in Dómino, & exultâte in láudibus ejus. Sancti.

Lectio v.

VEra ibi glória erit, ubi laudántis nec errôre quiſquam, nec adulatiône laudábitur. Verus honor qui nulli negábitur digno, nulli deferêtur indígno: ſed nec eum ámbiet ullus indígnus, ubi nullus permittêtur eſſe niſi dignus. Vera pax ibi eſt, ubi nihil advérſi nec à ſeipſo, nec ab álio quiſquam patiêtur. Præmium virtûtis erit ipſe, qui virtûtem dedit, & qui

qui seipsum, quo mélius & majus nihil possit esse, promísit. Quid est enim áliud quòd per Prophétam dixit: Ero illôrum Deus, & ipsi erunt mihi plebs? nisi ego ero unde satiéntur, ego ero quæcúmque ab homínibus honéstè desiderántur, & vita, & salus, & victus, & cópia, & glória, & honor, & pax, & ómnia bona?

℞. Sapiéntiam sanctôrum narrent pópuli: * Et laudem eôrum núntiet Ecclésia. ℣. Nomen eôrum requirêtur à generatiône in generatiônem. Et laudem eôrum.

Lectio vj.

Ex lib. Medit. cap. 24.

FElíces sancti Dei, qui jam transiístis hujus mortalitâtis pélagus, & perveníre meruístis ad portum perpétuæ quiêtis, securitâtis, & pacis, secúri & tranquílli, sempérque festívi atque gaudéntes estis. Obsecrâmus vos per vestram charitâtem, qui secúri estis de vobis, solíciti estôte de nobis. Secúri estis de vestra immarcescíbili glória, solíciti estôte de nostra multíplici miséria. Per ipsum vos rogo, qui vos elêgit, qui vos tales fecit: de cujus pulchritúdine jam satiámini: de cujus immortalitâte jam immortáles facti estis: de cujus beatíssima visiône semper gaudêtis. Estôte júgiter mémores nostri, subveníte nobis míseris, qui adhuc in salo hujus vitæ circumstántibus agitâmur procéllis.

℞. Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum quando revertâtur à núptiis. ℣. Vigilâte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventûrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

In tertio Nocturno.

Aña. Timête Dóminum omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum: ecce óculi Dómini super justos, & aures ejus ad preces eôrum. Psalm. Benedícam Dóminum in omni témpore. 96.
Aña. Dómine spes sanctôrum, & turris fortitúdinis eôrum dedísti hæreditâtem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in sécula. Psalm. Exaudi Deus deprecatiônem meam. 167. Aña. Qui dilígitis Dóminum, lætámini in Dómino, & confitémini memóriæ sanctitâtis ejus. Psalm. Dóminus regnâvit, exúltet. 228. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℞. Et apud Dóminum est merces eôrum.

Léc-

Digitized by Google

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; & cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 14. *in festo Omnium Ss. edit. Paris. cap.* 6.

HIc est finis amôris nostri: finis quo perficiâmur, non quo consumâmur. Finítur cibus, finítur vestis: cibus, quia consúmitur edéndo, vestis, quia perficitur texéndo. Et illud finítur, & illud. Sed finis iste pértinet ad consumptiônem, ille ad perfectiônem. Quidquid ágimus, quidquid bene ágimus, quidquid nítimur, quidquid laudabíliter æstuâmus, quidquid inculpabíliter desiderâmus, ad Dei visiônem cùm vénerit, plus non requirêmus. Quid enim quærat, cui adest Deus? aut quid sufficiet ei, cui non súfficit Deus?.

℟. Média nocte clamor factus est:* Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptâte vestras lámpades. Ecce sponsus. Benedictio. Quorum festum cólimus, ipsi.

Lectio viij.

VIdêre ergo Deum vólumus, vidêre Deum quærimus, vidêre Deum inardéscimus. Quis non? Sed vide quod dictum est: Beáti mundicórdes; quóniam ipsi Deum vidébunt. Hoc para, unde vídeas. Ut enim secúndùm carnem loquar, quid desíderas ortum solis cum óculis lippis? Sani sint óculi, & erit illa lux gáudium: non sint óculi sani, erit illa lux torméntum. Non enim corde non mundo vidêre permittêris, quod non vidêtur nisi corde mundo. Rêpellêris, auferêris, non vidêbis; beáti enim mundicórdes; quóniam ipsi Deum vidêbunt.

℟. Date eis de fructu mánuum suârum: * Et laudent eas in portis ópera eârum. ℣. Propter veritâtem, & mansuetúdinem, & justítiam. Et laudent. Glória Patri. Et laudent.

Lectio ix.

QUóties beátos jam numerâvit, quas beatitúdinis causas, quæ ópera, quæ múnera, quæ mérita, quæ præmia? Nusquam dictum est, Ipsi Deum vidébunt. Ventum est ad mundicórdes; ibi vísio Dei promíssa est. Non sine causa, nisi quia ibi sunt óculi, unde vidêtur Deus. De his óculis Paulus Apóstolus

loquens, ait: Illuminátos óculos cordis vestri. Modo ergo isti óculi pro sua infirmitâte illuminántur fide: póstea pro sua firmitâte illuminabúntur spécie: quámdiù enim sumus in córpore, peregrinâmur ad Dóminum; per fidem enim ambulâmus, non per spéciem. Quámdiù autem in hac fide sumus, quid de nobis dícitur? Vidêmus nunc per spéculum in ænígmate: tunc autem fácie ad fáciem.

Te Deum laudâmus. 28.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

VIdi turbam magnam, quam dinumerâre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, stantes ante thronum. Psalmus. Dóminus regnâvit, cum reliquis. 28. Aña. Et senióres stabant in circúitu throni, & cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, & adoravérunt Deum. Aña. Redemísti nos Dómine Deus in sánguine tuo ex omni tribu, & língua, & pópulo, & natiône, & fecísti nos Deo nostro regnum. Aña. Benedícite Dóminum omnes elécti ejus, ágite dies lætítiæ, & confitémini illi. Aña. Hymnus ómnibus sanctis ejus, filiis Israël, pópulo appropinquánti sibi: glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Capitulum. *Eccli.* 44.

LAudêmus viros gloriósos & paréntes nostros in generatiône sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua à século.

Hymnus.

SAlûtis ætérnæ Dator
Jesu redémptis súbveni:
Virgo parens cleméntiæ
Dona salûtem sérvulis.
Cohors triúmphans mártyrum,
Almus Sacerdôtum chorus,
Et virginâlis cástitas
Nostros reátus ábluant,
Quicúmque in alta síderum
Regnâtis aula Príncipes,
Favête votis súpplicum,
Qui dona cœli flágitant.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
sancto simul Paráclito
In seculôrum sécula. Amen.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Benedictus,

Aña. Te gloriôsus Confessôrum chorus, te religiôsorum laudábilis númerus, te mártyrum candidâtus laudat exércitus, te omnes sancti & elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas unus Deus.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium sanctôrum Ordinis nostri méri-

rita sub una tribuísti celebritâte veneràri : quæsumus, ut desiderâtam nobis tuæ propitiatiônis abundántiam, multiplicâtis intercessóribus largiàris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit & regnat.

Ad Tertiam, Aña. Et senióres. Capitulum. Laudêmus, ut supra.

℟. brev. Lætámini in Dómino, * Et exultâte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultâte. Glória Patri. Lætámini. ℣. Exultent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delectêntur in lætítia.

Ad Sextam, Aña. Redemísti nos.

Capitulum. *Eccli.* 44.

Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, & in diêbus suis habêntur in láudibus.

℟. brev. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent justi. ℣. Et delectêntur in lætítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eôrum.

Ad Nonam, Aña. Hymnus ómnibus.

Capitulum. *Eccli.* 44. *b*

Hæréditas sancta nepôtes eôrum, & in testaméntis stetit semen eôrum: & filii eôrum propter illos usque in ætérnum manent: semen eôrum & glória eôrum non derelinquêtur.

℟. brev. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eôrum. In perpétuum. Glória Patri. Justi autem. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

In secundis Vesperis omnia ut in primis & loco ultimi Psalm. Crédidi. 133.

A Capitulo fit de sancto Serapiòne martyre, cum commemoratione Omnium sanctorum Ordinis nostri. Aña. O quàm gloriôsum est regnum, in quo cum Christo gáudent omnes sancti! amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque ierit. ℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. Oratio. Omnípotens sempitérne Deus, ut supra.

DIE XIV. NOVÉMBRIS.

In festo S. Serapionis mart. Ordin. nostri.

Duplex secundæ classis cum Octava.

Omnia de Communi unius Martyris non Pontificis, præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

CORda nostra tui amôris igne, Jésu Redémptor, inflámma; ut sicut beâtus Serápion pro fidélibus rediméndis actus in crucem, te sequútus occúbuit: ita pia ejus intercessiône nullis frangámur advérsis, & tuæ crucis semper inhæreâmus ampléxibus. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Epistola beati Pauli Apost. ad Romanos: Fratres, Debitóres sumus, ut in Communi plurimorum Martyr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SErápion natiône Anglus illústri génere natus, adoléscens in aula Ducis Austriæ, ut pérhibent, educâtus est, reíque militári óperam dedit. In Hispániam cum ipso Duce, suppétias Alphónso Castéllæ Regi advérsus infidéles Mauros ferénte profécus, ibi diútius stipéndia fácere constítuit, occasiônem cúpiens cum Christiáni nóminis hóstibus congrediéndi. Voti compos à Duce factus, & in Hispánia relíctus, sub Alphónso Rege áliquot annis in Christiána fide dilatánda strénuè militâvit. Cùm autem in religiósos Ordinis beátæ Maríæ de Mercéde tunc recens institúti à Bæticæ pártibus cum captívis réduces fortè incidísset, ejúsmodi captívos rediméndi institúto magnópere delectátus, sacratiôris hujus milítiæ desidério cœpit incéndi.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam: & in vínculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

ITaque à sancto Petro Nolásco, qui Barchinónæ præses áderat, Ordini adscriptus, virtûtum ómnium exercítio se totum addíxit. Oratiônem, humilitâtem, carnis mortificatiônem, & castitâtem impénsè cóluit. Divíni honôris, & salútis animârum zelo succénsus plures à vitiôrum cœno ad virtûtem, perditásque muliéres ad pœniténtiam revocâvit. Ordinem suum, longis étiam itinéribus suscéptis, & labóribus, flagéllis, probris exímia patiéntia tolerâtis, miríficè propagâvit. Injuriârum ímmemor, persecutóribus suis benefícia repéndere consuévit. Hospitális in páuperes, erga captívos & fusè miséricors, crucis,

cis & martyrii ádeò cúpidus, ut in familiári sermône cum sancto Raimúndo Nonnáto, quem sibi conjunctíssimum, & in vita spirituáli alúmnum hábuit, illud Apóstoli, occasiône data, sæpè usurpâret: Cúpio dissólvi, & esse cum Christo; mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntâte labiôrum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióso. Et voluntâte.

Lectio vj.

HInc ad bárbaras infidélium regiónes ad captívos rediméndos semel atque íterum libentíssimè se cóntulit: donec Algáriæ in Africa captívis plusquam octogínta redémptis, & in Hispániam cum Berengário sócio remíssis, ipse, deficiénte redemptiônis prétio, pro réliquis óbsidem sese óbtulit, & in servitûtem addíxit. Cùmque líberè nihilóminus veram fidem annuntiáret, & plures Christo lucrifáceret, ab indignáto Maurôrum præside vínculis primùm adstríngi, in cárcerem trudi, & crudelíssimè cædi jubétur. Mox cápite damnátus, & cruci affixus, síngulis ártuum compágibus articulátim concísis, in ea oratiône: Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi: Salva Dómine ánimas, quas pretiôso sánguine redemísti, dissecto júgulo, victor anno Dómini millésimo ducentésimo quadragésimo ad martyrii corônam evolávit.

℟. Stola jucunditâtis índuit eum Dóminus; * Et corônam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibâvit illum Dóminus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutâris potâvit illum. Et corônam. Glória Patri. Et corônam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10. *c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; & occúltum, quod non sciêtur: Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. can. 10. *post initium.*

DOminus diem judícii osténdit, quæ abstrûsam voluntâtis nostræ consciéntiam prodet: & ea quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiônis públicæ détegêt. Igitur non minas, non consi-

ſilia, non poteſtátes inſectántium monet eſſe metuéndas: quia dies judícii nulla hæc fuiſſe atque inánia revelâbit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: & quod in aure audîtis, prædicâte ſuper tecta. Non légimus Dóminum ſólitum fuiſſe nóctibus ſermocinári, & doctrînam in ténebris tradidíſſe; ſed quia omnis ſermo ejus carnálibus ténebræ ſunt, & verbum ejus infidélibus nox eſt.

℟. Corôna áurea ſuper caput ejus, * Expréſſa ſigno ſanctitâtis, glória honôris, & opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, poſuísti in cápite ejus corônam de lápide pretióſo. Expréſſa.

Lectio viij.

ITaque id quod à ſe dictum eſt, cum libertâte fidei & confeſſiônis vult eſſe loquéndum. Idcirco quæ in ténebris dicta ſunt, prædicári juſſit in lúmine: ut quæ ſecréto áurium commíſſa ſunt, ſuper tecta, id eſt, excélſo loquéntium præcónio audiántur. Conſtánter enim Dei ingerénda cognítio eſt, & profúndum doctrînæ Evangélicæ ſecrétum in lúmine prædicatiônis Apoſtólicæ revelándum: non timéntes eos, quibus cùm ſit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum eſt: ſed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna & ánimæ & córporis ſit potéſtas.

℟. Hic eſt verè martyr, qui pro Chriſti nómine ſánguinem ſuum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitâtis glóriam quæſîvit, ſed ad cœléſtia regna pervênit. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

NOlîte timêre eos qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum noſtrôrum caſus eſt pertimeſcéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus eſt dolor: quando pro natúræ ſuæ atque oríginis conditiône reſolúta, in ſubſtántiam ſpirituâlis ánimæ refundâtur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére conſtántiam, étiam conditiônem, qua tenerêmur, adjécit: Negatûrum ſe eum Patri in cœlis, qui ſe homínibus in terra negáſſet: eum porrò qui confeſſus coram homínibus ſe fuiſſet, à ſe in cœlis confiténdum: qualéſque nos nóminis ſui teſtes homínibus fuiſſêmus, tali nos apud Deum Pa-

Patrem testimónio ejus usúros.

Te **Deum laudámus. 28.**

In secundis Vesperis fit commemoratio sequentis festi.

Dicto **Benedicámus Dómino,** dicuntur Vesperæ Defunctorum sub ritu Duplici, ut in Breviar. pro commemoratione Omnium Defunctorum Ordinis nostri, & non dicitur Psalm. **Lauda ánima mea Dóminum**, sed unica tantum Oratio. **Deus véniæ largitor,** cum integra conclusione.

DIE XV. NOVÉMBRIS.

Commemorat. Omnium Defunctorum Ordinis nostri. Duplex.

Officium fit de S. Gertrude virgine, ut in Breviario, & in Laudib. fit commemoratio Octavæ sancti Serapionis martyris, ac etiam in secundis Vesperis.

In Hispania vero fit Officium de sancto Eugenio Episcopo & martyr. Duplex, ut in proprio Ss. Hispaniæ cum commem. Octavæ in Laudibus. Aña. & ℣. de primis Vesperis.

Post Laudes diei, dicto **Benedicámus Dómino,** dicitur Officium integrum Duplex Defunctorum, Fratrum, Sororum, & Benefactorum Ordinis nostri, & in fine Laudum non dicitur Psalm. **De profúndis.** Sed dicto, **Pater noster,** dicuntur Preces, & **Deus véniæ largitor,** tantum, ut suprà in Vesperis.

In Hispania in Vesperis à Capitulo fit de sancta Gertrude virgine, cum commemoratione sancti Eugenii, & Octavæ sancti Serapionis. Aña. de Laudib. & ℣. **Glória, & honóre.**

DIE XVI. NOVÉMBRIS.

Tertia die infra Octavam S. Serapionis martyris.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Epíscopi.
Serm. de S. Cyprian. 113.

Lectio IV.

SPíritus sanctus dóceat nos in hac hora, quæ opórteat dícere. Dictúri enim sumus áliquid de laude sancti Serapiônis gloriosíssimi mártyris, cujus natâlem hódie, sicut nostis, celebrâmus: quod nomen sic frequéntat Ecclésia, id est, natáles, ut natáles vocet pretiôsas mártyrum mortes. Quid est, fratres? quando natus est, ignorâmus: & quia hódie passus est, natâlem ejus hódie celebrâmus; sed illum diem non celebrarêmus, etsi nosêmus: illo enim die traxit originále peccâtum, isto autem die vicit omne peccâtum.

℟. Honéstum fecit. 292.

Lectio v. *Serm.* 3. *de eod.*

ISTum nobis festum diem pássio beatíssimi Serapiônis mártyris fecit: cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregâvit; sed celebrátio solemnitâtis mártyrum imitátio debet esse virtûtum. Fácilè est honôrem mártyris celebrári: magnum est fidem, atque patiéntiam mártyris imitári. Hoc sic agâmus, ut illum optêmus: hoc sic celebrêmus, ut illum pótius diligâmus. Quid laudêmus in fide martyris? quia usque ad mortem certávit pro veritáte, & ídeo vicit. Blandiéntem mundum contémpsit, sæviénti non cessit; ídeo victor ad Deum accéssit. Abúndant in isto século erróres & terróres: beatíssimus martyr erróres sapiéntia, terróres patiéntia superâvit.

℟. Desidérium. 293.

Lectio vj.

COntémnite ergo séculum, Christiáni, contémnite séculum, contémnite: contempsérunt mártyres, contempsérunt Apóstoli, contémpsit beâtus Serápion, cujus hódiè memóriam celebrâmus. Dívites esse vultis, honoráti esse vultis, sani esse vultis: totum ille contémpsit, ad cujus memóriam convenístis. Quid óbsecro tantum amátis quod contémpsit, quem sic honorâtis? quem, si ista non contempsísset, non útique sic honorarétis: quare te invénio eârum rerum amatôrem, quarum venerâris contemptôrem? Certe illum, si hæc amâret, non venerarêris, & tu noli amâre; non enim intrâvit, & óstium contra te clausit. Contémne & tu, & intra post illum.

℟. Stola jucunditâtis. 293.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10. *c*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur, & occúltum, quod non sciêtur. Et réliqua.

Homilia S. Petri Chrysólogi.

Serm. 101.

VObis autem dico amícis meis, ne terreámini: quia libertâtem probat virtus, metus índicat servitûtem: nam liber ad glóriam, servus natus est ad timôrem. Méritò ergo ad Dei amicítias sublimâtur, qui propter Deum humánas déspicit mortes, nescit timóres. Si amícos morum facit imitátio, morum similitûdo conjúngit: conveniénter eos amícos vocat Chris-

Digitized by Google

Christus, quos imitatióne sua mundi jácula, & ipsam mortis formídinem cónspicit & prævidet calcatûros.

℞. Corôna áurea. 294.

Lectio viij.

VObis autem dico, id est, non ómnibus, sed amícis. Vobis autem dico, quos mors absólvit ista, non finit. Vobis dico, quos córporis resolútio prómovet ad mélius, non transdúcit ad pœnam. Vobis dico, quibus morte vita inchoâtur, non finitur. Vobis dico, quorum mors pretiôsa fit non sui qualitâte, sed causa, dum vitæ magis lucra invenit, quàm vitæ perdat usûram; sed audiâmus quid dicat amícis suis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus.

℞. Hic est verè martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitâtis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervênit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

AUdiant, qui de bono mortis véterum vetústa volúmina detrivérunt, nihil tamen inde cápere virtûtis, aut consolatiônis áliquid invenîre valuérunt. Quis hómini, quis sapiénti dicat? Mori natûræ est; necesse est deperîre: nobis vixérunt véteres, vívimus nos futûris; nemo sibi: quod non potest tolli, velle virtûtis est: súscipe voluntárius, ad quod urgêris invitus: mors ántequam véniat non est; cùm autem vénerit, venísse nescitur. Nec ergo amisísse te dóleas, quod cùm amíseris, non dolêbis.

Te Deum laudâmus. 28.

In Vesperis à Capitulo fit de sancto Gregorio Thaumaturgo Episcopo & Confess. cum commemorat. Octavæ.

In Hispania fit de sancta Gertrude virgine, ut in Breviar. (fuit heri) cum commemorat. Octavæ.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de Ss. martyrib. Acisclo & Victoria, & fit commemorat. sanctæ Gertrudis. & Octavæ.

DIE XVII. NOVEMBRIS.

Ab hac die usque ad diem xx. sequentem, fit de festis, ut in Breviario, cum commemorat. Octavæ in utrisque Vesperis, & Laudibus.

Die vero xx. Vesperæ dicuntur de Præsentatione beatæ Mariæ virginis, cum commemoratione de die Octava sancti Serapionis martyr. ut

Digitized by Google

in primis Vesperis festi, & postea sancti Felicis Confessoris.

DIE XXI. NOVEMBRIS.

In festo Præsentationis beatæ Mariæ virginis.

Duplex secundæ classis cum Octava.

Omnia, ut in Breviario Romano cum commemorat. diei Octavæ S. Serapionis in Laudibus.

In secundis Vesperis fit commemorat. sanctæ Cæciliæ virgin. & martyr. & Octavæ sancti Serapionis.

Si hoc festum venerit in Dominica, post commemor. Octavæ fit commem. Dominicæ in utrisque Vesperis, & Laudibus, & nona Lectio erit de Homilia Dominicæ.

DIE XXII. NOVEMBRIS.

Secunda die infra Octav. Præsentat. B. V. Mariæ, fit de S. Cæcilia virgin. & martyr. Duplex. ut in Brev. cum commemor. Octavæ Præsentationis B. Mariæ, in Laudibus. ℣. **Dignáre me laudáre te, virgo sacráta.**

In secundis Vesper. commemor. S. Clementis Papæ & martyr. Octavæ Præsentationis beatæ Mariæ, & S. Felicitatis mart.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

Tertia die infra Oct. Præsentat. B. Mariæ virginis fit de sancto Clemente Papa & mart. Semiduplex, ut in Breviario, cum nona Lectio S. Felicitatis.

In Laudibus fit commem. Octavæ Præsentation. & S. Felicitatis. ℣. **Spécie tua.**

Vesperæ dicuntur de S. Joanne à Cruce, cum commemor. S. Clementis, Octavæ Præsentat. & S. Chrysogoni mart.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

Quarta die infra Oct. Præsentat. beatæ Mariæ V. fit de S. Joanne à Cruce Confess. Duplex ut in Breviar. cum nona Lectione S. Chrysogoni mart. & in Laudib. fit commemor. Octavæ Præsentationis, & S. Chrysogoni.

In Vesperis à Capitulo fit de sancta Catharina virg. & mart. cum commemorat. S. Joannis à Cruce, & Octavæ Præsentationis.

DIE XXV. NOVEMBRIS.

Quinta die infra Octavam Præsentationis B. Mariæ V. fit de S. Catharina virg. & mart. Duplex, ut in Brev. cum commem. Octavæ Præsentationis in Laudib. ℣. **Dignáre me.**

ABSOLÚTIO GENERÁLIS.

In secundis Vesperis commemorat. Octavæ, & S. Petri Alexandrini Episcopi & mart.

In

In Hispania Vesperæ Desponsationis beatæ Mariæ virginis, & ex concessione S. R. C. sub die 28. Novembris 1744. fit commemoratio immediata de sancto Joseph Confess. sponso ejusdem beatæ Mariæ virginis in utrisque Vesperis & Laudibus, ut in Breviar. die 19. Martii. Deinde fit commemor. sanctæ Catharinæ, & sancti Petri Alexandrini Episc. & mart. tantum.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

Sexta die infra Octavam Præsentationis beatæ Maríæ virginis.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Sermo sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini. Hílarem vídeo, cœtum sanctórum ómnium, ut in sexta die infra Octavam Visitationis beatæ Mariæ virginis. 156. Responsoria, ut supra. 233.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11. *d*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

De sancta Virginitate, cap. 3.

QUid áliud nos docet Dóminus, nisi carnáli cognatióni genus nostrum spiritále præpónere: nec inde beátos esse hómines, si justis & sanctis carnis propinquitáte jungúntur, sed si eórum doctrínæ ac móribus obediéndo, atque imitándo cohæréscunt? Beátior ergo María percipiéndo fidem Christi, quàm concipiéndo carnem Christi. Nam & dicénti cuídam: Beátus venter, qui te portávit: ipse respóndit: Immò beáti, qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud.

℞. Felix namque es sacra virgo María, & omni laude digníssima: *Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Præsentatiónem. Qui ex te ortus ex sol justítiæ.

Lectio viij.

DEnique frátribus ejus, id est, secúndùm carnem cognátis, qui non in eum credíderant, quid prófuit illa

illa cognátio? Sic & matérna propínquitas nihil Maríæ profuíſſet, niſi felícius Chriſtum corde, quàm carne geſtáſſet. Ipſa quoque virgínitas ejus ídeò grátior & accéptior, quia non eam concéptus Chriſtus viro violatúro, quam conſervâret, ipſe prærípuit; ſed priúſquàm concíperêtur, jam Deo dicâtam, de qua naſcerêtur, elêgit.

℟. Beâtam me dicent omnes generatiônes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. ℣. Et miſericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit Glória Patri. Quia fecit mihi.

Pro ſancto Petro Epiſcopo & martyre

Lectio ix.

PEtrus Epíſcopus Alexandríæ, poſt Theônam virum ſanctíſſimum, ſanctitâtis & doctrínæ ſplendôre non solùm illuſtrâvit Ægyptum, ſed toti luxit Eccléſiæ Dei. Qui in perſecutiône Maximiáni Galérii illam témporum acerbitâtem ita pértulit, ut multi admirábilem ejus patiéntiam intuéntes, plúrimum in Chriſtiâna virtûte proficerent. Is primus Aríum Diáconum Alexandrînum, propter ſchiſma Meletiânum, cui favêbat, à fidélium communiône ſejúnxit. Ad eum cápitis ab eôdem Maximiáno damnâtum in cárcere cùm Achíllas & Alexánder Preſbyteri deprecatóres Arii veníſſent, reſpóndit: Noctu apparuíſſe ſibi Jeſum veſte diſcíſſa; cauſámque rei ſciſcitánti dixíſſe; Aríus veſtem meam, quæ eſt Eccléſia, dilacerâvit. Quibus étiam prædícens fore, ut ſibi in Epiſcopátu ſuccéderent, præcêpit, ne umquam Aríum in communiônem recíperent, quem Deo mórtuum eſſe ſciret. Et hanc divínam prænotiônem veram fuíſſe, non diu pòſt rei probâvit evéntus. Dénique duodécimo ſui Epiſcopâtus anno, ſexto Kaléndas Decémbris, abſcíſſo cápite ad martyrii corônam evolâvit.

Te Deum laudâmus. 28.

In Laubibus fit commem. ſancti Petri Epiſcopi & martyris, Aña. Qui odit ánimam ſuam. ℣. Juſtus, ut palma florêbit, 71.

Oratio. Infirmitâtem noſtram réſpice. 34.

In Hiſpania fit hodie de Deſponſatione beatæ Mariæ virginis, Duplex majus, ut in proprio Ss. Hiſpaniæ, cum nona Lectione ad Matutinum

num sancti Petri Alexandrini, & in Laudibus fit commemorat. sancti Joseph Confess. & sancti Petri Alexandrini tantum.

In secundis Vesperis fit tantum commemorat. sancti Joseph Confess.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

Septima die infra Octavam Præsentationis beatæ Mariæ virginis.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno, ex Epistola S. Ambrosii Episcopi ad Siricium Papam. De via perversitátis prodúntur dícere: ut in septima die infra Octavam beatæ Mariæ virginis de Mercede. 243. Responsoria, ut suprà. 233.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11. *d*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. 12. *Matth. Hom.* 45. *post initium.*

UNa, sola, & vera, & commûnis nobilitas, atque necessitûdo cum Christo est, ut voluntátem Dei fácias. Hic propinquitátis modus multò mélior est, atque ubérior: idcírcò cùm múlier quædam dixísset: Beátus venter, qui te portávit, & úbera quæ suxísti, non respóndit: Nullus me portávit venter, nec ulla ipse úbera suxi; sed, Beáti qui fáciunt voluntátem Patris mei. Vides, quemádmodum núllibi conjunctiônem hanc natúræ hóminum negat, sed addit semper illam, quæ à virtútibus est.

℟. Felix namque. 299.

Lectio viij.

NOn dixit, se non habêre matrem, sed inde matrem quoque suam beatitúdinem consecutûram assé-ruit, si Patris ejus fáceret voluntátem. O admirábilem honôrem! O virtûtis incredíbiles honóres! Quò dúcitis bene vivéntes hómines? quot mulíeres sanctíssimam illam Vírginem beatificárunt? quot úterum illum admirántur? quot optárunt tales fuísse matres, & cætera contémnere ómnia? Quid ígitur próhibet?

℟. Beátam me dicent. 300.

Lectio ix.

ECce namque rectam, atque fácilem viam nobis propósuit, ut non fœminis so-

solùm, verùm étiam viris ad hunc órdinem pervenîre líceat; immò verò étiam ad majôrem: multò enim propinquióres Deo sunt, qui voluntâtem ejus fáciunt, quàm qui summa carnis necessitúdine conjungúntur. Non ergo simplíciter propinquitâtem illam desídera, verùm étiam viam capésse, magnôque stúdio cónfice, quæ ad hoc desidérium te perdúcant.

Te Deum laudâmus. 28.

Vesperæ de die Octava Præsentationis beatæ Mariæ virginis, ut in primis Vesperis festi.

DIE XXVIII. NOVÉMBRIS.

In Octava Præsentationis beatæ Mariæ virginis.

Duplex.

Si venerit in Dominica prima Adventus ordinabitur Officium, ut dicitur in Rubrica de Octavis.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno. De Expositione sancti Gregorii Papæ in libros Regum. Fuit vir unus de Ramáthaïm Sophim, de monte Ephraïm, ut in die Octava Purificationis beatæ Mariæ virginis. 54. Responsoria, ut supra. 234.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 11. *d*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beâtus venter qui te portâvit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Joann. cap. 2. *Hom.* 20. *circa finem.*

CUm audíeris mulíerem illam dicéntem: Beâtus venter qui te portâvit, & úbera, quæ tu suxísti: deínde Dóminum respondéntem: Quinímmò beáti, qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud; ea senténtia dictum exístima, non quòd matrem neglígeret, sed nihil ei utilitâtis matris nomen allatûrum osténderet, nisi bonitâte & fide præstâret. Quòd si Maríæ nihil sine virtûte matérna cháritas erat profutûra, longè minùs nobis patris, fratris, matris, filii bónitas, nisi áliquid nostrum afferâmus.

℟. Felix namque. 299.

Lectio viij.

IN nullo namque álio, nisi in solis sui ipsíus virtútibus post divínam grátiam de salûte cuípiam sperán-

Digitized by Google

rándum est. Nam si id profutûrum erat per se Maríæ, profuísset étiam Judæis, quorum consanguíneus erat Christus secúndùm carnem: profuísset civitáti, in qua natus est, profuísset frátribus: Atqui dum fratres rerum suârum curam habuérunt, nihil eis propinquitâtis nomen prófuit, sed cum réliquo mundo damnáti erant.

℟. Beâtam me dicent. 300.

Lectio ix.

TUnc autem admiratióni esse cœpérunt, quando própria claruérunt virtûte: pátria verò nihil inde consecúta cécidit, & incéndio absúmpta est; concíves misérè interémpti periêre: consanguínei secúndùm carnem nil ad salûtem lucráti sunt, deficiénte virtûtis patrocínio. Verùm Apóstoli ante omnes claríssimi evasérunt, cùm se ad veram, & expeténdam ejus familiaritâtem consuetudinémque per obediéntiam contulérunt. Hinc intellígimus, fide semper nobis opus esse, & vita, quæ virtútibus lúceat: hæc dumtáxat salvos nos fácere póterit.

Te Deum laudâmus. 28.

In Vesperis fit commemor. sancti Saturnini mart. ut in Breviario.

Digitized by Google

COMMEMORATIONES COMMUNES, SIVE SUFFRAGIA SANCTORUM.

DE CRUCE IN FERIALI tantùm Officio.

Ad Vesperas, & Laudes,

Aña. Per signum crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster. ℣. Omnis terra adôret te, & psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Orêmus. Oratio.

PErpétua nos, quæsumus Dómine, pace custódi: quos per lignum sanctæ crucis redímere dignâtus es.

DE SANCTA MARIA.

Ad Vesperas & Laudes,

Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvâmen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiônem. ℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiâmur promissiónibus Christi.

Quando autem fit Officium S. P. N. Petri Nolasci, in quo dicitur ℣. Ora pro nobis, in commem. beatæ Maríæ dicatur ℣. Dignâre me laudâre te, Virgo sacrâta. ℟. Da mihi virtûtem contra hostes tuos.

Orêmus. Oratio.

COncêde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitâte gaudêre: & gloriôsa beátæ Maríæ semper vírginis intercessiône à præsénti liberári tristítia, & ætérna pérfrui lætítia.

Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem dicitur ℣. Post partum Virgo inviolâta permansísti. ℟. Dei génitrix intercéde pro nobis.

Orêmus. Oratio.

DEus, qui salûtis ætérnæ beátæ Maríæ virginitâte fœcúnda, humáno géneri præmia præstitísti; tríbue quæsumus: ut ipsam pro nobis intercédere sentiâmus, per quam merúimus auctôrem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DE APOSTOLIS.

Ad Vesperas,

Aña. Petrus Apóstolus, & Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine. ℣. Constítues eos prín-

principes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Laudes,

Aña. Glorióſi príncipes terræ, quómodò in vita sua dilexérunt se, ita & in morte non sunt separáti. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. Et in fines orbis terræ verba eôrum.

O rêmus. Oratio.

DEus, cujus déxtera beâtum Petrum ambulántem in flúctibus ne mergerêtur, eréxit: & coapóstolum ejus Paulum tértiò naufragántem, de profúndo pélagi liberâvit: exáudi nos propítius, & concêde; ut ambôrum méritis æternitâtis glóriam consequâmur.

DE S. JACOBO APOST. in Hispania.

Ad Vesperas,

Aña. O beâtum Apóstolum, qui inter primos eléctus, primus ómnium Apostolôrum Dómini cálicem bíbere méruit! O gloriôsum Hispániæ regnum tali pígnore, ac patróno munítum, per quem fecit illi magna qui potens est, allelúia. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Laudes,

Aña. Visitâvit nos per sanctum suum Apóstolum, & fecit salûtem de inimícis nostris Dóminus Deus noster. ℣. Annuntiáverunt.

O rêmus. Oratio.

ESto Dómine plebi tuæ sanctificâtor & custos: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui munita præsídiis, & conversatiône tibi pláceat, & secúra mente desérviat.

DE S. P. N. PETRO Nolasco.

Ad Vesperas,

Aña. Laudêmus virum gloriôsum, & paréntem nóstrum, ardentíssimam ejus charitâtem imitári conêmur, qui exaudívit páuperes vinctos in mendicitâte & ferro, salvâvit eos de manu odiéntium, & redêmit eos de mánibus inimicôrum. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi.

Quando non fit de sancta Maria, vel quando ℣. Post partum dictus fúerit in commem. ejusdem, tunc dicitur, ℣. Ora pro nobis pater noster sancte Petre. ℟. Ut digni efficiâmur promissiónibus Christi.

Ad Laudes,

Aña. Visitâvit nos Dóminus per Petrum fámulum suum, ut sine timôre de manu inimicôrum nostrôrum liberáti serviâmus illi. ℣. Dispérsit, vel Ora pro nobis, ut dictum est.

Orêmus. Oratio.

DEus, qui in tuæ charitâtis exémplum ad fidélium redemptiônem sanctum Petrum patrem nostrum Ecclésiam tuam nova prole fœcundâre divinitùs docuísti: ipsius nobis intercessiône concêde, à peccáti servitûte solútis, in cœlésti pátria perpétua libertâte gaudêre.

DE SANCTIS ORDINIS.

Ad Vesperas,

Aña. Dómine spes sanctôrum, & turris fortitúdinis eôrum, dedísti hæreditâtem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in sécula. ℣. Lætítia sempitérna super cápita eôrum. ℟. Gáudium & exultatiônem obtinébunt.

Ad Laudes,

Aña. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, & requiéscent in monte sancto tuo. ℣. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine. ℟. In sécula seculôrum laudábunt te.

Orêmus. Oratio.

DEus ómnium sanctôrum splendor mirábilis, qui Ordinem nostrum per beatíssimam vírginem Maríam divinitùs instituere dignátus es: quique sanctis tuis Petro patri nostro, Raimúndo, beátis Petro, Serapiône, & Petro, ac beátæ Maríæ inviolábilem in rediméndis Captívis dedísti charitâtis effécťum: præsta quæsumus, ut gressus nostri eôrum sémitis perficiántur, & ejúsdem charitâtis donum, quod in illis contínuo venerâmur obséquio, nobis quoque spiritáli largitâte donêtur.

DE PACE.

Ad Vesperas & Laudes,

Aña. Da pacem Dómine in diêbus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Fiat pax in virtûte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orêmus. Oratio.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectiône tranquílla. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitâte Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula seculôrum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicâmus Dómino. ℟. Deo grátias. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

IN-

INVOCATIO SPIRITUS SANCTI, ET DEPRECATIO AD BEATAM MARIAM, ANTE ORATIONEM MENTALEM, MATUTINAM FACIENDA.

Aña. Veni ſancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: & tui amôris in eis ignem accénde.

SUb tuum præsídium confúgimus ſancta Dei génitrix: noſtras deprecatiônes ne deſpícias in neceſſitátibus, ſed à perículis cunctis líbera nos ſemper, Virgo glorióſa & benedícta. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noſter.

℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem.
℟. Sed líbera nos à malo.
℣. Emítte Spíritum tuum, & creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. Ora pro nobis ſancta Dei génitrix.
℟. Ut digni efficiâmur promiſſiónibus Chriſti.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperántes in te.
℣. Dómine exáudi oratiônem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíſcum.
℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orêmus. Oratio.

DEus, qui corda fidélium ſancti Spíritus illuſtratiône docuíſti: da nobis in eôdem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatiône gaudêre.

DEus virtûtum, cujus eſt totum quod eſt optimum: inſere pectóribus noſtris amôrem tui nóminis, & præſta in nobis religiônis augméntum; ut quæ ſunt bona nútrias, ac pietâtis ſtúdio, quæ ſunt nutríta cuſtódias.

DEfénde, quæſumus Dómine, beâta María ſemper vírgine intercedénte, iſtam ab omni adverſitâte famíliam: & toto corde tibi proſtrâtam, ab hóſtium propítiùs tuêre cleménter inſídiis. Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Digitized by Google

DEPRECATIO FACIENDA POST COMPLETORIUM.

Orationem sequentem devotè post Officium recitantibus Leo Papa X. defectus & culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit. Inchoatur ab Hebdomadario, finito Credo in Deum, & eam prosequitur Chorus.

SAcrosánctæ & indivíduæ Trinitáti, crucifixi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ & gloriósissimæ sempérque vírginis Maríæ fœcúndæ integritáti, & ómnium sanctórum universitáti, sit sempitérna laus, honor, virtus & glória ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum, per infiníta sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta víscera Maríæ vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. ℟. Et beáta úbera quæ lactavérunt Christum Dóminum. Pater noster. Ave María.

Postea Hebdomadarius absque Orémus, dicit Orationem sequentem.

SUscipe clementíssime Deus, précibus & méritis beatæ Maríæ semper vírginis, & beáti N. & ómnium sanctórum, & sanctárum officium servitûtis nostræ: & si quid dignum laude égimus, propítius réspice: & quod negligénter actum est, cleménter ignósce. Qui in Trinitáte perfécta vivis & regnas Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

Finita Oratione mentali dicuntur infrascriptæ Aña. & Orationes.

Aña Concéptio tua, Dei génitrix virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: & confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Concéptio tua Dei génitrix virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

Oratio.

DEus, qui immaculátam vírginem Maríam, ut digna Fílii tui mater exísteret, ab omni labe peccáti in Conceptióne sua præservásti: tríbue quæsumus; ut qui ejus innocéntiæ puritátem veráciter crédimus, ipsam pro nobis apud te semper intercédere sentiámus.

Aña.

Digitized by Google

Aña. Dómine spes sanctôrum, & turris fortitúdinis eôrum, dedísti hæreditâtem timéntibus nomen tuum, & habitábunt in tabernáculo tuo in sécula. ℣. Lætítia sempitérna super cápita eôrum. ℟. Gáudium & exultatiônem obtinébunt.

Orêmus. Oratio.

DEus ómnium sanctôrum splendor mirábilis, qui Ordinem nostrum per beatíssimam vírginem Maríam divínitus instituére dignâtus es: quique sanctis tuis Petro patri nostro, Raimúndo, beâtis Petro, Serapiôni, & Petro, ac beátæ Maríæ inviolábilem in rediméndis captívis dedísti charitâtis efféctum: præsta, quæsumus, ut gréssus nostri in eôrum sémitis perficiántur, & ejúsdem charitâtis donum, quod in illis contínuo venerâmur obséquio, nobis quoque spiritáli largitâte donêtur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Psalmus. De profúndis, in fine Réquiem ætérnam. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eôrum. ℣. Dómine exáudi oratiônem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

INclína Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecâmur: ut ánimas famulôrum tuôrum fratrum nostrôrum, quas de hoc século migrâre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & sanctôrum tuôrum júbeas esse consórtes.

DEus, cujus miseratiône ánimæ fidélium requiéscunt: fámulis & famulábus tuis, ómnibus hîc, & ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatôrum; ut à cunctis reátibus absolúti tecum sine fine læténtur.

ABsólve Dómine ánimas ómnium fidélium Defunctôrum ab omni vínculo delictôrum: ut in resurrectiônis glória inter sanctos & eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Digitized by Google

FORMA
ABSOLUTIONIS GENERALIS,
ET COMMUNICATIONIS PRIVILEGIORUM

Ordinis nostri, facienda diebus sancti Antonii Abbatis, sancti Patris nostri Petri Nolasci, Feria quarta Cinerum, & quinta in Cœna Domini, sancti Laurentii martyris, Apparitionis beatæ Mariæ virginis de Mercede, & sanctæ Catharinæ virginis & martyris, in forma præscripta à Clemente X. die 17. Maii 1673. Pontificatus sui anno quarto.

PRimo Sacerdos facit Confessionem dicendo ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. Confiteor Deo. Misereátur vestri. Indulgéntiam.

Postea cantatur in Choro Aña. Ne reminiscáris.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine, * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * & propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri.

Aña. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum: neque vindíctam sumas de peccátis nostris. Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te. ℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Esto eis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam.

commemorat. Omnium sanctorum de omnibus non expressis in commemorationibus specialibus. Locus autem proprius hujus commemorationis erit post Apostolos, sicut fit in Officio parvo beatæ Mariæ in Orationibus: *Protege Domine*, &c. & postea: *Omnes sancti tui*, &c.

6 Si Patronus loci, seu Titularis Ecclesiæ habeat Vigiliam in Breviario Romano, in Officio Vigiliæ omittenda est commemoratio Patroni, vel Titularis; ne de eodem bis fiat in eadem parte Officii, quæ est indubitata regula in Officio divino: v. g. in Hispania in Vigilia S. Jacobi Apostoli, & Patroni omitti debet ejus consueta commemoratio.

7 Ante commemorat. de Pace, semper fit in Ordine nostro commemoratio de sanctis Ordinis in Vesperis, & Laudibus, quamvis in particulari facta sit commemorat. S. P. N. Petri Nolasci: nam adsunt diversi fines.

8 Commemoratio S P. N. Petri Nolasci sumitur ex ejus Officio proprio; sed quando facta est commemoratio consueta beatæ Mariæ, & in ea dicitur ℣. *Ora pro nobis*, tunc in commemorat. S. P. N. dicitur ℣. de primo Nocturno. *Dispersit dedit pauperibus*. Quando autem fit Officium semiduplex S. P. N. per Hebdomadam, in quo dicitur ℣. *Ora pro nobis*, in commemoratione beatæ Mariæ dicitur ℣. *Dignare me laudare te Virgo sacrata.*

§. VIII.

De Anniversariis Defunctorum.

1 Quinque Anniversaria pro Defunctis recitari debent in nostro Ordine diebus in Kalendario assignatis, ex vi nostrarum Constitution. distinct. 1. cap. 3. Hoc solummodo animadverti debet, quod Anniversarium Fratrum Ordinis nostri, celebrari solitum prima die post festum S. Dionysii ex vi prædictæ Constitution. translatum est ad primam diem post festum Omnium sanctorum Ordinis nostri, in quo ex concessione Apostolica, & Decreto Sacr. Rit. Cong. die 16. Novembris 1678. celebratur commemoratio Omnium Defunctorum Fratrum, Monialium, & Benefactorum Ordinis nostri, & ejus loco in ipsa prima die post festum S. Dionysii subrogatum est Anniversarium Fidelium Captivorum, quod infra Octavam Omnium sanctorum fieri consueverat. Quod quidem auctoritate Superiorum Ordinis ita fuit dispositum, ne idem Anniversarium Fratrum bis fieret; neve intra paucos dies Novembris tribus Anniversariis gravarentur Fratres, generali scilicet Ecclesiæ, Captivorum, & Fratrum nostrorum.

2 Sed cum dies decima quarta Novembris, quæ est prima post Festum Omnium sanctorum Ordinis, sit impedita festo S. Serapionis Martyris, commemoratio Omnium Defunctorum Ordinis fieri debet sequenti die, quæ est decima quinta Novembris, quamvis in ipsa die adsit festum duplex, sive occurrens, sive translatum, non autem Domini-

nica, quia tunc transferenda est in sequentem diem, etiam si occurrat festum duplex, de quo faciendum est Officium cum sola Missa solemni de dicto festo post Tertiam: Officium vero Defunctorum recitandum erit post Laudes, & omnes Missæ privatæ dicendæ erunt pro Defunctis in Paramentis nigris: *ex Decret. S. R. C.* 5. *Maii* 1736.

3 In hac commemoratione Defunctorum Ordinis totum Officium fit duplex adinstar commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum Ecclesiæ Universalis, cum nono ℟. longiori *Libera me Domine*: & in Precibus, omittuntur Psalmi ad Vesperas & Laudes. Dicitur Oratio *Deus veniæ largitor*, cum integra conclusione in Officio & Missa. Post Nonam dicitur Missa solemnis, & fit Processio, ut in Rituali. Ord.

4 Alia vero Anniversaria si occurrant in festo duplici, transferuntur in sequentem diem simili festo non impeditam; ita ut solum fiant festo semiduplici, simplici, vel feria. Officium fit etiam duplex cum Invitatorio, tribus Nocturnis, & nono ℟. longiori, & dicitur Oratio unica: *Deus indulgentiarum*; sed ad Vesperas, & Laudes in Precibus semper dicendi sunt Psalmi, *Lauda &c.* & *De prefundis*, *&c.* ex Decret. S. R. C. 23. Junii 1736. 3. Augusti 1737. 8. Martii 1738. & 9. Maii 1739.

§. IX.

De Officiis, quæ fiunt per singulas Hebdomadas.

1 QUalibet Feria quinta, extra Adventum, & Quadragesimam, necnon & Vigilias, ut infra num. 10. non impedita Officio novem Lectionum, etiam translato, vel ad libitum, vel infra Octavam, fit Officium Ss. Corporis Christi, semiduplex; quod quidem constat ex Breviario antiquo Ordinis, in eo fuisse recitatum ex immemorabili consuetudine, & recitari præceptum.

2 Item Feria tertia cujuslibet Hebdomadæ non impedita Officio novem Lectionum, ut infra num. 10. fit Officium semiduplex de B. Maria V. de Mercede, forma in Rubr. XI. præscribenda, ex concessione Sacr. Rit. Congregat. die 4. Decembr. 1683.

3 Præterea quolibet Sabbato totius anni, extra Adventum, ut infra num. 10. fit Officium de Conceptione beatæ Mariæ virginis, semiduplex, ex consuetudine immemorabili etiam in nostro Breviario antiquo testificata.

4 Si Feria tertia, quinta, vel Sabbatum sit impeditum, in illa Hebdomada omittantur Officia B. Mariæ de Mercede, Ss. Corporis Christi, & Conceptionis B. Mariæ, quæ extra illos dies fieri non possunt.

5 Similiter semel in Hebdomada, extra Adventum, &c. ut infra num. 10. in Ordine nostro fit Officium de S. P. N. Petro Nolasco, semiduplex, Rubr. XII. præscribenda, *ex concession. S. R. C.* 2. *Decemb.* 1673.

6 Semel in Mense, extra Adventum, &c. ut infra num. 10. fit etiam in Ordine nostro Officium de sancto Raimundo Nonnato, semiduplex, forma Rubr. XIV. præscribenda, *ex Decret. S. R. C. die* 17. *Junii* 1684.

Dein-

Digitized by Google

7 Deinde semel in Mense, extra Adventum, &c. ut infra num. 10. fit denique in Ordine nostro Officium de S. Maria de Socós, alias de Subsidio, semiduplex, forma præscribenda Rubr. XV. *ex Decret. S. Rit. Congregat. die* 26. *April.* 1738.

8 Denique in Regnis Hispaniarum ex concessione Clementis IX. 23. Julii 1667. qualibet Feria secunda extra Adventum, &c. ut infra num. 10. fit Officium semiduplex de S. Jacobo Apostolo Hispaniarum Patrono ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, tam secularibus quam Regularibus, ut infra Rubr. XV. præscribitur.

9 Omnia prædicta Officia num. 1. 2. & 3. ac 7. præcedunt Officium S. P. N. Petri Nolasci, necnon S. Raimundi Nonnati, & S. Mariæ de Socós; ita ut Feria secunda non impedita (in Hispania) semper fiat de S. Jacobo Apostolo, Feria 3. de B. V. M. de Mercede, Feria 5. de Ss. Corpore Christi, Sabbato de Conceptione beatæ Mariæ: etiam si alia Feria non supersit in Hebdomada, in qua fiat de S. P. N. Petro Nolasco, vel de S. Raimundo Nonnato, vel de S. Maria de Socós; tum quia altioris sunt dignitatis, tum etiam quia habent dies determinatos, extra quos fieri non possunt. Officia ergo S. P. N. Petri Nolasci, S. Raimundi Nonnati, & S. Mariæ de Socós restringuntur ad Feriam quartam, & sextam: & extra Hispaniam S. P. N. Petri Nolasci Officium etiam ad Feriam secundam extenditur; ita ut semper fiat de eo prius, quamvis in Hebdomada non sit dies vacua, ut fiat de S. Raimundo Nonnato, vel de S. Maria de Socós, quia Officium S. P. N. altioris est dignitatis, & ex vi Apostolicæ concessionis habet jus ad quamcumque Hebdomadam.

10 *Ex Decret. Sac. Rit. Congreg. sub die* 20 *Martii* 1706. *posito in principio Breviar. Romani.* Hæc omnia Officia non habent locum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec in Feria secunda Rogationum, nec in illa Feria, in qua secundum Rubricas est reponendum Officium Dominicæ.

§. X.

De Officio Ss. Corporis Christi in feria quinta.

1 OFficium SS. Corporis Christi, de quo Rubr. præced. num. 1. & 8 fit in Ordine nostro qualibet Feria quinta, semiduplex, & sumitur ex die propriæ Festivitatis, nullo mutato verbo, nec dempto *Alleluia*, exceptis Feriis quintis Septuagesimæ, & Sexagesimæ. Tempore autem Paschali additur *Alleluia*, in fine Antiphonarum ℣℣. & ℟℟. & tres Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub prima Antiphona.

2 In Hymno Completorii Feriæ quartæ, & ad Vesperas, & Completorium Feriæ quintæ, etiam si sint de aliquo festo duplici, dummodo de Officio diei facta sit saltem commemoratio, dicitur: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.* Dicuntur etiam commemorationes

con-

Digitized by Google

consuetæ, & Preces ad Primam, & Completorium, nisi in primis, vel secundis Vesperis concurrat cum festo duplici.

3 In primo Nocturno Lectiones sumuntur de Scriptura occurrente, in secundo, & tertio Nocturno, de infraoctava Corporis Christi, ordine, quo distribuuntur per menses, ut infra. Si autem occurrat festum sancti Simplicis habentis propriam Lectionem, legitur nona Lectio de eo: quamvis enim *ex Decreto Sac. Rit. Congregat. die* 8. *Junii* 1660. infra Octavam Corporis Christi, de Simplicibus occurrentibus fiat tantum commemoratio absque nona Lectione; hoc fit in gratiam Officii sanctissimi Sacramenti, & honorem festivitatis infra ejus Octavam, & quando fit de ea; non autem quando fit de festis duplicibus infra eam occurrentibus: & ideo in Officio duplici habente nonam Lectionem de sancto Simplici occurrente infra octavam Corporis Christi, etiam dici debet nona Lectio: privilegium enim est Domini, non sanctorum.

4 Lectiones de Octava in secundo & tertio Nocturno sic distribuuntur per menses; à mense Februario (in Januario, & Decembri non habet diem hoc Officium) usque ad mensem Novemb.

Mense Februario, Sermo Sabbati, & Homilia Feriæ Sextæ.

Mensibus Martio, & Aprili, Sermo Dominicæ, & Homilia Sabbati.

Mensibus Majo, & Junio, Sermo, & Homilia Feriæ secundæ.

Mensibus Julio, & Augusto, Sermo, & Homilia Feriæ tertiæ.

Mensibus Septembri, & Octobri, Sermo, & Homilia Feriæ quartæ.

Mense Novembri, Sermo, & Homilia diei Octavæ.

§. XI.

De Officio B. M. V. de Mercede in Feria tertia.

1 Officium B. Mariæ Virginis de Mercede, fit etiam in Ordine nostro, qualibet feria tertia, Semiduplex, juxta dicta Rubr. IX. num 2. & sumitur ex ejus die festo 24. Septembris, & in eo dicuntur commemorationes consuetæ sanctorum (excepta commemoratione beatæ Mariæ) & Preces ad Primam, & Completorium, nisi in primis, vel secundis Vesperis concurrat cum festo duplici.

2 Ad Octavam Lectionem Benedictio erit: *Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum.* Ex Decret. Sac. Rit. Congreg. 23. Februar. 1666. *Quoniam hoc Officium est repetitio festi.*

3 Quoad terminationem Hymnorum, tam Completorii Feriæ secundæ, quam aliorum usque ad Completorium Feriæ tertiæ servanda est Rubrica supra posita x. num. 2. Si hoc Officium fiat tempore Paschali, in fine Antiphonarum, ℣℣. & ℟℟. additur *Alleluia*, & tres Psalmi dicuntur sub prima Antiphona cujuslibet Nocturni.

4 Lectiones primi Nocturni sumuntur de Scriptura occurrente, in secundo autem, & tertio Nocturno leguntur de infraoctava beatæ virginis Mariæ de Mercede, distributæ per menses, ordine ibi assignato.

Digitized by Google

meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde surgit Sacerdos, & stans versa facie ad Altare, dicit ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

O rêmus.

ADesto Dómine supplicatiónibus nostris, & me, qui étiam misericórdia tua primus indígeo, exáudi cleménter: ut quem non electióne mériti, sed dono grátiæ tuæ constituísti tui óperis minístrum, da fidúciam tui óperis exequéndi, & in meo ministério quod tuæ pietâtis est operári. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

O rêmus.

EXáudi Dómine preces nostras, & confiténtium tibi parce peccátis: ut quos consciéntiæ reâtus accúsat, indulgéntia tuæ pietâtis absólvat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

O rêmus.

PRævéniat hos fámulos tuos, quæsumus Dómine, misericórdia tua: ut omnes iniquitátes eôrum céleri indulgéntia deleántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

O rêmus.

PRæsta, quæsumus Dómine, his fámulis tuis dignum pœniténtiæ fructum: ut Ecclésiæ tuæ sanctæ, à cujus integritâte deviárunt peccándo, amissôrum reddántur innóxii, véniam consequéndo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sine O rêmus, absolute, versa facie ad populum, dicit.

DOminum nostrum Jesum Christum humíliter deprecâmur, ut grátiæ suæ lúmine illabâtur córdibus vestris, vobísque benígnè concédat omnes & síngulas indulgéntias, & peccatôrum remissiónes cónsequi, quas Summi Pontífices Ordini nostro, cum specífica facultâte eas confraternitátibus nostris communicándi, concessérunt, juxta privilegiôrum Apostolicôrum tenôrem, & sanctæ Sedis Apostólicæ decretôrum dispositiônem.

Deinde altius elevando vocem, etiam sine O rêmus, dicit.

MIsereâtur vestri omnípotens Deus, dimíttat vobis ómnia peccáta vestra, líberet vos ab omni malo, confírmet, & consérvet in omni ópere bono, & perdûcat vos ad vitam ætérnam. Qui in Trinitâte perfécta vivit & regnat in sécula seculôrum. ℟. Amen.

De-

Digitized by Google

Denique in tono primæ Orationis etiam sine Orêmus, dicit.

ITem communicámus vobis, fratres, oratiónes, jejúnia, Missas, peregrinatiónes, & labóres pro rediméndis étiam captívis susceptos, cæteráque ópera bona, quæ per Dei grátiam in nostra congregatiône & Ordine fiunt. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritus sancti. ℟. Amen.

Et dat benedictionem.

FORMA

ABSOLUTIONIS GENERALIS,

QUÆ FIT IN CAPITULO A PRÆLATIS in diebus magnæ solemnitatis.

Fratres prosternunt se, & dicunt: Confiteor Deo. Surgit Prælatus, & dicit: Misereâtur vestri, &c. Indulgéntiam, &c. Et subjungit.

SI tenémini áliquo vínculo majóris vel minóris excommunicatiônis, suspensiônis, & interdícti, in quantum se exténdunt grátiæ, & privilégia Ordini nostro indúlta, mihi commíssa, & vobis concéssa; Ego absólvo vos, & restítuo sacrosánctis Sacraméntis Ecclésiæ, communióni, & unitáti fidélium. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritus sancti. ℟. Amen.

ITem eâdem auctoritâte ego dispénso vobíscum super omni irregularitâte, sive irregularitátibus, si quam, vel si quas contraxístis & habilíto vos executióni órdinum, & officiôrum vestrôrum.

ITem eâdem auctoritâte absólvo vos ab omni transgressiône régulæ & constitutiônum, & admonitiônum majôrum nostrôrum, & ab omni pœniténtia oblíta, & negléćta; & máximè à pœna, quæ debétur propter fractiônem siléntii inter duo capítula: & ab ómnibus áliis, quibus consuêvit fiéri absolútio in consimílibus solemnitátibus, vel capítulis; ut sitis absolúti ante tríbunal Dómini nostri Jesu Christi, habeatísque vitam ætérnam, & vivâtis in sécula seculôrum. ℟. Amen.

Postea Prælatus injungat fra-

fratribus pœnitentiam aliquam ad libitum suum.

Decretum & formula conferendi Indulgéntiam plenariam confratribus, & sororibus beatæ Mariæ de Mércede Redemptionis captivorum in articulo mortis.

Dicto Confiteor, Sacerdos dicat. Misereátur, &c. Indulgéntiam, &c. Dóminus noster Jesus Christus Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi, atque solvéndi; per suam piíssimam misericórdiam te absólvat: & ego auctoritáte Apostólica confrátribus, & consoróribus Ordinis beátæ Maríæ de Mercêde Redemptiônis captivôrum ejúsdem Ordinis sacrum Scapuláre feréntibus, in artículo mortis constitûtis indúlta, & de speciáli grátia concéssa, & mihi commíssa à Sanctíssimo Dómino nostro Alexándro IV. & áliis Summis Pontificibus, & ab Innocéntio XI. confirmáta: absólvo te ab ómnibus excommunicatiónibus, & vínculis interdícti, si tenêris, in quantum possum, & tu índiges: & restítuo te sacrosánctis Sacraméntis Ecclésiæ, Communióni, & Unitáti Fidélium. In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritus sancti. Amen. Item eádem auctoritâte absólvo te ab ómnibus peccátis tuis, quæcúmque commisísti, & de quibus corde contrítus (vel contríta) & ore conféssus (vel conféssa) es, & quôrum memôriam non habuísti, & non habes, usque in præséntem diem; & restítuo te illi innocéntiæ, in qua eras, quando baptizâtus (vel baptizáta) fuísti; ac puritáti eídem, in quantum Claves sanctæ matris Ecclésiæ se exténdunt. Remítto tibi étiam pœnas Purgatórii, quas propter culpas, & offénsas contra Deum, próximum, & teípsum commíssas incurrísti. Cláudo tibi portas Inférni, jánuam apério Paradísi, & bona per te facta, & fiénda sint tibi in remissiónem peccatôrum, in augméntum grátiæ, & præmium vitæ ætérnæ. Amen. Et hoc, si hac de qua ægrótas infirmitâte moríeris; sin autem, salva hæc grátia tibi sit, donec fûeris in artículo mortis constitûtus (vel constitûta). In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritus sancti. Amen.

Digitized by Google

DEPRECATIONES
AD LIBITUM FACIENDÆ, ET MAXIME in necessitatibus Ordinis.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM, Dominam, & Institutricem nostram.

℟. Beáta es, María, Dei génitrix, Patróna, & auxiliátrix nostra: * Cujus nutu hæc tua, ad fidélium redemptiónem, in Paradiso Ecclésiæ plantáta est religio. ℣. Tua sancta intercessióne ádjuva nos, immaculáta Virgo. Cujus nutu. Glória Patri. Cujus nutu.

Dulcis Institútrix nostra,
Mater nobis te esse monstra.
Et captivos réfove.
Ignem auge, fac præcláram,
Atque Nato redde charam,
Quam fundásti sóbolem.
Da quod tibi grati simus:
Et ut Tártara possimus
Evitáre, cúm abímus,
Vultum tuum éxhibe.
Amen.

℣. Réspice de cœlo, & vide; & vísita víneam istam. ℟. Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui per tuam gloriosíssimam Matrem ad exímiam charitátis tuæ imitatiónem nos vocáre dignátus es; ádjuva nos auxíliis grátiæ tuæ, ut magnam Institutrícem nostram præséntis vitæ actiónibus prædicántes, quod te operánte, voluntáte promísimus ópere compleámus. Qui vivis & regnas.

Ad sanctum Patrem nostrum Petrum Nolascum.

℟. Ave pater Deo digne, Maríæ vírgini grate, ave Nolásce sanctíssime:* Cujus charitáte insígni è Barbarórum mánibus liberántur fidéles; cujus sanctitáte Christi exornátur Ecclésia, & de cujus glória lætántur cœlórum cives. ℣. O sidus, ò decus Vírginis famíliæ, & pater intercéde pro nobis. Cujus. Glória Patri. Cujus.

Salve pater redemptórum,
Cui Dómina angelórum
Dedit gregem captivórum
Auferéndum canibus.
Profligáta pravitáte,
Im-

Impetráta charitáte,
Fac nos vera libertáte
Petre, frui in civitáte,
Supernórum cívium.
Amen.

℣. Ora pro nobis pater noster sancte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEus, qui in tuæ charitátis exémplum, ad fidélium redemptiónem, sanctum Petrum patrem nostrum Ecclésiam tuam nova prole fœcundáre divínitùs docuísti: ipsíus nobis intercessióne concéde à peccáti servitúte solútis, in cœlésti pátria perpétua libertáte gaudére. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

UNI DEO HONOR ET GLORIA, IMMACULATÆQUE semper vírgini Dei Genitríci Maríæ de Mercéde, necnon sancto Petro Nolásco Patri nostro.

Digitized by Google

Digitized by Google



Imagen de Nra. Sra. del Puig de Valencia.

DOMINICA I. SEPTEMBRIS

IN FESTO

B. M. V. ANGELORUM DE PODIO, (VULGO) DEL PUIG.

DUP. MAJ.

Omnia ut in Officio, et Missa S. Mariæ ad Nives, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

OMnípotens, et miséricors Deus, qui Genitricis Fílii tui Imáginem mirabílibus signis venerábilem, ac salutárem nobis esse voluísti: da quæsumus; ut ipsius B. Maríæ Vírginis patrocínio ab ómnibus semper liberêmur advérsis, et vitam cónsequi mereâmur ætérnam.

Digitized by Google

nam. Per eúmdem Dóminum, &c.

IN II. NOCTURNO.

De sermône S. Bernárdi Abbâtis.

Ser. 4. de Assump. circa med.

Lectio iv.

NON est équidem quod me magis deléctet, sed nec est quod térreat magis, quàm de glória Vírginis Maríæ habêre sermônem. Ecce enim si in ea laudávero virginitâtem, mihi multæ vírgines post eam vidéntur offérri. Si humilitâtem prædicávero, inveniéntur fortè vel pauci, qui (docénte Fílio ejus) mites facti sunt, et húmiles corde. Si magnificâre volúero misericórdiæ ejus multitúdinem, sunt áliqui misericórdiæ viri étiam et mulíeres. Unum est in quo nec primam símilem visa est, nec habêre sequéntem, gáudia matris habens cum virginitâtis honôre. Maríæ privilégium est, non dábitur álteri: singulâre est, sed contínuò étiam indicíbile invenítur.

℟. Sicut cedrus exaltâta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta * Dedi suavitâtem odôris.

℣. Et sicut cinnamômum, et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v.

VErúmtamen non hoc tantùm, si diligéntèr atténdas, sed cæteras quoque virtûtes singuláres prorsùs invénies in María, quæ videbántur esse commûnes. Quæ enim vel Angélica púritas virginitâti illi áudeat comparári, quæ digna fuit Spíritus sancti Sacrárium fieri, et habitáculum Fílii Dei? Quanta verò, et quàm pretiôsa humilitâtis virtus cum tanta puritâte, cum innocéntia tanta, cum consciéntia prorsùs absque delicto, immò cum tantæ grátiæ plenitúdine? Undè tibi humílitas, et tanta humílitas, ò Beâta? Digna planè quam respíceret Dóminus, cujus decôrem concupísceret Rex, cujus odôre suavíssimo ab ætérno illo patérni sinus attraherêtur accúbitu.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formôsa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beâtam dixérunt, et Regínæ laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosârum, et lília conválium. Vidérunt.

Ex historia inventionis, et cul-

Digitized by Google

cultus B. Mariæ Virginis Podiensis.

Lectio vi.

PОrrò ejúsdem Beâtæ Vírginis Maríæ speciôsa Imágo, quæ diu propè urbem Valéntiam sub cymbalo delitúerat, sæculo decimotértio à sancto Petro Nolásco, cœléstí claritáte admónito, invénta est. Quarè Jacóbus Primus Aragóniæ Rex, cum Valéntiæ liberatiônem ab invasóribus Mauris illius patrocínio piè reférret accéptam, magníficum extrúxit templum in óppido Podiénsi, in eoque collocâvit hanc ipsam Imáginem; quæ assídua miraculôrum virtûte, supernaque beneficiôrum grátia étiam nùnc inclaréscit, et à fidélibus voto, ac devotiônis ergo perénnitèr confluéntibus adhuc honorificentíssimè cólitur. Ut anniversária ígitur solemnitâte Matris amantíssimæ memória magis magísque celebrétur, Pius sextus Pónt. Máx. Officium, et Missam sub título Beâtæ Maríæ Vírginis Angelôrum recitári benígnè indúlsit. Quumque beneficentíssimam Matrem, uti firmíssimum in públicis privatísque calamitátibus præsídium, et Valentína Edetanôrum cívitas, totíus Regni Valentíni Caput ac Metrópolis, et omnes ejúsdem nóminis pópuli à priscis tempóribus expérti fúerint; idem Summus Póntifex Senátus Pópulique Valentíni précibus ánnuens, ut idem Officium ad omnem Valentínum Clerum tam Sæculárem quàm Regulárem, et ad íntegram Fratrum Mercedariôrum Valentínam Províncíam extenderétur, concéssit. Quod dénique Pius VII. Póntifex Máximus ad univérsum Ordinem ampliâvit.

℟. Ornâtam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effûsum nomen tuum.

℣. Astitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietâte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

DE-

DECRETUM

ORDINIS B. M. V. DE MERCEDE Redemptionis Captivorum.

Sanctiſſimus Dominus noster PIUS VII. Pont. Max. ad humilimas preces P. Mag. Fr. Emmanuelis Antonii Dávila, Procuratoris Generalis Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum, me infraſcripto Secretario referente, benignè extendit tam ad Religioſos, quàm ad Moniales totius præfati Ordinis Officium proprium cum Miſſa in honorem B. Mariæ Virginis Angelorum de Podio, vulgò del Puig, jam approbatum pro Cænobio ipſius Ordinis oppidi Podienſis Valentinæ Diœceſis, cum facultate illud recitandi quotannis ritu duplicis majoris in Dominica prima menſis Septembris. Hac die 22. Februarii 1804.

Julius M. Card. de Somalia S. R. C. Præf.

Locus ✠ Sigilli.

F. de Carpineo S. R. C. Secret.

MATRITI: MDCCCIV.
TYPIS SOCIETATIS.

Digitized by Google

DIE XIV. NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. SERAPIONIS MARTYRIS,

ORDINIS B. M. V.

DE MERCEDE, REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Duplex secundæ classis cum Octava.

AD VESPERAS.

Antiph. Serápion conféssus. *Cum réliquis de Laud.* *Psalm.* Dixit Dominus. *Cum réliquis de Domínica, & loco últimi Psalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

CAPITULUM.

Ex Epist. ad Philipp. Cap. 1. *V.* 28. 29. 30.

Fratres, in nullo terreámini ab adversáriis: quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut étiam pro illo patiamini: idem certámen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.

HIMNUS.

Martyris laudes cánimus Británni.
Qui suam ponens ánimam, resolvit.
Obses afflictos, Dóminum sequútus.
In cruce pendens.
Gessit impubes ánimum senílem,
Se pium verbis, crucis et sequela.
Gréssibus mundis, óculis, suóque.
Nómine prodens.
Jam puer miro nítuit pudore,
Omne virtutum genus assecutus:
Vírginis matris níveo merere
Agmine gestit.
Hinc pugil primum, sacer institútus
Miles, horréndis dómuit flagellis
Membra, compassus méditans frequenter
Vúlnera Christi.
Prædicans Jesum, cóhibet sceles-tos,
Pérditas sanctis mónitis coercet
Fœminas, casti fáciens amoris Igne flagrare.

Digitized by Google

Sed Redemptoris rélegens tenénda
Signa, Maurorum veniens ad oras
Séxies, vinctos rédimít, cruénta
Vérbera passus.
Laus, honor, virtus tibi sit perennis,
Celsa Majestas hominum creatrix,
Quem Deum trinum célebrant, et unum
Rite fidéles. Amen.

V. Sicut aqua effusus sum.
R. Et dispérsa sunt omnia ossa mea.

AD MAGNIFICAT.

Ant ph. Beatus Serápion á terrénis suspensus, Raymundo dicebat: cúpio dissolvi, et esse cum Christo; mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

ORATIO.

Corda nostra tui amoris igne, Jesu Redemptor, inflamma; ut, sicut Beatus Serápion pro fidélibus redimendis actus in crucem, te sequutus occúbuit: ita pia ejus intercessione nullis frangamur advérsis, et tuæ crucis semper inhæreamus ampléxibus. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre, &c.

AD MATUTINUM.

Invitatórium.

Christum Redemptorem, qui Beátum hódie coronavit Serapionem. * Venite adoremus.
Psalm. Venite exultemus.

HIMNUS.

Cohors Mariæ júbila,
Serapionis ínclyti
Pio decóra nómine,
Sparso cruore clárior.
Terras petens Hispániæ,
Mauros ut ense stérneret;
Pios redemptos íntuens,
Cupit Redemptor éffici.
Tum bella línquens hórrida,
Turmam sequutus Virginis,
Hic militáris Ordinis.
Decus peremptus ámpliat.
Ad Christiani nóminis
Fidem reducit bárbaros,
Multos fidéles róborat,
Ne véritatem déserant.
Torménta Christi rúminans,
Parcit líbenter hóstibus,
Alens amánter índigos,
Vinctis catenas détrahit.
Vas inde factus ímpiis,
Subit flagélla, cárceres,
Crucem; recísis íliis,
In frustra sectus párvula.
Præsta beáta Trínitas
Rogátibus Serápii,
Ut charitatis víscera
Geramus omni tempore.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Serápion non ábiit in consílio impiorum, et in via peccatorum non stetit; sed in legé, et passione Domini meditábatur die, ac nocte.
Psalm. Beatus vir, qui non ábiit. *Cum réliquis de Comm. unius. Mart.*
Antiph. Prædicans præceptum Domini, dirupit víncula peccato-

Digitized by Google

rum, fáciens eos servire Domino in timore.

Psalm. Quare fremuerunt.

Antiph. Quia zelavi super iniquos, pacem pecatorum videns, multiplicati sunt qui tribulant me.

Psalm. Dómine, quid multiplicati sunt.

V. Tribulationem, et dolorem inveni.

R. Et nomen Dómini invocavi.

De Epístola B. Pauli Apóstoli ad Hebræos.

LECTIO I.

Ex cap. 11. *á vers.* 32. *ad* 37. *cap.* 12 *á vers.* 1. *ad* 7. " *et á vers.* 11. *ad* 16.

Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et Prophétis: Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justítiam, adépti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt ímpetum ignis, effugerunt áciem gládii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulíeres de resurrectione mórtuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludíbria, et vérbera experti, insuper et víncula, et cárceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mórtui sunt.

R. Serápion fortis factus est in bello, et pro Captivis, ac Christi fide in cruce disténtus, non suscépit redemptionem, * Ut meliorem inveníret resurrectionem.

V. Ludíbria, et vérbera expértus, insuper et víncula, et cárceres, sectus est, tentatus est, in occisione gládii mórtuus est. Ut meliorem.

LECTIO II.

Ideóque et nos tantam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccatum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certamen: aspiciéntes in Auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui propósito sibi gaudio sustínuit crucem, confusione contempta, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetipsum contradictionem: ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, advérsus peccatum repugnántes; et oblíti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplinam Dómini: neque fatigéris, dum ab eo argüeris. Quem enim diligit Dóminus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem récipit.

R. Per patientiam cucurrit ad propósitum sibi certámen; aspíciens in Auctórem fidei, et consummatorem Jesum: * Qui propósito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.

V. Usque ad sánguinem restitit repugnans advérsus peccatum, recógitans eum, qui talem sustinuit a peccatoribus advérsus semetipsum contradictionem. Qui propósito sibi gaudio.

Digitized by Google

LECTIO III.

In disciplina perseverate. Omnis autem disciplina in præsénti quidem vidétur non esse gaudii, sed mœroris: póstea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ. Própter quod remissas manus, et solutá génua erigite, et gressus rectos fácite pédibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur, Pacem sequimini cum ómnibus, et sánctimoniam, sine qua nemo vidébit Deum, contemplántes, ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum gérminans impédiat, et per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua.

R. Prædicans Captivis indulgentiam, et consolans omnes lugentes, dicébat eis: Filíoli mei, nolite negligere disciplinam Dómini. * Quem enim diligit Deus, castigat; flagéllat autem omnem filium, quem récipit.

V. Propter quod remissas manus, et solúta génua erigite, et gressus rectos fácite pédibus vestris. Quem enim diligit. Gloria Patri. Quem enim diligit.

IN II NOCTURNO.

Antiph. Sperans in Dómino, sacrificavit ei sacrificium justitiæ, reddens Altissimo vota sua.

Psalm. Cum invocarem.

Antiph. Magis éligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, introivit in domum Dei.

Psalm. Verba mea.

Antiph. Videbo cœlos apértos, quia in cruce confessus fui admirabile nomen tuum, Domine.

Psalm. Dñe. Dñus. noster.

V. Cúpio dissólvi, et esse cum Christo.

R. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

LECTIO IV.

Serapion natione Anglus illustri génere natus, adoléscens in aula Ducis Austriæ, ut pérhibent, educatus est, reique militari óperam dedit. In Hispaniam cum ipso Duce, suppetias Alphonso Castellæ Regi adversus infideles Mauros ferente profectus, ibi diutius stipendia fácere constituit, occasionem cúpiens cum christiani nominis hostibus congrediendi. Voti compos a Duce factus, et in Hispania relictus, sub Alphonso Rege aliquot annis in christiana fide dilatanda strénue militavit. Cum autem in Religiosos Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede tunc recens instituti a Bæticæ partibus cum Captivis réduces forte incidisset, ejusmodi Captivos redimendi Instituto magnópere delectatus, sacratioris hujus militiæ desidério cœpit incendi.

R. Beatus Serapion de militia translatus in militiam, ánimo sitienti ad pugnam egressus, non corpórea aliqua, sed sancti Spiritus armatura se induit: * Justitia scilicet, et Fide.

V. Quoniam non advérsus carnem, et sanguinem, sed advérsus Principatus, et Potestates bellum suscéperat. Justitia scilicet.

Digitized by Google

LECTIO V.

Itaque a Sancto Petro Nolasco, qui Barchinonæ præsens áderat, Ordini adscriptus, virtutum omnium exercitio se totum addixit. Orationem, humilitatem, carnis mortificationem, et castitatem impénse cóluit. Divini honoris, et salutis animarum zelo succensus, plures á vitiorum cœno ad virtutem, perditasque mulieres ad pœnitentiam revocavit. Ordinem suum, longis étiam itinéribus susceptis, et laboribus, flagellis, probris eximia patientia toleratis, mirificé propagavit. Injuriarum ímmemor, persecutoribus suis beneficia repéudere consuévit. Hospitalis in páuperes, erga Captivos effuse misericors, crucis, et martyrii adeó cúpidus, ut in familiari sermone cum S. Raymundo Nonnato, quem sibi conjunctissimum, et in vita spirituali alúmnum hábuit, illiud Apóstoli, occasione data, sæpe usurpater: cúpio dissolvi, et esse cum Christo; mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

R. Serápion vehementer anhelans pro nómine Jesu contumeliam pati, et trádere ánimam suam, Raymundum alloquebatur, dicens: cúpio dissolvi, et esse cum Christo: * Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

V. Anima mea desideravit te in nocte; sed, et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te. Mihi enim.

LECTIO VI.

Hinc ad bárbaras Infidélium regiones ad Captivos redimendos semel atque iterum libentissime se cóntulit; donec Algariæ in Africa Captivis plusquam octoginta redémptis, et in Hispaniam cum Berengário sócio remissis, ipse, deficiente Redemptionis pretio, pro réliquis óbsidem sese óbtulit, et in servitutem addixit. Cumque libere nihilóminus veram fidem annuntiaret, et plures Christo lucrifáceret, ab indignato Maurorum Præside vínculis primúm adstringi, in cárcerem trudi, et crudelissime cædi jubetur. Mox cápite damnátus, et cruci affixus, síngulis ártuum compágibus articulatim concisis, in ea oratione: Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi: Salva Dómine ánimas, quas pretioso sánguine redemisti, dissecto júgulo victor, anno Dómini millesimo ducentésimo quadragésimo ad martyrii coronam evolavit.

R. O bona crux, quæ decorem, ac pulchritúdinem de membris Dómini suscepisti: áccipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo; * Ut per te me recipiat, qui per te me redémit,

V. Beatus Serápion expánsis mánibus ad cœlum orábat, dicens: Salva me bona crux. Ut per te.
Gloria Patri. Ut per te.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Gladium evaginaverunt peccatores, ut dejícerent pauperem, et inopem; ut trucidarent justum, pium, et rectum corde.

Psalm. In Dómino confido.

Antiph. Pecúniam suam non

Digitized by Google

dedit ad usuram: sed in Captivos impendit, et superimpéndit semetipsum.

Psalm. Dómine, quis habitabit.

Antiph. Rénuit consolari ánima mea: memor fui Dei mei, et super salutare suum exultavi vehementer.

Psalm. Dómine in virtute tua.

V. Humiliasti nos in loco afflictionis.

R. Et coopéruit nos umbra mortis.

Léctio sancti Evangelii, secundum Matthæum.

CAP. 10.

LECTIO VII.

In illo témpore: dixit Jesus Discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur, Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 13. *de Martyribus.*

Admonent nos elóquia divina, quæ lecta sunt, timendo timere: et non timendo timere. Ait enim, Nolite timere eos qui corpus occidunt, ánimam autem non possunt occidere. Ecce ubi mónuit, ne timeremus. Videte ubi mónuerit, ut timeremus. Sed eum, inquit, timete, qui potestatem habet et corpus, et ánimam occídere in gehénna. Ergo timeamus, ut non timeamus. Timor vidétur ad ignaviam pertinere: timor infirmorum vidétur esse, non fórtium. Sed videte quid ait Scriptura: Timor Dómini spes fortitúdinis. Timeamus, ne timeamus: hoc est, prudenter timeamus, ne inániter timeamus.

R. Servus Mariæ ducebatur ad crucem, et Captivi clamabant: cocede nobis hominem justum; redde nobis hominem sanctum. * Ne interficias hominem Deo charum, justum, mansuétum, et pium.

V. Serápion vero de cruce pro illis Dóminum precabatur: ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; et Captivi clamabant. Ne interfícias.

LECTIO VIII.

Dicat ergo fortíssimus Martyr, stans homo ante hominem: Non timeo, quia tímeo. Tu quod minaris, si ille nolit, non facis: quod autem ille minatur, ut faciat, á nullo impeditur. Deínde tu quod mínaris, et si permitteris, quid facis? usque ad carnem sævis, ánima tuta est. Non occides quod non vides; visibilis visibilem terres. Habemus ambo invisibilem creatorem, quem simul timere debeamus; qui hominem ipsum ex visibili, et invisibili creavit: visibilem de terra fecit, invisibilem flatu suo animavit. Potes ferire habitáculum, nunquid habitatorem? Fugit percusso vínculo colligatus, et erit in occulto coronatus.

R. Dum invictus Martyr Christi sævissime, crudeliterque torqueretur in cruce, canebat, dicens: Quis me separabit á charitate Christi? et in plagis, quæ sibi ab

Digitized by Google

hostibus infligebantur, fórtiter perferendis, * Corpore, et spiritu se válidum præbebat.

V. Ad accendendam magis tyrannicæ crudelitatis impietatem, et ad satiandam furoris sui rabiem, inaudita artificis féritas nova, et exquisita invenit pœnarum supplicia: Athleta vero Christi Corpore, et spiritu. Gloria Patri. Corpore, et spiritu.

LECTIO IX.

Quid ergo minaris, qui animæ nihil facere potes? Per meritum ejus, cui facere nihil potes, resurget cui facere aliquid potes. Per meritum enim animæ resurget et caro: et habitatori reddetur, jam non ruitura, sed mansura. Ecce, (verba Martyris dico,) ecce nec propter ipsam carnem meam timeo comminantem. Caro mea subjacet potestati: sed etiam capilli capitis mei numerati sunt Creatori. Quid timeo, ne carnem perdam, qui nec capillum perdo? Quomodo non attendit carnem meam, cui sic nota sunt vilia mea?

Te Deum laudamus, &c.

AD LAUD. ET PER HOR.

Antiph. Serapion confessus nomen Domini JesuChristi, in cruce pendens pro fidelibus redimendis animam suam posuit.

Psalm. Dominus regnavit. *Cum reliquis de Laudibus.*

Antiph. Quia sine timore loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, ideo flagellatus sævissime Cruci affixus fui.

Antiph. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi inimici mei.

Antiph. Concidit me Deus vulnere super vulnus, effudit in terra viscera mea, et dispersa sunt ossa mea.

Antiph. Beatus Serapion fundatus supra firmam petram, invicta patientia certans usque ad mortem, hodie martyrii gloria et honore coronatus est.

CAPITULUM.

Ex Epist. ad Philipp. Cap. 1. v. 28. 29. 30.

Fratres, in nullo terreamini ab adversariis: quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.

HIMNUS.

Festivis resonent carmina plausibus,
Læta Christícolæ voce Serapium,
Et dignis celebrent laudibus additum
Sanctis Cælicolum choris.

Quem mox á puero Cælica munera
Quærentem, pietas omnibus omnia
Factum mirificis dotibus imbuit,
Dignum nomine denotans.

Pro Christo sitiens fundere sanguinem,

Et parens docili mente Deo, volens
Nolasco socium se dat, et impiger
Tam clarum sequitur Ducem,
Augmentum cupiens Ordinis, Insulam
Hibernam repetit, verbera sustinens:
Jactatus tumidis fluctibus impetrat
Vitæ lumina mortuis.
Vinctis compatiens, barbara pluries
Nil mortem véritus, littora circumit:
Postremo veniens lætus in Africam,
Multos nexibus eximit.
Obses sponte datus gentibus impiis,
Primum carceribus, mox cruce plectitur.
Fusis visceribus, rursus atrociter.
Cunctis scínditur artubus.
Nobis Omnipotens annue Trinitas,
Istius meritis dans pia víscera;
Ut tandem Superum cœtibus ínseras,
Reddens pérdita præmia. Amen.

V. Quid mihi est in cœlo?

R. Et a te quid volui super terram?

AD BENEDICTUS.

Antiph. Dum inclytus Serapion charitate, et fortitudine refulgens, constantissime pro Christi nomine tormenta perferret, qui sedebant in tenebris, et umbra mortis, ejus exemplo ad constantiam profecerunt.

ORATIO.

Corda nostra tui amoris igne, Jesu Redepmtor, inflamma, ut, sicut Beatus Serapion pro Fidelibus redimendis actus in crucem, te sequutus occubuit: ita pia ejus intercessione nullis frangamur adversis, et tuæ crucis semper inhæreamus amplexibus. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre, &c.

AD TERTIAM.

Antiph. Quia sine timore.

CAPITULUM.

Fratres, in nullo, *ut sup.*

R. *breve.* Tribulationem, * et dolorem inveni. V. Et nomen Domini invocavi. Et dolorem. Gloria Patri. Tribulationem.

V. Cupio dissolvi, et esse cum Christo.

R. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

AD SEXTAM.

Antiph. Dum confringuntur.

CAPITULUM.

Ad Rom. Bap. 8. *v.* 38. 39.

Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura

Digitized by Google

alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

R. *breve*, Cupio disolvi, * et esse cum Christo. Cupio dissolvi.

V. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Et esse. Gloria Patri. Cupio dissolvi.

V. Humiliasti nos in loco afflictionis.

R. Et cooperuit nos umbra mortis.

AD NONAM.

Antiph. Beatus Serapion.

CAPITULUM.

Ad Gal. 6. v. 14.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

R. *breve.* Humiliasti nos * in loco afflictionis. Humiliasti nos.

V. Et cooperuit nos umbra mortis. In loco. Gloria Patri, Humiliasti nos.

V. Quid mihi est in cœlo?

R. Et a te quid volui super terram?

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, sed loco ultimi Psal.

Credidi, propter quod locutus sum.

V. Quid mihi est in cœlo?

R. Et a te quid volui super terram?

AD MAGNIFICAT.

Antiph. Beatus Serapion, dum in cruce distentus articulatim concideretur, pro Captivis Dominum orabat, dicens: ne tradas bestiis animas confitentes tibi: salva, Domine, animas, quas pretioso sanguine redemisti.

Oratio, *ut supra.*

Digitized by Google

DIE XVII. APRILIS

IN FESTO

B. MARIÆ ANNÆ A JESU VIRGINIS.

Sanctimonialis Ordinis Excalceatotum B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum.

AD VESPERAS.

Antiph. Quis dabit: cum reliquis de Laud.

Psalm. Dixit: *cum reliquis de Com. Virg.*

Capitulum. 2. *Cor.* 10.

Fratres; qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.

HIMNUS.

Thura dum sacris adolentur aris
In tui laudem Maria Anna fausto
Omine effusas humiles precantum
Suscipe voces.
Virginum casto placitura Sponso
Virgo mortales thalamus recusas,
Nuptiis Agni superos fruendis
Nutris amores.
Intus accensis fácibus revincti
Impetus cordis pateris supernis
Ráptibus, vivos in amoris æstus
Tota liquescis.
Quo petit Sponsus sequeris, nec unquam
Deficis regnis, neque fessa; odoris
Totus ille afflans trahit. Excita urges
Impigra cursum.
Hinc dapis, somni, laticisque parcum
Corpus, et verbis nimis arcta lingua est,
Nec movent cautos oculos, vel aures
Illita fucis.
Mille tormentis labefacta, gestis
Vividam Sponsi speciem referre,
Quem cruce absumpsit laniena sævæ
Horrida mortis.
Summa sit Patri, Genitoque Verbo
Gloria, et par laus utriusque Amori:
Imperans cunctis Deus unus omne
Vivat in œvum.
Amen.

v. Specie tua, et pulchretudine tua.

Digitized by Google

R. Intende, prospere procede, et regna.

AD MAGNIFICAT.

Aña. Cognosce justitias, et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis Altissimi. In partes vade sæculi sancti cum dantibus confessionem Deo.

ORATIO.

Effunpe super nos, quæsumus, Domine, Spiritum tuæ dilectionis, quo Beata Maria Anna Virgo flagravit, ut, post odorem virtutum ejus currentes, nullis noxiis capiamur illecebris, sed cœlestis gratiæ sola semper suavitate trahamur. Per Dominum nostrum &c. In unitati ejusdem, &c.

AD MATUTINUM.

Invitatorium de Comm. Virg. Hym. ut ad Vesp.

IN I. NOCTUR.

Antiph. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis: et nunc quæ est expectatio mea? non ne Dominus?

Psalm. Domine Dominus noster &c.

Antiph. Ante te omne Desiderium meum, Domine, et gemitus meus a te non est absconditus.

Psalm. Cœli enarrant.

Antiph. Ego sum pauper, et dolens; salus tua Deus suscepit me.

Psalm. Domini est terra.

V. Specie tua, et pulchritudine tua.

R. Intende, próspere procede, et regna.

LECTIO I.

De *Canticis Canticorum. Cap.* 3.

In lectulo meo per noctem quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, et non in veni. Surgam, et circuibo civitatem: per vicos, et plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. Adjuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?

R. Veni electa mea; et ponam inte thronum meum: * Quia concupivit Rex speciem tuam.

V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Quia concupivit.

LECTIO II. *Cap.* 6.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Pulchra est amica mea, suavis, et decora sicut Ierusalem. Una est

Digitized by Google

Columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, et reginæ laudaverunt eam. Descendi in hortum nucum, ut viderent poma convalium, et inspicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica. Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.

R. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere, procede, et regna. Propterea.

LECTIO III. *Cap.* 8.

¿Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat? Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, et dabo tibi poculum de vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnulo que cervorum super montes aromatum.

R. Specie tua, et pulchritudine tua: * Intende, prospere procede, et regna.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria Patri. Intende.

IN II. NOCTUR.

Aña. Habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe filiorum Dei.

Psalm. Eructavit.

Aña. Dedit illi Deus virtutem corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem, et scire supereminentem scientiæ charitatem Dei.

Psalm. Deus noster refugium.

Aña. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum Iesum in incorruptione.

Psalm. Magnus Dominus.

V. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

R. Deus in medio ejus, non commovebitur.

LECTIO IV.

Maria Anna, Matriti, Hispaniarum Regum aula, et eximio Catholicæ Religionis cultu celeberrima Urbe, piis, honestisque parentibus nata, á primis annis præclara futuræ sanctitatis dedit indicia. Nam puerilia oblectamenta respuens, sensuum mortificationi studebat, et solitudine, et oratione summopere delectabatur. In ipsa pueritia perpetuæ virginitatis voto se obstrinxit. Unde nuptias, quæ a parentibus parabantur

constantissime recusavit; et a sancto proposito nullis carnis illecebris, nullis minis, aut blanditiis potuit dimoveri. Per undecim annos immanibus dæmonum larvis, et tentationibus lacessita, acre certamen sustinuit, semper tamen victrix. Aliquando etiam desolatione spiritus, et ariditate miserrime contabescens. Sanctimonialium Ordinis excalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum institutum, cujus propagationem mirifice adjuvit conciliis, et orationibus, cælitus inspirata suscepit, ac solemni ritu professa est. Paupertatis amantissima, semper abjecta, et obsoleta veste utebatur. Castitate, atque innocentia ita excelluit, ut cœlestem vitam in terris agere ab omni corporis contagione sejuncta videretur. Ejus fuit obedientiæ, ut Præsidum non modo vocibus, sed ipsis etiam nutibus obtemperaret. Silentio addicta non loquebatur nisi consulto, et meditato.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet te.

LECTIO V.

Proximorum saluti incubuit. Plures e perditionis via suis exhortationibus in salutis tramitem reduxit. Egentes, et pauperes omni charitatis officio prosequebatur: victu, et vestitu etiam emendicato sublebabat; non raro iis etiam, quibus ipsa indigebat, erogatis. Abstinentia fuit admirabili; nam prandium ejus vix sex uncias æquabat, et quatuor hebdomadæ diebus, ac toto Quadragésimæ et Adventus tempore solo pane, et aqua contenta erat, ut sæpe inedia conficeretur. Frequenter etiam fel aceto mixtum sumebat. Corpus suum cilicio aculeis densis intexto, catena lumbis obstricta, flagelis uncinis ferreis instructis, aliisque atrocibus tormentis excruciabat. Fere noctes ducebat insomnes; cœlestium contemplatione defixa. Calumniis, injuriis, et contumeliis appetita, nunquam ab animi tranquillitate, atque constantia potuit dejici. Altissimæ contemplationis dono excelluit. De rebus divinis ita loquebatur, ut doctorum hominum judicio cœlitus instructa videretur. Vivissimæ fidei ope praesentem continuo sibi Deum sistebat. Facies ejus interdum splendoribus circumfusa apparuit. Tanto divini amoris aestu conflagravit, ut saepe tota supernis ardoribus colliquesceret, et frequenter a sensibus abstracta admirabilis raptus, et suavissimas extases pateretur.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniqnitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

LECTIO VI.

Deiparam Virginem veluti matrem dulcissimam a prima ætate impense coluit, cujus singulare patrocinium semper experta est. Erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum mire afficiebatur.

Digitized by Google

Christi Domini Passionem pio cum animi dolore assidue meditabatur, cujus expressam imaginem miris patiendi modis in se referre satagebat. Ad crucis aspectum quandoque ita movebatur, ut in ejus amplexum sursum elevata raperetur. Gratia curationum, et prophetiae dono fuit illustris. Secreta cordium penetravit. Domini Jesu, Virginis Matris, et plurimorum Sanctorum frequenter fuit apparitione dignata. Quamvis autem tam copiose á Deo cœlestibus charismatibus esset locupletata, ea tamen erat humilitate, ut viliorem se, omnique paena, et contemptu dignissimam existimaret. Demique laethali morbo correpta, Sacramentis Ecclesiae munita, et in extasim rapta splendidos radios é vultu circumquaque diffundens, quibus cubiculum totum micare visum est, in amplexu crucis migravit ad Sponsum, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, aetatis suae quinquagesimo nono. Corpus ejus post centum, et ultra annos á Indicibus á Sede Apostolica delegatis revisum, ita incorruptum et vegetum repertum est, praecordiis, viseribusque integris, atque humidis (quae eo citius tabescere debuissent, quod ex pleuritide occubuisset virgo) et carne pariter humida, ac molli, et comprimi, ac resurgere facili, ut viventis pene speciem praeferret. Quamobrem Pius Sextus Pontifex Maximus tam praeclaro stupendoque prodigio, aliis que miraculis insignem Virginem Beatorum fastis adscripsit.

R. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus. * Afferentur tibi in laetitia, et exultatione.

V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur.

IN III. NOCTUR.

Antiph. Vita mea abscondita est cum Christo. in Deo.

Psalm. Cantate Domino.

Aña. Quid mihi est in cœlo, et á te quid volui super terram, Deus cordis mei.

Psalm. Dominus regnavit.

Aña. Adjuro vos filiae Jerusalem, ut nuntietis Dilecto meo, quia amore langueo.

Psalm. Cantate Domino canticum novum.

V. Elegit eam Deus, et praeelegit eam.

R. In tabernaculo suo habitare facit eam.

LECTIO VII.

Lectio Sancti Evangellii Secundum Matheum. Cap. 25.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: simile erit regnum cœlorum decem Virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsae. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Serm.* 39. *de verb. evang. c.* 4.

Evangelium Sanctum ipsas Virgines afferentes lampades alias dixit prudentes, alias stultas. Unde discernimus? De oleo. Aliquid magnum significat oleum. Putas num charitas est? Apostolus dicit

Digitized by Google

(adhuc supereminentiorem vobis viam demonstro) si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum aeramentum sonans, aut symbalum tinniens. Ipsa est supereminens via, id est charitas, quae merito oleo significatur; omnibus enim humoribus oleum supereminet.

R. Hæc est Virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, que acceptis lampadibus sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino introivit eum eo ad nuptias.

V. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Et veniente.

LECTIO VIII.

Media nocte clamor factus est. Quid est media nocte? Quando non speratur, quando omnino non creditur. Noctem posuit pro ignorantia. Quis iste clamor, nisi de quo apostolus dicit: in ictu oculi, in novissima tuba: clamore facto, quo clamabitur: ecce sponsus venit, surrexerunt omnes. Prudentes autem tulerunt oleum secum, stultæ vero non tulerunt secum. Habes oleum; porta tecum: intus habe, ibi place Deo, ibi porta testimonium conscientiæ tuæ. Qui autem ambulat ad testimonium alienum, oleum non portat secum. Antequam dormirent illæ virgines non est dictum, quia extinguebantur lampades illarum. Sapientium lampades ardebant de oleo interno, de conscientiæ securitate; de interiore gloria, de intima charita te: ardebant tamen, et illarum fatuarum, quia non deerant laudes hominum.

R. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

V. Prudentes virgines aptare vestras lampades. Ecce. Gloria Patri. Ecce.

LECTIO IX.

In resurrectione cæperunt aptare lampades suas, id est præparare Deo operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat. Non erant, qui oleum venderent; cæperunt deficere lampades: et converterunt se fatuæ ad prudentes; date nobis de oleo vestro. Audierunt; ite potius ad vendentes, Quia laubibus humanis bene vivere consuevistis, vobiscum oleum non portatis, nos autem non damus, ne forte non sufficiat nobis, et vobis. Vix enim de nobis judicamus, quanto minus possumus judicare de vobis? Cum eunt emere, cum quærunt á quibus laudentur, et non inveniunt, venit sponsus, et esponsa tunc glorificata cum Christo Ecclesia. Fatuæ postea venerunt. Et quid illis dictum est? Non novi vos, réprobo vos. In arte mea non vos agnósco; ars mea nescit vitia, et judicat vitia, nescit faciendo, júdicat arguendo.

Te Deum. &c.

AD LAUDES,

ET PER HORAS.

Antiph. ¿Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?

Digitized by Google

Psalm. Dominus regnavit; *cum reliquis.*

Antiph. Vox dilecti mei; ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

Antiph. Trahe me post te, curremus in adorem unguentorum tuorum.

Antiph. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

Antiph. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, et defesi, ferre non sustinens.

Capitulum. 2. *Cor.* 10.

Fratres, qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.

HIMNUS.

Cœlo receptam prosequamur laudibus,
Cultuque supplici efferamus virginem:
Non tota abest nobis: superstes proditur
Signo stupendo, quo coruscat jugiter.
Nam corpus ejus jam sepulchro conditum
Divina virtus protegit: quin confovet,
Impletque numine, atque servat integrum,
Non tabe obesum, aut pure fædo luridum.
O mira! Christi sic rependis virgini,
Quæ in carne solo vixit acta spiritu,
Et angelorum digna fulsit æmula,
Corruptionis prorsus expers vulneris,
Pater superne, fons superni luminis,
Aeterne Filii, lux paterno ex lumine,
Et qui procedis ex utroque Spiritus,
Honor tibi sit Sancta, et una Trinitas,
Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

AD BENEDICTUS.

Antiph. Dedi torquem circa collum tuum, et coronam decoris in capite tuo, et ornata es, et profecisti, quia perfecta eras in decore meo, quem posui super te, dicit Dominus Deus,

ORATIO.

Effunde super nos, quæsumus, Domine Spiritum tuæ dilectionis, quo Beata Maria Anna virgo flagravit, ut, post odorem virtutum ejus currentes nullis noxiis capiamur illecebris, sed cœlestis gratiæ sola semper suavitate trahamur. Per Dominum in unitate ejusdem, &c.

AD HORAS.

Antiphonæ prop. ut in Laudi-

bus; Cap. R. *et* v. *de Com. Virg. Oratio propria.*

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

v. Diffusa est gratia in labiis tuis.
R. Propterea benedixit te Deus in æternum.

AD MAGNIFICAT.

Antiph. Mortuum profetavit Corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia.

ORATIO.

Ut in prim. Vesp.

Digitized by Google

DIE XXVI. MARTII.

IN FESTO

Commemorationis SS. Martyrum, et aliorum Sanctorum, quorum Corpora, et Reliquiæ in Ecclesiis Ordinis B. V. M. de Mercede, Redemptionis Captivorum coluntur.

DUPLEX MAJUS.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter sequentia.

OREMUS.

Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris; et fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

In I. Noct. Lection. Fratres: debitores, &c.

IN II. NOCTURNO.

Ex tractatu S. Joannis Damasceni de fide Orthodoxa.
Lib. 4. *cap.* 16.

LECTIO IV.

Christus Dominus Sanctorum Reliquias velut salutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex aspera, et solida rupe, atque ex asini maxilla ad sedandam Sampsonis sitim, Deo ita volente, prosiliit, erit ne, cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum Reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe iis quidem, quibus Dei potentia, honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus, et exploratus est. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur. Verum in numero mortuorum minime habendi sunt.

R. Sancti tui, &c.

Digitized by Google

LECTIO V.

Ex quo enim ipsamet vita, ac vitæ Autor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe Resurrectionis, fideque erga eum, diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Quonam itaque modo per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, ac mærores discutiuntur, ac denique omne donum optimum á Patre luminum, eorum opera ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit? Quid non laboris suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profirentur, ac Deo nostra causa supplicant?

R. Verbera, &c.

LECTIN VI.

Honorandi certe: et quidem ita, ut in eorum nomine Deo templa extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur: quo nimirum lætitia nostra iis, á quibus invitamur, congruat; ac non, dum eos cǒlere, et demereri, studemus, offendamus potius, et irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem servi quoque ipsius oblectantur. Quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam ipsius milites offenduntur. Quocirca in Psalmis, et Hymnis, et canticibus spiritualibus, et compunctione, et eorum, qui in egestate versantur, commiseratione, quibus obsequiis Deus potissimum conciliatur, Sanctos colamus, statuas ipsis, ac visibiles Imagines erigamus, imo ipsi virtutibus eorum imitandis hoc consequamur, ut vivæ eorum statuæ, atque, Imagines simus.

R. Tamquam aurum, &c.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Descendens Jesus de Monte, *de eod. Comm. In Quadrag. IX. Lectio Homil. feriæ occur, de qua fit Commem. in Laudibus, et in II. Vesp.*

Si hoc festum celebretur post Pascha Officium fit de Communi plurimorum Martyлum tempore Paschali præter ea, quæ bic assignantur propria.

Elogium in Martyrologio dicendum die XXV. pro XXVI. Martii.

Solemnis Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, aut Reliquiæ in Ecclesiis Ordinis Beatissimi Virginis MARIÆ de MERCEDE Redemptionis Captivorum asservantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06785 3641

B 451696

Digitized by Google

Digitized by Google